POESIS DRAMATICA NICOLAI AVANCINI

E SOCIETATE IESV.

PARS II.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANN. WILHELMUM FRIESSEM, Juniorem. Anno MDCLXXV.

EPISTOLA DEDI-
CATORIA.

LECTORI MEO S.

QVam olim promiseram, tibi exhibeo, *Dramatum meorum* Secundam Partem; *tibiq; dedico*, Amice Lector. *Aliud patrocinium nec quæro; nec prodesse mihi potest. Non leget, qui Musas non amat: qui amat, etiam rudes & incultas benevolo quandoque oculo dignatur. Tu solus igitur patrocinari potes, qui solus legis, & intelligis, an tuo sim dignus patrocinio. At neque à te poppysmata quæro, sed illime, purumq; iudicium. Hoc candidum in me affectum contestaberis, animabis ad plura, quæ sub manibus habeo, undequaque vota mea explebis; efficiesque ut quidquid sum in hac Facul-*

INDEX ET SERIES DRAMATUM.

* *
*

FACVL-

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo Joannes Bertholdus Soc. JESU per Provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis, factâ mihi à P. Noſtro Joanne Paulo Oliva Præpoſito Generali poteſtate, facultatem concedo, ut Dramaticæ Poëſeos Pars II. in qua continentur: *Zelus*, ſive, *Franciſcus Xaverius Indiarum Apoſtolus*: *Pietas Victrix*, ſive, *Conſtantinus Magnus*: *Fides Conjugalis*, ſive *Ansberta*: *Fiducia in Deum*, ſive, *Bethulia*: *Dei Bonitas de humana pertinacia victrix*, ſive, *Alphonſus X. Legionis, & Caſtellæ Rex*: *Connubium Meriti & Honoris*, ſive, *Evergetes, & Endoxa*: à Patre Nicolao Avancino ex eadem Societate conſcripta, & à memoratæ Societatis PP. Cenſoribus de more reviſa & approbata, typis mandetur. In quorum fidem manu meâ ſubſcripſi, & conſuetum officij Sigillum appreſſi. Viennæ 10. Martij, Anno 1669.

Joannes Bertholdus.

ZE-

ZELUS
SIVE
FRANCISCUS XAVERIUS
INDIARUM APOSTOLUS.

ARGUMENTUM.

POpulus, qui ſedebat in tenebris *Idololatriæ*, vidit lucem magnam *Orthodoxæ fidei per* Franciſcum Xaverium. *Hoc ſub Poëtico ſchemate ita digerimus. Gemit Oriens in Idololatriæ tenebris deſolatus. Inceſſitur Fidei Orthodoxæ deſiderio. Fides Xaverium ex Europa pollicetur, cujus ope luci reſtituatur. Oriens ſua in Europam Deſideria ablegat. Illa favente cœlo & mari in Europam appellunt: Romana Eccleſiæ ſua vota exponunt. Hujus juſſu* Xaverium *per Virtutum domos quærunt, inveniunt. Legationem ſuam exponunt:* Xaverium *impetrant; eumq; in Orientem, nequidquam indignante, & quà mari, quà terrâ obſtacula moliente Idololatriâ, deducunt: In Orientis ing[...]* Xave-

rius

rius *primam per puerulos Idolorum stragem edit. Præsentatur Orienti; cum plausu excipitur; & primam veritatis lucem aspirat* populo, qui sedebat in tenebris *Idololatricæ superstitionis. Vide Horatium Tursellinum in ejus vita. Danielem Barthelum in Xaverio.*

PERSONÆ.

S. Ignatius.
S. Franciscus Xaverius.
S. Thomas.
Fides.
Ecclesia militans.
Ecclesia Triumphans.
Zelus.
Virtutes.
Genius Xaverij.
Oriens.
Regna Orientis.
Desideria Orientis.
Europa.
Dolores.
Idololatria.
Sirenes & Tritones.
Venti.
Chorus Indorum.
Chorus Æthyopum.
Chorus Subsessorum.

* *
*

PRO-

PROLVDIVM.

Chorus Orientalium populorum solito tympanorum, cymbalorumque pulsu, & cantu, Solem ab Oriente varijs epithetis invocat; cui ab Occidente Xaverius novus Sol enascitur.

Chorus I. Chorus II. IESVS. Xaverius. S. Thomas. Phosphorus. Hesperus.

Chor. I. O Luminis puerpera,
Materque Nox diei,
Partu corusco Delium
Effunde purpuratum
O magne Consul ætheris,
O siderum Imperator!
O nocticida argentee,
O aurce astricida!
Pallantidôs Tithoniæ
Parensque, filiusque
Veni, veni, veni, veni,
Titan veni serene.

Chor. II. Ævi rotator Cynthie,
Lucisque prima vita,
Vultu renatus flammeo
Orientis arva inaura.
Cyclops diurne, gemmei
Dictator ignis, aurum

 Cæ-

Cœleste, lampas ignea,
Diurna fax, Pyrope:
Veni, veni, veni, veni,
Titan veni serene.

Chor. I. O lampas, ò diei fer,
Et luminum Dynasta,
Sereniores explica
Sol Memnoni pyropos,
Veni, veni, veni, veni,
Titan veni serene.

Chor. II. O purpurati Consulis
Aurora clara vectrix,
Expergefactum provoca
Ad sueta pensa natum.
Dormîsse noctem sufficit;
Oculum reclude Titan.
Simulacra mortis exue,
Ut induâre vitâ.
Imago mortis somnus est:
Dormire Phœbe cessa.
Veni, veni, veni, veni,
Titan veni serene.

Chor. I. Armate radijs Delie,
Extingue noctis umbras:
Radiate telis Cynthie
Sidera minora dele.
Veni, veni, veni, veni,
Titan veni serene.

Chor. II. O celse mundi, temporum
Mensura, vita cœli,

Sobe-

Soboles Amidæ, fulgida
Magni Pagodis umbra;
Fons luminis, frons Numinis
Dieifer serene:
Dum Phœbe condis lumina,
Conduntur ora Divûm:
Dum Phœbe pandis lumina,
Panduntur ora Divûm.
Veni, veni veni, veni,
Titan veni serene.

Chor. I. O Arbiter Gangetice,
Monarcha Sol Eoe,
Equis rotatus aureis
In lucis arma prodi,
Veni, veni, veni, veni,
Titan veni serene.

Phosph. Nascentis ignis prævolo
Dux Phosphorus diei,
Cùm Pyrois armos concutit,
Et fræna mordet Aëthon.
Abite noctis gemmulæ,
Solis Pyropus instat:
Fugite minora sidera,
Jam lora Phœbus aptat.

Chor. II. *Veni, veni, veni, veni,*
Titan veni serene.

Hesper. Assuetus ignem accendere
Emortuo diei,
Tædasque ferre funeri
Dux Hesperugo Solis:

Nunc forte versâ Cynthium
Cælo infero. Revolve
Tuas quadrigas Phosphore,
Munusque pone: quando
Ab Occideute nascitur
Sol Memnonum. Recede.

Phosph. Recedo. Condo Cynthiæ
Rosarium juventæ.
Sol Indiæ Xaverius
Ab Occidente surgit.

Chor. I. *Veni, veni, veni, veni,*
Titan veni serene.

Hesper. Recede: frontis aureum
Occlude purpurissum:
Sol Memnonum Xaverius
Adest. Recede. *Phosph.* Cedo,
Cedo: valete Memnones,
Sol ortus est; valete.

Chor. II. *Veni, veni, veni, veni,*
Titan veni serene.

S. Thom. En nascitur Sol. Pectora
Nabathæa pande pubes:
Sol hauriendus mentibus;
Animisque combibendus.

Chor. I. Quæ lux flagellat lumina
Ab Occidente nata?

Chor. II. Quis Sol inaurat Memnones
Ab Hespero advocatus?

S. Thom. Diem parit Gangeticis
Dux noctis Hesperugo:
Diem bibendum cordibus,
Et pectore hauriendum.

IESVS.

Ego Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cœcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

Xaver. Ducam cœcos in viam, quàm nesciunt; & in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam; ponam tenebras coram eis in lucem, *Isai.* 42.

Chor. I. Quæ lucis acrimonia
Mundi theatrum inaurat?

Chor. II. Quis corda splendor occupat?
Quæ flamma pectus urit?

S Thom. Lumen ad revelationem gentium.

Chor. uterque Emitte lucem tuam, & creabuntur; & renovabis faciem terræ.

ACTVS I.

SCENA PRIMA.

Fides Orthodoxa sopitum cum suis Regnis Orientem jactis Divinis flammis excitat; & Xaverij desiderio accendit.

Fides, Oriens.

Fides.

ADsum Tonantis filia, sacrorum parens,
Cultûsque norma; cujus in censum venit,

Quicunque cœlo militat; cujus cruor
Effuſa laté ſpatia terrarum rigat,
Palmaſque cœlis inſerit: cujus manus
Exercitata prælijs multis truces
Fregit Tyrannos. Si novum Tauri genus,
Et mugientis æris audîſti ſonos;
Ego crepantes inter effumans rogos
Docui Perilli gemere candentes boves
Ardente Placido; ſaxa per ventos rapi
Cadente Stephano: creſcere affuſo ſuper
Cruore flammas, quando ſtillantem calor
Laurentium uſſit. Ego Tyrannorum tuli
Conſtans furores; vinculis puras manus,
Pedes catenis, brachia retorto dedi
Ferro implicanda; carceris cæci ſitum,
Famem, ſitimque pertuli: nata in diem,
Diem vexabar cernere, abſtruſis caput
Sepulta tenebris. Sæpé ruituræ innocens
Caput ſecuri ſubdidi; ſæpé & truci
[illegible]
Rimanda ferro viſcera, & chalybi notas
Examinandas, membra ſerpenti, aut feris
Ego lanianda præbui. At multâ tamen
De cæde vivo: ſcilicet ſemper novâ
Poſſim ut perire cæde. Dum morior, mori
Non valeo; letho vivere ſuperſtes meo
Poſſum, & parentans funeri flores dare.
Necdum peracta cuncta. Cuî Divûm fuit
Mors nectareto dulcior, gaudet mori.
Arena ſtrata eſt ampla, quia ſurgens mari
Juvenis Eoum Phœbus illuſtrat ſolum.
O quæ procella! Quanta tempeſtas ruet

Naba-

Nabathæa quando regna tentabis Fides!
Sed euge! Sanguis ille per Gangem natans
Messem irrigabit horreis dignam poli.
Video paterno deviam cœlo Indiam,
Gemoque tenebris obsitum Orientis solum.
Oriens. O quando lucis aureæ orietur jubar!
Fid Audio gementem. *Ori* Precibus multis dies,
Multis petita lacrymis, ponto tuos
Exsuscita ignes. Vota suspensa enecant
Desiderantes. *Fides.* Æstuas nimium meæ
Amore lucis India: videbis. Dei
Suprema cura, Xavier memet plagis
Invehet Eois, Xavier Iberûm decus,
Nabathææ asylum gentis, & Japonum salus.
Illum vovebis India. & tandem tuæ
Compos salutis, æmulæ Europæ auferes.
Volate amoris spicula: sequetur Fides.
Sic arde Amoris igne: Xaverium vove!
Hæc sunt Amoris tela, quæ fibras crement.

SCENA SECUNDA.

Oriens cum Regnis somno excitus, & haustâ cœlitùs flammâ Xaverij desiderio exardet: sua in Europam Desideria amandare statuit, ut Xaverium adducant.

Oriens. India. Travancoris. Japonia. China.

Oriens. Secreta mentis æstus invasit calor,

Quicunque cœlo militat; cujus cruor
Effusa laté spatia terrarum rigat,
Palmasque cœlis inserit: cujus manus
Exercitata prælijs multis truces
Fregit Tyrannos. Si novum Tauri genus,
Et mugientis æris audîsti sonos;
Ego crepantes inter effumans rogos
Docui Perilli gemere candentes boves
Ardente Placido; saxa per ventos rapi
Cadente Stephano: crescere affuso super
Cruore flammas, quando stillantem calor
Laurentium ussit. Ego Tyrannorum tuli
Constans furores; vinculis puras manus,
Pedes catenis, brachia retorto dedi
Ferro implicanda; carceris cæci situm,
Famem, sitimque pertuli: nata in diem,
Diem vetabar cernere, abstrusis caput
Sepulta tenebris. Sæpé ruituræ innocens
Caput securi subdidi; sæpé & truci
[illegible]
Rimanda ferro viscera, & chalybi nova
Examinandas, membra serpenti, aut feris
Ego lanianda præbui. At multâ tamen
De cæde vivo: scilicet semper novâ
Possim ut perire cæde. Dum morior, mori
Non valeo; letho vivere superstes meo
Possum, & parentans funeri flores dare.
Necdum peracta cuncta. Cui Divûm fuit
Mors nectare to dulcior, gaudet mori.
Arena strata est ampla, quia surgens mari
Juvenis Eoum Phœbus illustrat solum.
O quæ procella! Quanta tempestas ruet

Naba-

Nabathæa quando regna tentabis Fides!
Sed euge! Sanguis ille per Gangem natans
Messem irrigabit horreis dignam poli.
Video paterno deviam cœlo Indiam,
Gemoque tenebris obsitum Orientis solum.
Oriens. O quando lucis aureæ orietur jubar!
Fid Audio gementem. *Ori* Precibus multis dies,
Multis petita lacrymis, ponto tuos
Exsuscita ignes. Vota suspensa enecant
Desiderantes. *Fides.* Æstuas nimium meæ
Amore lucis India: videbis, Dei
Suprema cura, Xavier memet plagis
Invehet Eois, Xavier Iberûm decus,
Nabathææ asylum gentis, & Japonum salus.
Illum vovebis India. & tandem tuæ
Compos salutis, æmulæ Europæ auferes.
Volate amoris spicula: sequuntur Fides.
Sic arde Amoris igne: Xaverium vove!
Hæc sunt Amoris tela, quæ fibras crement.

SCENA SECUNDA.

Oriens cum Regnis somno excitus, & haustâ cœlitùs flammâ Xaverij desiderio exardet: sua in Europam Desideria amandare statuit, ut Xaverium adducant.

Oriens. India. Travancoris. Japonia. China.

Oriens, Secreta mentis æstus invasit, calor

Novus medullas occupat: amoris face
Uruntur animi. Grata sed menti tamen
Hæc flamma venit. Nam quis agnatum velit
Nescire amorem? quisve, si velit, queat?
Amor sagitta est; facilè se mergit fibris,
Ægrè levatur. Ignis est audax Amor;
Quodcunque tangit, in pares flammas agit.
Eripior ipse mihimet, & dubiam traho
Suspensus animam; an Xavier vivat meo
In corde; an ipse generis Eoi pater
Vivam superstes? Spiro: sed non est meus
Spiritus: Iberas quippe transcendit plagas,
Medioque totus hæret Europæ sinu.
Meum hic cadaver cernitis. Vivam tamen,
Cùm se medullis ingeret quondam meis
Mea vita cordis Xavier. Veni ô mihi
Desiderate Xavier! veni meis
Optate Regnis! Aderis? O quo me tenes
Amore, quo me Xavier stringis metu!
Fatebor equidem, sæpè sub medio die
Nox est Amori; sede dùm motus sua
Insomnis animus somniat, teque arduo
Venire pelago fingit; & quales amat,
Mentitur umbras: Crucior heu! seu me quies
Sopore mergat, sive redivivus dies
Curas reducat. Longus heu nimium dies,
Heu longa nox amantibus! Vultus tui
Mentem lacessunt. Nunc mari emenso propè
Te sisti arenæ gaudeo, & portum involo.
Sed nulla amatum cymba Xaverium tulit.
Nunc aquosas pelagus in valles hians

Sor-

Sorbere te minatur; & pontus meis
Tumescit auctus lacrymis. Nunc è tuo
Pendere collo videor, amplexus paro,
Stringo; sed amantes ludis amplexus fugâ,
Aurasque inanes ingeris. Vel sic tamen
Errâsse dulce est. Triste nunc fatum tuo
Video parari vertici: & timeo, & amo,
Lætusque trepidusque. At juvat amantem metus.
Lydius amoris est lapis constans timor.
Cos imò Amoris, acuit & amorem timor,
Et amor timorem. Plus amat, qui plus timet:
Rursusque & ille plus timet, qui plus amat.
Ia. Sed ista quid timore nos toties, brevi
Quid amore toties umbra deludit fugax,
Si verus absit Xavier? *Ind.* Quæ te moræ
Tenace vinctum compede Indorum plagis
Tenent remotum? Zephyrus in votum fluat;
Pedesque volucer induat pennis amor.
Iap. Dilata cruciant vota. Quid lentus mare
Remis flagellas? Fata si nosses mea,
Non talis ires. Odit ignavas moras,
Amore quisquis agitur. Aut dubius amor,
Qui lentus esse potuit, aut nullus fuit.
China. Mora omnis est mors, cui stimulat animos amor.
Urimur amantes, pectus accensum salit,
Tuoque anhelant brachia amplexu frui.
Oriens. Urimur amantes! Xavier, nondum venis?
Tumefacta nondum vela te ponto vehunt?

India. Urimur amore, & esse tu lentus potes?
Nec adhuc amoris incito cursu volas?
Urimur! amantûm Xavier votis fave.
Satiare solus vota languentûm potes.
Iap. Crudum, heu! amoris flamma tortorem sapit,
Dum se æstuanti carnifex menti ingerit.
Urimur! amoris vota non tolerant moram:
Amare qui scit, otium & moras fugit.
Ori. Nunquam perennis ulla tempestas fuit,
Quæ vel tonantes nube convolvit polos,
Vel dissidentem Nerea in partes rapit.
Sæpius eodem Cynthius ridet loco,
Quo mœsta lacrymis Plejas effusis pluit.
Illoque sæpé navis exulat freto,
Quo sævientis horruit Cauri minas.
At nostra nunquam fata vertentur? Dolor
Rumpit lupatos mentis ingenuæ; Dolor
Quicunque potuit capere rationis modum,
Et fræna legum, nullus est. Verus dolor
Cùm torquet animum; legis excedit modum
Rationis impos. *Ind.* Xavier votum meum,
Ad hoc te amavit India, ut tantis coquas
Pectora favillis? Xavier mentis dolor,
Meique vulnus pectoris! Quò, quò me Amor?
Quo me dolores agitis? O utinam Notus,
Aut concitatis Zephyrus abreptus rotis
Flammata desideria Xaverij piæ
Infundat auri! præpes ignavæ ratis
Moras perosus vincet accursu Notos.
Chi. O quisquis orbis fræna Moderator regis,
Da,

Da, da per auras nubibus certis vehi,
Aut per patentes æquoris campos rapi
Accensa Desideria, Nabathæus tibi
Ut statuat aras populus, & Ganges colat.
Ori. Nabathæa Regni decora, & Eoi Duces
Legemus unà vota, queîs suum obvia
Europa gremium pandit, & toto sinu
Excipere gestit. *Ind.* Vota mittamus sacri
Nuncia caloris. *Trav.* Pergite: hac solùm via
Calor tyrannus mentis extingui potest.
Ori. Desiderantis mentis ut sidat calor,
Legata Desideria Xaverio mei
Interpretentur pectoris sensum. Calet
Oriens, amatque. Hæc nuntij summa est mei.
Et dum per ustas ignis exerrat fibras,
Obluctor usque, & usque marcentes mihi
Vorat medullas, meque discrucio meis
Curis perustus. nil ago, infelix tamen
Amore solùm langueo, & magno peto
Opem dolori. Cætera affectus premit.
Facilè assequetur ille, qui novit sui
Vires amoris. Xavier ad amantes gradum
Acceleret, omni parta medicina est malo.

**
*

SCENA TERTIA.

Zelus Divinæ gloriæ è flammea nube pensilis ignes in Xaverium distillat, & propaganda ad Indos fidei desiderium instillat.

Xaverius. Zelus.

Non decet inertes esse, quos Numen vocat:
In bella miles non benè ignavâ manu
Exercitatur. Æmulus fortis virum,
Nautam tyrannus Aquilo, vel Caurus probat,
Cùm pelagus urget. Quisquis ad lauros iter
Capit, ob viantes primus in moras ruit,
Gaudetque dextrâ frangente obstantem impetum.
Dudum Tonantis miles in turmas meum
Nomen dicavi: quando lunato genu
Affusus aris vota concepi. Tuus
Tua signa posthac, Christe, dicebam, sequar;
Tibi militabo, sive me in ferrum voces,
Sive in furores. Veniat in cædem sitis
Avida cruoris, veniat infestus chalybs;
Audebo contra. Nulla me sortis rota
Evertet unquam. Sicca mors timidum juvet,
Cruenta fortem. Vivere æternùm potest,
Qui brevia vitæ spatia pro Christo dedit.
Si vota nostra Numen annutu probas,
Jube experiri. Quà latet vasto solum
Pelago sepultum; quà patet sævæ tigri

Habitata regio; quà truces populi fremunt
Humanitatis nescij; quà se lavat
Sanguine alieno Tartarus; quà tot feras
Furiasque nutrit terra, quot homines alit.
Tuo obsecutus nutui abripior Deus.
Da, da labores. Si tuos duris soles
Laboribus probare, Xaverio ingere
Numen labores. *Zel.* Quidquid amplexu fovet
Nabathæus orbis, quidquid auratâ alluit
Indus procellâ, dexteræ in censum tuæ
Victoriarum veniet. O Zeli calor!
O fortis animi flammula! afflatu tuo
Xaveriani cordis arcana involа,
Et in patentes orbis aversi plagas
Incende amores. *Xav.* Ardeo! ò quantus meis
Penitùs medullis Cœlitûm inserpit calor!
Ardeo! quis ignis mentis exurit sinum?
Zelus. Dei tuendi Zelus, & fervens amor
Fidei, medullas occupat. Fortem indue
Franscisce mentem. Pectus ignavum fugit
Zelus, animosum suscitat. *Xav.* Quæ me vocat
In fata Numen? *Zel.* Per maris tumidi minas,
Per æstuantis bella Neptuni, rate
Fragili repostis ultimo mundi sinu
Succedere terris; quàque procedes, fidem
Dispergere Christi. Jam gemit supplex gravi
Oriens querelâ, teque subsidio vocat.
Xaver. Surgamus anime. Quantus Orientem premit
Squallor Acherontis! *Zel.* Imaginem effinges Dei.

Morum

Morum Magister. *Xaver.* Quantus accensas super
Stridet catenas anguis! *Zelus.* Hic magna est tui
Portio triumphi. Perge. *Xaver.* Tolerabo impio
Perire Christi sacra successu? *Zel.* Ratis
Eadem Tonantis invehet Christi sacra,
Quæ te jacentis littori Orientis dabit.
Xaver. Deliberare dedecet, quando Deo
Obtemperandum est. Ibo, quô Numen vocat.

SCENA QVARTA.

Ecclesiæ militanti ostenditur à Triumphante series Martyrum, qui per Xaverium in Orientem inducti, sanguinem suum profusuri sunt, & parata iisdem in cœlo gloria.

Genius Militantis Ecclesiæ. Genius Triumphantis.

Milit. Quæ scena, Divi panditur?
Quod sanguinis theatrum?
Nova Furor ardet prælia?
Nova busta machinatur?
Triumph Orientis hæc trophæa sunt,
Tuâ paranda dextrâ.
Milit. O quæ trophæa prælio
Superi paratis isto?

Tro-

Triumph. Trophæa digna ſedibus
Cœleſtibus locari.
Quot conſpicaris ſanguine
Manare in hoc theatro;
Tot emicare ſiderum
Videbis inter ignes.
Milit. Hocne eſt theatrum gloriæ?
Hæc empta ſcena laudum?
Ubi funeratum ſanguine
Taboque nat cadaver;
Ubi crepant ardentibus
Ambuſta membra flammis;
Cineresque paſſim compitis
Sparguntur inſepulti?
Hæc illa nempe flumina
Promiſſa gaudiorum?
Hoc illud eſt ſpectaculum?
Hæc vena fauſtitatis?
Memini! ſed ô felicitas
Brevis! brevis voluptas!
Memini, aſtra cùm promitteres,
Et plexilem coronam:
Sed nec coronas, nec mihi
Promiſſa reddis aſtra.
Triumph. Laboribus promiſimus
Et ſidera, & coronas.
Exercitatos prælijs
Videbis inter aſtra.
Pandantur orbes Cœlitûm,
Et Cœlitûm triumphi.

Vides

Quicunque cœlo militat; cujus cruor
Effusa laté spatia terrarum rigat,
Palmasque cœlis inserit: cujus manus
Exercitata prælijs multis truces
Fregit Tyrannos. Si novum Tauri genus,
Et mugientis æris audîsti sonos;
Ego crepantes inter effumans rogos
Docui Perilli gemere candentes boves
Ardente Placido; saxa per ventos rapi
Cadente Stephano: crescere affuso super
Cruore flammas, quando stillantem calor
Laurentium ussit. Ego Tyrannorum tuli
Constans furores; vinculis puras manus,
Pedes catenis, brachia retorto dedi
Ferro implicanda; carceris cæci situm,
Famem, sitimque pertuli: nata in diem,
Diem vetabar cernere, abstrusis caput
Sepulta tenebris. Sæpé ruituræ innocens
Caput securi subdidi; sæpé & truci
[illegible]
Rimanda ferro viscera, & chalybi novas
Examinandas, membra serpenti, aut feris
Ego lanianda præbui. At multâ tamen
De cæde vivo: scilicet semper novâ
Possim ut perire cæde. Dum morior, mori
Non valeo; letho vivere superstes meo
Possum, & parentans funeri flores dare.
Necdum peracta cuncta. Cuî Divûm fuit
Mors nectareto dulcior, gaudet mori.
Arena strata est ampla, quia surgens mari
Juvenis Eoum Phœbus illustrat solum.
O quæ procella! Quanta tempestas ruet
Naba-

Nabathæa quando regna tentabis Fides !
Sed euge ! Sanguis ille per Gangem natans
Messem irrigabit horreis dignam poli.
Video paterno deviam cœlo Indiam,
Gemoque tenebris obsitum Orientis solum.
Oriens. O quando lucis aureæ orietur jubar !
Fid Audio gementem. *Ori* Precibus multis dies,
Multis petita lacrymis, ponto tuos
Exsuscita ignes. Vota suspensa enecant
Desiderantes. *Fides.* Æstuas nimium meæ
Amore lucis India : videbis. Dei
Suprema cura, Xavier memet plagis
Invehet Eois. Xavier Iberûm decus,
Nabathææ asylum gentis, & Japonum salus.
Illum vovebis India. & tandem tuæ
Compos salutis, æmulæ Europæ auferes.
Volate amoris spicula : sequetur Fides.
Sic arde Amoris igne : Xaverium vove !
Hæc sunt Amoris tela, quæ fibras cremant.

SCENA SECUNDA.

Oriens cum Regnis somno excitus, & haustâ cœlitùs flammâ Xaverij desiderio exardet : sua in Europam Desideria amandare statuit, ut Xaverium adducant.

Oriens. India. Travancoris. Japonia. China.

Oriens. Secreta mentis æstus invasit calor

Sorbere te minatur; & pontus meis
Tumescit auctus lacrymis. Nunc è tuo
Pendere collo videor, amplexus paro,
Stringo; sed amantes ludis amplexus fugâ,
Curasque inanes ingeris. Vel sic tamen
Erràsse dulce est. Triste nunc fatum tuo
Video parari vertici: & timeo, & amo;
Lætusque trepidusque. At juvat amantem metus.
Lydius amoris est lapis constans timor.
Cos imò Amoris, acuit & amorem timor,
Et amor timorem. Plus amat, qui plus timet:
Rursusque & ille plus timet, qui plus amat.
Bra Sed ista quid timore nos toties, brevi
Quid amore toties umbra deludit fugax,
Si verus absit Xavier? *Ind.* Quæ te moræ
Tenace vinctum compede Indorum plagis
Tenent remotum? Zephyrus in votum fluat;
Pedesque volucer induat pennis amor.
Iap Dilata cruciant vota. Quid lentus mare
Remis flagellas? Fata si nosses mea,
Non talis ires. Odit ignavas moras,
Amore quisquis agitur. Aut dubius amor,
Qui lentus esse potuit, aut nullus fuit.
China. Mora omnis est mors, cui stimulat animos amor.
Urimur amantes, pectus accensum salit,
Tuoque anhelant brachia amplexu frui.
Oriens. Urimur amantes! Xavier, nondum venis?
Tumefacta nondum vela te ponto vehunt?

India. Urimur amore, & esse tu lentus potes?
Nec adhuc amoris incito cursu volas?
Urimur! amantûm Xavier votis fave.
Satiare solus vota languentûm potes.
Iap. Crudum, heu! amoris flamma tortorem sapit,
Dum se æstuanti carnifex menti ingerit.
Urimur! amoris vota non tolerant moram:
Amare qui scit, otium & moras fugit.
Ori. Nunquam perennis ulla tempestas fuit,
Quæ vel tonantes nube convolvit polos,
Vel dissidentem Nerea in partes rapit.
Sæpius eodem Cynthius ridet loco,
Quo mœsta lacrymis Plejas effusis pluit.
Illoque sæpè navis exulat freto,
Quo sævientis horruit Cauri minas.
At nostra nunquam fata vertentur? Dolor
Rumpit lupatos mentis ingenuæ; Dolor
Quicunque potuit capere rationis modum,
Et fræna legum, nullus est. Verus dolor
Cùm torquet animum; legis excedit modum
Rationis impos. *Ind.* Xavier votum meum,
Ad hoc te amavit India, ut tantis coquas
Pectora favillis? Xavier mentis dolor,
Meique vulnus pectoris! Quò, quò me Amor?
Quò me dolores agitis? O utinam Notus,
Aut concitatis Zephyrus abreptus rotis
Flammata desideria Xaverij piæ
Infundat auri! præpes ignavæ ratis
Moras perosus vincet accursu Notos.
Chi. O quisquis orbis fræna Moderator regis,
Da,

Da, da per auras nubibus certis vehi,
Aut per patentes æquoris campos rapi
Accensa Desideria, Nabathæus tibi
Ut statuat aras populus, & Ganges colat.
Ori. Nabathæa Regni decora, & Eoi Duces
Legemus unà vota, queîs suum obvia
Europa gremium pandit, & toto sinu
Excipere gestit. *Ind.* Vota mittamus sacri
Nuncia caloris. *Trav.* Pergite: hac solùm viâ
Calor tyrannus mentis extingui potest.
Ori. Desiderantis mentis ut sidat calor,
Legata Desideria Xaverio mei
Interpretentur pectoris sensum. Calet
Oriens, amatque. Hæc nuntij summa est mei.
Et dum per ustas ignis exerrat fibras,
Obluctor usque, & usque marcentes mihi
Vorat medullas, meque discrucio meis
Curis perustus, nil ago, infelix tamen
Amore solùm langueo, & magno peto
Opem dolori. Cætera affectus premit.
Facilè assequetur ille, qui novit sui
Vires amoris. Xavier ad amantes gradum
Acceleret, omni parta medicina est malo.

**
*

SCENA TERTIA.

Zelus Divinæ gloriæ è flammea nube pensilis ignes in Xaverium distillat, & propaganda ad Indos fidei desiderium instillat.

Xaverius. Zelus.

Non decet inertes esse, quos Numen vocat:
In bella miles non benè ignavâ manu
Exercitatur. Æmulus fortis virum,
Nautam tyrannus Aquilo, vel Caurus probat,
Cùm pelagus urget. Quisquis ad lauros iter
Capit, obviantes primus in moras ruit,
Gaudetque dextrâ frangente obstantem impetum.
Dudum Tonantis miles in turmas meum
Nomen dicavi: quando lunato genu
Affusus aris vota concepi. Tuus
Tua signa posthac, Christe, dicebam, sequar;
Tibi militabo, sive me in ferrum voces,
Sive in furores. Veniat in cædem sitis
Avida cruoris; veniat infestus chalybs;
Audebo contra. Nulla me fortis rota
Evertet unquam. Sicca mors timidum juvet,
Cruenta fortem. Vivere æternùm potest,
Qui brevis vitæ spatia pro Christo dedit.
Si vota nostra Numen annutu probas,
Jube experiri. Quà latet vasto solum
Pelago sepultum; quà patet sævæ tigri

Habi-

Habitata regio; quâ truces populi fremunt
Humanitatis nescij; quà se lavat
Sanguine alieno Tartarus; quà tot feras
Furiasque nutrit terra, quot homines alit.
Tuo obsecutus nutui abripior Deus.
Da, da labores. Si tuos duris soles
Laboribus probare, Xaverio ingere
Numen labores. *Zel.* Quidquid amplexu fovet
Nabathæus orbis, quidquid auratâ alluit
Indus procellâ, dexteræ in censum tuæ
Victoriarum veniet. O Zeli calor!
O fortis animi flammula! afflatu tuo
Xaveriani cordis arcana involа,
Et in patentes orbis aversi plagas
Incende amores. *Xav.* Ardeo! ò quantus meis
Penitùs medullis Cœlitûm inserpit calor!
Ardeo! quis ignis mentis exurit sinum?
Zelus. Dei tuendi Zelus, & fervens amor
Fidei, medullas occupat. Fortem indue
Francisce mentem. Pectus ignavum fugit
Zelus, animosum suscitat. *Xav.* Quæ me vocat
In fata Numen? *Zel.* Per maris tumidi minas,
Per æstuantis bella Neptuni, rate
Fragili repostis ultimo mundi sinu
Succedere terris; quàque procedes, fidem
Dispergere Christi. Jam gemit supplex gravi
Oriens querelâ, teque subsidio vocat.
Xaver. Surgamus anime. Quantus Orientem premit
Squallor Acherontis! *Zel.* Imaginem effinges Dei.

Morum Magister. *Xaver.* Quantus accensas super
Stridet catenas anguis! *Zelus.* Hic magna est tui
Portio triumphi. Perge. *Xaver.* Tolerabo impio
Perire Christi sacra successu? *Zel.* Ratis
Eadem Tonantis invehet Christi sacra,
Quæ te jacentis littori Orientis dabit.
Xaver. Deliberare dedecet, quando Deo
Obtemperandum est. Ibo, quô Numen vocat.

SCENA QVARTA.

Ecclesiæ militanti ostenditur à Triumphante series Martyrum, qui per Xaverium in Orientem inducti, sanguinem suum profusuri sunt, & parata iisdem in cœlo gloria.

Genius Militantis Ecclesiæ. Genius Triumphantis.

Milit. Quæ scena, Divi panditur?
Quod sanguinis theatrum?
Nova Furor ardet prælia?
Nova busta machinatur?
Triumph Orientis hæc trophæa sunt,
Tuâ paranda dextrâ.
Milit. O quæ trophæa prælio
Superi paratis isto?

Tro-

Triumph. Trophæa digna ſedibus
Cœleſtibus locari.
Quot conſpicaris ſanguine
Manare in hoc theatro;
Tot emicare ſiderum
Videbis inter ignes.

Milit. Hocne eſt theatrum gloriæ?
Hæc empta ſcena laudum?
Ubi funeratum ſanguine
Taboque nat cadaver;
Ubi crepant ardentibus
Ambuſta membra flammis;
Cineresque paſſim compitis
Sparguntur inſepulti?
Hæc illa nempe flumina
Promiſſa gaudiorum?
Hoc illud eſt ſpectaculum?
Hæc vena fauſtitatis?
Memini! ſed ô felicitas
Brevis! brevis voluptas!
Memini, aſtra cùm promitteres,
Et plexilem coronam:
Sed nec coronas, nec mihi
Promiſſa reddis aſtra.

Triumph. Laboribus promiſimus
Et ſidera, & coronas.
Exercitatos prælijs
Videbis inter aſtra.
Pandantur orbes Cœlitûm,
Et Cœlitûm triumphi.

Vides

Vides Senatum sanguine
Ostroque purpuratum;
Radiata flammis tempora,
Palmis manus virentes?
Hic ille census funerum,
Cadaverumque turma.
Manante tabo hic diffluunt:
Ibi metunt coronas.
Mavortialem pulverem
Legunt in hoc theatro:
Ibi peracto prælio
Victorias recensent.
Vides? ad astra semita
Non est rosis parata;
Scis ipse: pulchrâ siderum
Emuntur astra morte.
Quos conspicaris sanguine
Manare in hoc theatro;
Hos emicare siderum
Nunc cernis inter ignes.

Milit. Seriem tuorum conspicor
ô Xavier laborum.
O chara, chara pignora!
O vos mei dolores!
Exosculor vos vulnera,
Exosculor cruorem;
O sanguis, ô volantibus
Aperta plaga telis!
O Parve Ferdinandule:
Sed magne alumne cœli!

O di-

O digne fertis Spinola
Exureris, beatè!
Hæc flamma ftellas vertice
Accendet æviternas.
Quis ille fune tortili
Giratur ad cataftam?

Triumph. Maftrillus à Xaverio
Ad Memnonas vocandus.

Milit. Maftrille, fœdam vertice
Demerfus in cloacam:
Hîc gutculam bibes, Ibi
Nectar bibes perenne.
Quæ turba quercu pendula?
Quæ fixa turba cedris?

Triumph. Xaverij laboribus
Paranda turba cœlo.
Paulus, Joannes, Didacus,
Trias inferenda cœlo.

Milit. O Paule! quis me ligneâ
Hac induat catafta?
O crux, beati corporis
Menfura! ne Joannes
Tui cruoris ubere
Precor irrigato rivo.

Triumph. O chara turba! gloria
Chinæque Japonumque!
Pendete: palmas fidera
Veftro parant labori.

CHORUS.

PARS I.

Zelus ad probandum Xaverij Genium Patientiam è dumeto vocat.

Zelus.

AUrum flamma probat: sed Patientia
Constantes animos. Quisque quid audeat,
Novit, cùm rigido funera turbine
Debellanda ferociunt.
Miles, quid valeat, discit ab æmulo.
Fortis sæpè sibi, vel validus Mimas,
Vel vasto Enceladus corpore, viribus
Collatus socio, est minor.
Diva assueta rubis, ô Patientia,
Quæ fortes animos, Martia pectora
Exerces rigido in bella ceromate,
Ventis ocyor advola.
Quantum Xaverius Numine pectora
Impletus valeat ferre, probabimus.
Si desiderio est par tolerantia,
Ipso est fortior Hercule.

PARS II.

Patientiæ jussu Cœlestes Genij per rosetum circumvolant, rosas Xaverio in æternitate reservandas colligunt.

Patien-

Patientia.

Virtuti ſpeciem demite fœminæ
Pictores fatui. Non levis error eſt,
Virtus fœmineâ culta ſuperbiâ.
Virtus ſola virum facit,
Et vires animis. Exere pectore
O Franciſce virum. Nam ſolidæ grave eſt
Virtutis ſpecimen. Quid valeas, ſciat
Facto poſteritas tuo.
Stellantis patriæ turba venuſtior,
Vernantes Genij, tollite purpuram
De ſpinis roſeam. Non leve poſtulat
Examen patientia.
Non florum patria eſt iſta, vel aureæ
Ætatis regio. Collige floream
Meſſem turba: rubos hic volo. Gaudijs
Servate æthereis roſas.

PARS III.

Patientia juſſu Zeli Xaverij Genium per ſpinas probat, & commendat.

Zelus. Patientia. Genius Xaverij.

Patient. Dumetum pedibus ſubjicio. *Genius.* Amplius!
Zelus. Da ſpinam in manicas. *Gen.* Amplius! amplius!
Zelus, Serto cinge comas. *Genius.* Amplius! amplius!
Virtus creſcit ab aſperis.

Zel.

Zel. Pectus punge rubis. *Gen.* Amplius! *Zel.* Insere
Spinis colla. *Gen.* Deus, Xaverium preme
Impresso Scythicæ dente tyrannidis,
Hac cœlum rapiam viâ.
Zel. Spinarum rigidos duc per aculeos.
Gen. His mentem stimulis acrius incitas
Currentem ad superæ munera gloriæ.
Si vis amplius ingere,
Pectus Xaverius non pavidum gero.
Patient. O felix animi Xavier! asperum
Virtutis docilis currere tramitem;
Æquâ fronte tyrannicæ
Sortis supplicia, ac sortis amabiles
Spectare insidias. *Zel.* Discite posteri,
Quos Zelus patrijs sedibus evocat,
Et bellare Deo jubet;
Non laudem facili quærere semitâ.
Rupis difficili gloria culmine
Sublimis sedet. Huc erige pectora,
Mentis magnanimæ sinum;
Cui pulchræ ambitio laudis inæstuat.
Felix qui potuit sanguine laureas
Emisse æthereas. Hoc pretio benè
Constat gloria Cœlitûm.

* *
*

ACTVS

ACTVS II.

SCENA PRIMA.

Evocati è cœlo Favonij mare involant, exturbant Boream & Aquilonem, & navigaturis in Europam Desiderijs mare componunt.

Zelus. Zephyrus. Favonius. Boreas. Aquilo.

Zel. ZEphyri catenas rumpite, & collo jugum
Excutite. Amores cernite Oceano vagos
Liquidum carinâ scindere parantes iter.
Quid agis juventus pigra ventorum? Licet,
Licet serenum turbine æquoreo super
Vultum explicare; quàque tumefacto Thetis
Irata sævit Nereo jocos dare.
Collude vernis risibus; rabiem freti
Molli flabello mitiga. Tempus vocat;
Favoniorum turba, quò Zelus jubet
Citate pennas: nectar excussis mari
Infundite alis. Omnis ad vestros jocos
Tempestuosi detumet ponti furor.

Fav. Mollis aura de sereno
Afflo cœli sidere.
Terge mota Tethys iras,
Aura lenis impero.

Ex aere mari incumbunt.

Ing

Inquilina turba ponti *Mare tumet.*
Pone bella fluctuum.
Lenis adsum, mollis afflo,
Pone Nereu jurgia.

Boreas. Jam rigentis ira Cauri *Mare occupant.*
Regna Nerei occupat.
Cede ponto blandioris
Turba fratris mollior.

Zephyr. Jure cœli militamus. *Colluctantur.*

Aquilo. Jure ponti obsistimus.

Favon. Quando Numen imperavit,
Obsequendum est jussibus.

Aquilo. Lege nullâ nos ligamur,
Non tenemur vinculis.

Zephyr Nempè Nerei furores
Qui retundit littore,
Imperavit. Obsequendum est.
Tolle ponto jurgia.

Boreas. Excitabo grandiorum *Insurg. fluctus, & detument.*
Montium repagula.

Favon. Diruemus grandiorum
Fluctuum repagula.

Aquilo. Intumesce fervor undæ.

Zephyr. Detumesce Nereu.

Boreas. Parte ab ista surge Tethys,

Favon Parte ab ista corrue.

Aquilo. Enatate monstra ponti.

Zephyr. Monstra Tethys obrue.

Boreas. Tota nobis unda pugnet.

Favon. Tota nobis lusitet.

Aquilo. Sudor omnis est inanis.
Boreas. Non inanis gloria.
Perge. *Aquilo.* Frustrà suscitamus
In procellas æquora:
Suscitata detumescunt,
Nec jubenti obtemperant.
Zephyr. Cede ponti jure tuba
Nata fluctus volvere,
Cede Nerei Tyranne, *Exred. Bor.*
Cede. *Bor.* Cedo. *Fav.* Fluctuum
Turbinator cede. *Aquil.* Cedo.
Favon. Sævientis Nerei
Sidit ira; jam quieto *Quiescit*
Imperamus æquori. *mare.*
Ite vota: jam jocantes
Crispat unda gratias,
Ite vota, jam quietus
Somnus undam inambulat.

SCENA SECUNDA.

Orientis Desideria placato mari, in Europam pro Xaverio solvunt, quibus secundi Venti & Tritones favent.

Desiderium 1.2.3.4.5. *Venti, Tritones.*

Des.1. Pelagi quiescit æstus. At nulla est quies
Votis amantûm. Quà sinus pandit suos
Europa, quà se Roma septeno polis

Vertice maritat, Vota spectamus diu.
O Roma, quæ tu gaudia Orienti dabis!
Def 2. Valete dulces interim patriæ lares,
Desideratos petimus Europæ sinus.
Def 3 Etesiarum blanda ludentum cohors,
Animæque molles Æoli, mites greges
Favoniorum, fronte, quâ colitis Hyblam,
Quâ per rubentes luditis Pæsti Deas,
Hac dormientis Nerei innantem salo
Afflate pinum fronte. Xaverio datis,
Quidquid favoris precibus Indorum datis!
Def. 4. Favete vitrei Doridum undantum globi
Molli natatu. Europa nos procul vocat,
Europa columen Indiæ, votum Chinæ,
Æthyopum amor. Favete. Xaverio datis
Quidquid favoris Indiæ votis datis.
Tritones. Ite fausta Romulæis *Stip. lat. navis.*
Adnatate vota terris:
Ludit unda, ludit aura,
Ite vota Memnonum.
Pax sereno nupta cœlo,
Pax amœno juncta ponto
Crispat undas, crispat auras,
Ite vota Japonum.
Def. 5. Neptunus adjocatur, & venti levem
Inambulant per aërem: hinc Zephyri soror
Aurilla nube candidâ flores pluit,
Hinc festa Triton cornua in plausus ciet.
Def. 1. Favete Zephyri, mollis animarum chorus!
Vestro labore littori Europæ dati

Def-

Desideratum petimus Orientis patrem.

Des. 2. Spirate dulcis Æoli proles, mare
Dum convoluto jurgio æquatum jacet.

Venti. Nulla quamvis sors serenas
Semper ambulet per auras,
Sed vicissim nunc opacet,
Nunc olympum enubilet:
Nos tamen severiores,
Grandinantes, & pluentes,
Fulminantes, & frementes
Turbines arcebimus;
Dum jacentem dormientis
Vecta ponti per soporem
Vestra pinus Romulæum
Tuta littus mordeat.
Ite fausta, Romuleas
Vota terras occupate:
Verna sese crispat aura,
Mitis unda lusitat.

Des. 3. Cynosura flammas eneca: certo mari
Amor carinam dirigit. Non est opus
Helices nitore, cùm regit naves Amor.

Des. 4. Exeste fletus Plejadum, Pollux adest.

Des. 5. Detergite Hyades lacrymas; Castor favet.

Dis. 1 Pollux Amor, Castor Amor, antennis sedet.

Des. 2. Tempestuosas imbrium Orion minas,
Rigidamque cohibe grandinem. Venti favent.

Venti. Feliciter! feliciter! feliciter!
Ite, dum secundiora *Saliunt in*

Ludit aura mitis ore, *aura.*
Dum serenitas jocatur:
Ite vota Memnonum.
Feliciter! feliciter! feliciter!
Des. 3. Jam parva specto littora Indorum, & procul
Europa turres arrigit. Feliciter!
Europa ratibus obviat, Memnon fugit.
Triton & Venti. Ite Vota dum sequuntur.
Serva Tethys, serva & aura:
Ite fausta Romulæis
Adnatate curribus.

SCENA TERTIA.

Zelus noctem stellasq; orbi inducit ut Xaverio per quietem repræsentet, quantum pondus pro Dei gloria gestandum suscipiat.

Zelus. Xaverius. Stella 1. Stella 2.
Prodeunt Stellæ in nocte.

Zel Jam Sole merso siderum vigiles chori
Pendete cœlis, & papavereâ solum
Nube irrigate. *Xav.* Noctis ô pulchræ decor!
Vigilatis astra Numini! Humani ah! pudor
Generis, quòd altùm dormit ardenti die,
Et nata cœlo pectora immergit Stygis
Lento sopori, medius & licet dies
Pendeat olympo, non videt medium diem.
Zel. Prodite Solis filiæ, & noctis decor.

Xav. Vigilatis? & quot Numinis cœci ad diem
Iacent sepulti. *Zel.* Siderum ancillæ manus
Spargite papaver.
Stella 1. Spargimus: Somni leves,
Et somniorum turba cum nimbo cadunt.
St. 2. Sæpè vigil orbis somniat, mentem gravi
Sopore mersus. *Zel.* Somniet noctem meus,
Sed mente vigilet Xavier. *Xav.* Noctis decus,
Et nictitantes pendulâ flammâ faces
Spectate, queîs aterrimus noctis color
Funestat animos. Heu! pudet mentem, pudet
Animum tenebris obsitum, & facnlis polum
Videre cinctum. *Stella* 1. Radius hic lucis nota est,
Quæ pectora adamat. *Xav.* Quisquis in cœlum levas
Cum fronte mentem; disce quis fulgor tuum
Addeceat animum. *Zel.* Noctis increscit color
Sensim per astra. *Stell.* 2. Pulsus est Solis sator,
Sed vivit in me. Mortuus ponti jacet
Sepultus undis; funeri ego flammam fero:
Sed funus istud funus Acheronti dabit.
His à tenebris nascitur sanctæ jubar
Felicitatis. Somnum dum nox dabis
Oculis Xaverii, somnio incipiet suam
Indus salutem. *Zel.* Somniet tandem meus
Indi salutem Xavier. Quantum hæc quies
Habebit instar serij. *Stell* 2. Æthyopum salus
Expergefiet somnio *Stell.* 3. O felix sopor!
Xav. At me, priusquam lumina in somnum cadant,

Solvere Tonanti debitum pensum decet
Ævi rotator, Numen, atque orbis Pater,
Cujus tonantes sancta majestas polos,
Et quidquid infra clauditur, nutu regit:
Dum noctis atror sensuum portas tenet,
Animum nitore pingat æthereo dies.
Zel. Hæc nox serenam barbaris lucem ferat
Dormi, Indicarum gentium dormi salus:
Dormi future Phœbe Nabathææ domûs.
At vos adeste somnia, & facili joco
Tentate mentem. Videat illusus nigras
Colore gentes; sarcinam Æthyopem ferat:
Et dormiendo gravibus assuescat malis.

SCENA QVARTA.

Xaverius dormiens medius in AEthyopum turba, unũ ex iis videtur sibi gestare. AEthyopes Xaverij virtutem, cui unus non sufficit orbis, admirantur; & inter choreas alterum illi ex arcubus orbem parant: mox ex iisdem navim instruunt, qua in Orientem deferatur.

Xaverius. Æthyopes 1. 2. 3 4. 5. 6.

Æth. 1 Dormit Venite: dormit, *Chorea.*
Æth. 2. Sudat: sed iste sudor
Nigros lavabit Indos.
Æth. 3. Calet; fluitque toto

Calo-

Caloris unda vultu.
Calet. calore ab isto
Rigidus calebit Indus.

Æth. 4. Dormit sub orbe. Somnus
O quàm profundus iste est!
Nequeunt profundiores
Somni esse, quàm sub orbe.

Æth. 5. Calet: sed igne amoris.
Sudat: sed undam amoris.

Æth. 6. Hoc balneum est amoris,
Hoc æstuat, lavatque.

Æth. 1. Hoc balneo Xaveri
Indos lavato. Solis
Niger Æthyops lavari — *Tergunt*
Potest amoris undis. — *frontem Xav.*

Xav. in somnio. Quò me vocatis astra!
Quos fertis in labores?

Æth. 2. Sudore profluente
Nigros lavabis Indos.

Xaver. Sudoribus lavabo.
Date pectus abluendum.

Æth. 3. Lavabimur beatè! — *Lavant se su-*
Calebimus beatè! — *dore Xaverij.*

Æth. 1. Europa candidorum — *Choreæ.*
Mortalium Magistra,
Et mater albicantûm
Europa filiorum,
Reclude dissecantem
Orbes ab orbe pontum.

Vnus Xaverio non sufficit orbis.

Æth. 2. Orientis ora totos — *Orbem compo-*

Sinus reclude, sive *nunt ex arcu-*
Quà nostra Parthus alto *bus.*
Excludit arma muro :
Seu quà Japon labrosus,
Aut Sina crine tortus
Mores habet nigranti
Non impares colori.
Vnus Xaverio non sufficit orbis

Æth. 3. Europa terminales
Tirinthij colossos :
Immerge Gaditanæ
Fervoribus procellæ :
Nullas habent amores
Metas suo calori.

Æth. 4. Quicunque amas, amori
Ne terminum locâris.
Ubi Herculis columnis
Disterminantur orbes,
Vetatque lemma gressum
Proferre; lemma dele,
Plus ultra Amor volabit,
Nullum scit ille finem,
Nec terminum vel ore,
Vel fronte adorat, uno
Non clauditur sub orbe,
Vnus Xaverio non sufficit orbis.

Æth 5. Amat. quid insolente
Mare æstuas procellâ ?
Procella nulla Amorem
Coërcet æstuantem.
Vnus Xaverio non suffi.it orbis.

Æth.6. Amat. jacete fluctus,
Amat. silete venti.
Hæc sphæra parva amanti est;
In alteram volabit.
Vnus Xaverio non sufficit orbis.

Æth.1, Aliô vocate curas. *Solvunt orbem.*
Ex arcubus carinam
Agitabilem parate:
Qua Xavier paterno
Avulsus occidente
In alterum natatu *Chorea, Navem*
Fausto feratur orbem. *componunt.*
Vnus Xaverio non sufficit orbis.

Æth.2, En navis. Amphitrite
Sinus tuos ministra,
Æole secundiores
In v la mitte ventos.
O Xavier paratæ *Sistunt navem*
Puppim occupa carinæ. *Xaverio,*
Inscende; solve portu.
Vnus Xaverio non sufficit orbis.

Xaver. Venio. Occidens valeto.
Venio. Oriens aveto.

Æth.1. Avara triplicatus
Qua solvit ora Ganges,
Et gemmeum parenti
Da Nereo tributum,
O Xavier trisulcâ
Citior vola sagittâ.

SCENA QVINTA.

Xaverius somno excitus DEO sese ad labores offert.

Xaverius.

Vigilo? vel oculis dubius illusis sopor
Adhuc inhæret? Atra, quæ circum latus
Egit choreas turba? quod pressis stetit
Pondus lacertis? quod novum ratis genus
Hærentem amico traxit illicio animum?
Non vana cœlum loquitur: & somno sua est
Fides habenda: Samuel testis, cui
Inductus oculis somnus oppressis quidem,
Sed veritatis pectori illuxit dies.
Agnosco cœli jussa; nec lento exequi
Parabo nisu. Quæ lateri adhæsit cohors
Nigrata vultum, perque festivam pedes
Egit choream, scilicet nostri quota
Pars est laboris? Ille, qui fessos pede
Calcavit humeros Æthyops, certus mihi est
Sudoris augur. Illa, quæ ante oculos stetit
Ratis, probavit Numini acceptum fore,
Qui nuper æstum pectori ingessit calor.
Nil deprecabor. Unde mihi segetem Deus
Offert laboris, inde non modici legam
Messem triumphi. Gloria hac venit viâ,
Quam sudor aptat. Pulchrius laurus viret,
Quam quisque proprio frontis excelsæ rigat
Sudore. Patrium Numen in suos habet

Ani-

Animum. Labores ingerit, multo jubet
Exercitari prælio, duro manus
Callo asperari, semper intentum novis
Vigilare curis pectus, & nullo otio
Marcere vires: provido semper tamen
Intendit oculo commodum: & quando ag-
gerit
Humeris laborem, lauream fronti parat.
Si vis beatum cernere, dolentem aspice.
Laboris ad decempedam æterni decus
Mensurat æther præmij. Infelix nimis;
Qui forte semper aureâ felix fuit:
Sibi negavit ipse sementem boni,
Vastæque messem gloriæ. His humeris Deus
Impone quidvis, meque fortunæ aspera
Duc per theatra, membra divulsis jube
Abire membris, colla volventi rotæ
Suppone, facibus ure congestis, caput
Avelle collo: parva sunt merces nimis
Cœli triumphis. Ibo, quà Ganges diem
Juvenem salutat: ibo; nec pedibus moram
Interfluentis Nerei opponet furor,
Nec barbarorum semper in manibus calens
Sanguissa cœde, nec rigens Hæmus nive,
Nec adusta Sole Lybia. Discrimen breve est
Parvi laboris; præmium æternum Deus
Cœlo reponit. O nimis vecors pecus!
Quisquis caduca sequitur, & sui immemor
Modicum laborem impendere æternis fugit.

SCE-

SCENA SEXTA.

Orientis Desideria post longos maris tractus tandem Europam attingunt, eamq; cum ingenti Xaverij desiderio salutant.

Desideria.

Desider. 1. Adamata tandem littora, cupitum solum
Superata post tot maria, tot rerum vices,
Et evolutos turbines cœli, premo.
Europa Regum sanguis, & mundi decus,
Alumna cœli, Domina terrarum, potens
Europa salve; & Indiæ vota accipe.
Amat: Nec ultra postulat, Dixi satis.
Sit quid sit amor, intelligas. Ille intimas
Vitæ medullas exedit. Vitam dabis,
Si des amatum. Quanta tormenta adferat
Amor tyrannus pectori, aliquando licet
Sentire, sed non eloqui. Elinguem facit
Tormentum amoris. Levius est Getico caput
Nudare chalybi, Sarmatæ pectus dare
Exhauriendum; aut Caspiæ corpus Leæ
Lacerandum ab ungue; quàm per exosas moras
Carere amato. Amarus omnis est amor,
Siquando amato fata non sinunt frui.
Amat. Petitis Indiæ Europa annue.
Des. 2. Superatus æstus Nerei optatam dedit

Votis arenam; littore adamato tenet
Anchora carinam: prima promissi boni
Aperta scena est: altera ut nondum patet,
Desiderantûm vota nemo audit. Salum,
Solumque, & aer voce clamantûm sonat;
Pulsatur aula Cælitum; & quidquid sacrum
Æterna vasti templa venerantur poli,
At nemo votis annuit. *De.* 3. Quisquis polos
Rerumque frænas omnium Rector vices,
Amantis audi vota; Xaverium Indiæ
Annue calenti: cujus adventu Chamis,
Fotoquis, Amidas Numinum turpis trias
Orbem sepultum, lucis immunes domos
Tetrumque repetant noctis æternæ chaos.
Audis Xaveri: pectora cremamur: fibris
Affundis undam, vota si nostra excipis.
Des. 4. Si quisquam amoris vota contemptim potest
Bibere, nec haustâ corda molliri face;
Non ille mentis indolem humano bibit
Sanguine, sed atrâ natus umbrarum domo
Ubera puellus suxit Armeniæ Tigris:
Aut sub remoto Caspii montis jugo
Pastus cruentæ lacte succrevit Leæ.
Amor ubi amatum tangit, emollit quoque;
Si te Indianæ gentis eversus decor,
Et in ruinam proximo spectans gradu
Accendit orbis alter, Europam jube
Valere, ut oris Indicæ accedas novum
Sidus Xaveri, Non amas, si non venis.
Audis Xaveri? ab ignibus tuis calet

Orientis anima: dexteram Cliens tuam
Opem supremam, rebus in summis, petit.
Def. Deam Quirinam, gentium, & mundi arbitram
Adeamus: Illi magna nostrarum sedet
In corde cura mentium, & votum boni:
Ab hac salutis tota spes nostræ venit.

CHORVS.

PARS. I.

Zelus, & Amor spinas, quibus incinctus procedit Xaverii Genius, accendunt.

Zelus.

IMmane textum, sentibus horridum
Quod cingit artus, non ego vincula,
Non vulnerum credo Tyrannum;
Sed stimulos animi incitandi.
Ego æstuantis materiem facis
Seirenque credo. Vidimus ignium
Olim calores per rubetum
Innocuis radiare flammis:
Per senticosum par tibi flammula
Curret rubetum, fulgeat, ardeat,
Impellat, accendat, serenet,
Corda liquet meliore tæda.

PARS II.

Pars. II

Ardet concepto igne Xaverii Genius, & in Amoris brachiis deliquium patitur.

Amor. Genius Xaverii.

Amor. Incendiorum flamma parens, sacri
Ancilla Amoris, nobilis ignium
Exsuscitatrix, sentícosum
Xaverii pete flamma textum. *Iacit igne.*
Habet Crematur Pectora ab ignibus
Correpta flamment. Exterior levis,
Sed major intus flamma torret,
Flamma animi populata sedem.
Genius. O mentis æstus! o amor! ardeo!
Non talis Ætnam depopulantibus
Incendiis, non talis ardor
Trinacrios populatur agros.
O æstus! ô vis pectoris hospita!
O mentis ardor! Cor mihi palpitat;
Salitque venа, collabasco. *Deliqu. patitur.*
Atra oculis rapit umbra lucem.
O quis Sabææ nubis odoribus
Vim fragrantis? subjice brachia
Amor cadenti colliquescunt
In mediis mihi corda flammis.

**
*

Orientis anima : dexteram Cliens tuam
Opem supremam, rebus in summis, petit.
Desi. Deam Quirinam, gentium, & mundi arbitram
Adeamus : Illi magna nostrarum sedet
In corde cura mentium, & votum boni.
Ab hac salutis tota spes nostræ venit.

CHORUS.

PARS. I.

Zelus, & Amor spinas, quibus incinctus procedit Xaverii Genius, accendunt.

Zelus.

Immane textum, sentibus horridum
Quod cingit artus, non ego vincula,
Non vulnerum credo Tyrannum;
Sed stimulos animi incitandi.
Ego æstuantis materiem facis
Se(r)enque credo. Vidimus ignium
Olim calores per rubetum
Innocuis radiare flammis:
Per senticosum par tibi flammula
Curat rubetum, fulgeat, ardeat,
Impellat, accendat, serenet,
Corda liquet meliore tædâ.

Pars II.

PARS. II

Ardet concepto igne Xaverii Genius, & in Amoris brachiis deliquium patitur.

Amor. Genius Xaverii.

Amor. Incendiorum flamma parens, sacri
Ancilla Amoris, nobilis ignium
Exsuscitatrix, sentiosum
Xaverii pete flamma textum.
Habet. Crematur Pectora ab ignibus
Correpta flamment. Exterior levis,
Sed major intus flamma torret,
Flamma animi populata sedem.
Genius. O mentis æstus! ô amor! ardeo!
Non talis Ætnam depopulantibus
Incendiis, non talis ardor
Trinacrios populatur agros.
O æstus! ô vis pectoris hospita!
O mentis ardor! Cor mihi palpitat;
Salitque venas collabasco.
Atra oculis rapit umbra lucem.
O quis Sabææ nubis odoribus
Vim fragrantibus? subjice brachia
Amor cadenti colliquescunt
In mediis mihi corda flammis.

Iacit ignem.

Deliqu. patitur

**
*

PARS III.

PARS III.

Ardentem Xaverii Genium, ut refocillet, Zelus in aquam conjicit; sed aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

Zelus. Amor. Genius Xaverii.

Zel. Aquas Amori affundite: aquas date,
Aquas Amori, quin date Nereo
Mergendum Amorem. Exæstuanti
Non aliud medicamen igni est.
Amor. Hic pontus. Istis mergere Xavier
Totus sub vndis. *Gen.* Quæ mihi Nereu
Portenta confingis? Liquentes
Flamma magis calet inter undas,
Æstumque major roborat impetus.
Non occidetur, pectore qui calet, *In aquis ardet.*
Amoris ardor: charitatem
Multus aquæ nihil urget æstus.
Si quis meorum robora crescere
Velit calorum, flumina congerat,
Et omne Neptuni tributum:
Major aquâ mihi crescit æstus.
Am. Vera est amantis (Xavier id probat)
Vox Sponsæ: *Amoris nil nocet ignibus
Pontus, nec ingestis procellis
Interimit mare charitatem.*

***
*

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Orientis desideria exponunt vota sua Romanæ Ecclesiæ: ab hac ad Virtutum domos diriguntur; ubi Xaverium reperiendum docet.

Desideria Orientis. Ecclesia.

Desid. 1. Quirina Princeps, cui per augustum caput
Radiatur aurum triplici nexu, Dei
Amica Roma: cujus in curas venit
Uterque mundus, sceptra cui Numen dedit,
Jussitque Dominâ regere tellurem manu,
Audi, quod orbis alter in votis habet.
Eccles. Pandite Orientis vota: non segnem dabo
Desideranti dexteram, Primum reor
Decus esse Romæ, supplici auxilium dare.
De. 1. Feroce postquam gentis incultæ manu
Thomas peremptus; cujus imperio Fides
Latè per Indos spolia rapiebat Stygi.
Vastumque cœlo industria tributum dabat;
Obscura pestis Tœnari rupit fores,
Aurasque nacta liberas mundi, chaos
Caliginemque noctis æternæ attulit,
Hinc mens Tonantis nescia, perennis boni

Ignara venæ, nec futurorum appetens,
Avia caducis inhiat, & nunquam satur
Avido fugaces ore divitias capit:
Sequuntur ira, fraus, doli, ambitio impotens,
Libido, Erynnes legis impatiens amor,
Furta, & rapinæ; quæque suspensis micant
Urbes superbæ turribus, non jam domos
Humanitatis, sed latrocinii voca
Spelæa aperta. Regula extincta est boni,
Fas omne ruptum, juris exclusus rigor,
Legum soluta vincula, antiquæ tenor
Humanitatis barbaro ritu exulat.
Hinc illa cœli neptis, & partus tuus
Religio luctu fœda, Virgineos sinus
Lacerata, fracta, sanguine effuso madet,
Tuamque semper avida suspirat manum.
Eccl. Nos per dolores crescimus. Quando cadunt
Demessa ferro capita, truncatæ manus,
Avulsa membris membra, lacerati sinus,
Latoque fusus Martyrum rivo cruor:
Tum nova futuri generis, & stirpis meæ
Disseminatur gloria. Effuso magis
Cruore cresco. Qualis augetur gravi
Agitatus ignis Æolo; aut qualis nitor
Coruscus auri major à flammis redit.
Virtus probatur asperis, duris fides.
Def. 2 Stetit inter æstus ignium intrepido fides
Animata pectus robore, & victrix stetit
Sæpè inter iras ensium; at ferro quoquè
Cecidit perempta in filiis. Si quis Deo
Instruat acerras, funeri extremam suo
Acce-

Accelerat horam. Paribus incedunt viis
Veri Tonantis cultus, & mortis rigor.
At ficta prostant interim, & passim sacris
Numina coluntur: flectitur laxo genu,
Argento, & auro: Numini ligno cremat
Acerra thura; saxeus cœlum Deus,
Solum, salumque ligneus flectit Deus.
Hunc stringit inter brachia tenellus pu-
Primoque labiis lacte perfusis premit:
Hunc mane adorat mulier, hunc viri, hunc senes
Venerantur unà; quodque mihi penitum exedit
Animum dolore, cæcitas semper novo
Errore ducta crescit, & centum sibi
Profundi ad antra Ditis inquirit vias.
Ec. Sobolis ruina non potest Matri gravem
Non ferre luctum. Quotquot infami Crucis
Peperit in arâ, sanguine absolvens suo,
Primi Nepotes patris, & pomi reos
Summi Tonantis filius: totidem mihi
Jubet esse natos: quotquot hinc pereunt, mea
Laniant dolore viscera At dabimus tamen
Malo medelam: Veniet in votum tuum
Victrix furentum Manium cœli fides,
Dei propago, Pneumatis multo sacri
Adjuta flatu, & barbaræ mentis ferum
Calcans furorem: jura dictabit solo
Legesque Eoo; postque disjectos Deos
Sedem redemptis figet Orientis plagis.
Des. 3. O digna cœlis inferi, & toto coli
Regina mundo, facilis in votum Dea,
Meditata propera in exitum. Si te movet

Peri-

Periclitantis dubius Orientis status,
Et illa nostræ gentis excidium, lues,
Pridem expeditam mitte Xaverii manum.
Spes tota in uno est: unus affectum rapit:
Unus timorem pariter & amorem excitat.
Xaverius absit, cordis imperium occupat
Timor severus: adsit, imperium animi
Amor occupabit; ante nec dabitur quies,
Ceu pontus undis fluctuans non se prius
Sternit quiete, quàm procellarum impetum
Zephyritis aura molliat; non se prius
Componet Oriens, quàm sinu emissus tuo
Xaverius Indis Iridem pacis ferat.
Indulge amori Diva, quod tanto petit
Ardore Memnon. *Eo.* Justa cum poscis preci
Annuere cogis. Sancta poscenti est nefas
Negare votum. Dabitur optatæ tibi
Genitor salutis. Ille terrarum potens
Et Amphitrites spacia metiri? ultimam
Lumine, fugatis noctibus, cladem dabit.
Illi superno flamma jam pridem æthere
Delapsa mentem tetigit, & propius fibras
Cremans; amores orbis extremi indidit.
Hic, ubi propinqua templa Virtutes colunt,
Numinis Alumnus Xavier sanctis preces
Affundit aris. Vota non dabitis levi
Portanda vento Pergite, eventus bonos
Xaveriani spondet ardoris calor.
Desi. Exosculamur liminis marmor sacri.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Xaverius Virtutum documentis exercetur.

Virtus. Xaverius. Simplicitas. Castitas. Patientia. Iustitia. Constantia. Obedientia Charitas.

Virtus. Ignava Virtus mortuâ distat parum.
Tentata semper fortior bello redit.
Magna meditanti non licet signi ocio
Torpere. Si te Xavier pulchri cremat
Scintilla honoris, cujus ad lauros iter
Insterno virtus; ede, quæ quondam tibi
Documenta scripsi: quando sub Christo jugum
Famulare trahere, & quod ubi vitæ est super,
Æternitati impendere, ardentes Dei
Jurâsti ad aras. *Simpl.* Prima Simplicitas fui
Morum Magistra. Specimen effinge hic mei.
Xav. Leges dedisti Virgo speculari in vitro.
Sincera rebus forma statuatur nihil
Ore peregrino finge; dissimula nihil:
Nil suspicare. Quidlibet suo voca
Nomine: colorem deme nec rebus suum.
Sincera nunquam specula mentiri sciunt.
Simpl. Non incapaci pectori leges dedi
Laudo, proboque. *Pat.* Proxima umbonem dedi.
Præcepta recole. *Xa.* Ferre violentæ manus
Adversa tela: quando fulmineo tonat

Fore

Fortuna motu, non queri: quando impetit,
Silere: quando multa patiendi undique
Se messis offert, gaudio excipere: seges
Cùm nulla se offert, quærere.
Pat. Ad numeros tenes
Patientiæ præcepta: te tâlem quoque
Cœlo probâsti. *Castit.* Lilii intactas ego
Nives coronâ spineâ cinctas dedi,
Quid tunc profata? *Xav.* Mentis integritas regat
Rebelle corpus. Omnis exsortes gere
Labis medullas, Angelus vive, aspice
Non multa: paucis aurium obsequium exhibe:
Mors per fenestras intrat. Attenua flagris
Carnis vigorem: subde spiritui impetum,
Et ante mortem morere. *Ca.* Quod dixi, facis.
Et somniantem sanguine effuso scio
Bellâsse pro me *Iust.* Justitia tuis dedi
Manibus bilancem *Xaver.* Pectore excepi, *Iust.*
Refer
Jura æquitatis *Xav.* Prima justitiæ nota
Sua vindicare scelera, nec molli manu
Sibi imperare: regere ad imperium Dei
Animi tumultum; sponte sibi leges dare:
Mentem incitare præmio: & pœnæ metu
Vitare multa. *Iust*: Præmium, & pœnas pari
Decerne lance. *Const.* Flammulam in silice dedi,
Chalybemque dextræ.
Xav. Sæpiùs tactâ excidit
Scintilla silice. Talis, ajebas, age
Francisce semper. Quidquid adverso impetu
Fortuna cudit, est Chalybs: tu sis silex.

Si premat, in ignes exsili, & cœlo involat
Si blandiatur, ictus est alter; pari
Da fronte flammas, teque sub cœlos leva.
Animum nec ullus fortis evertat furor,
Nec blandientis ullus attollat favor.
Par est Tonanti, quisquis hac suam potest
Frænare vitam lege, nec frontis jubar
Variante sorte variat. *Ob.* Ego globum dedi;
Xav. Ego rotavi. *Obed.* An obstitit: *Xaver.* Nunquam. *Obed.* Decet
Id obsequentem *Xav.* Facilis, ajebas, globum
Impulsus agitat; facilis in leges veni,
Et non coactus obsequi. Quà te ferunt
Aliena jussa, perge non lento gradu.
Senile fulcrum baculus arbitrio manus
Et huc, & illuc vertitur. Vita carens
Cadaver auri divite ornatu indue,
Jube, coruscans ebore pulvinar premat:
Sed rursus auri divite ornatu exue,
Solioque rursus ejice: ad nutus tuos
Habes cadaver obsequens. *Ob.* Omnem tenens
Magister artem.
Char. Flammulam ardentem dedi.
Xav. Extincta nunquam est. *Char.* Lege quâ flammam foves?
Xav. Tuâ. Stet astris semper intentus, solo
Aversus animus semper. Hoc alto magis
Cœlo propinquas, quò magis terris abis.
Nunquam otiandum est. Otium est vivi merum
Hominis sepulchrum. Sicubi est vivax amor,
Operatur aliquid: mortuum credas, ubi

Nihil operatur. *Ch.* Dignus es, cui se polus
Inclinet omnis. *Virt.* Dignus es, cujus Deus
Humeris ferendum gloriæ pondus suæ
Imponat. At quæ turba peregrinum pedem
Importat ædi? Claudite æratas fores.

SCENA TERTIA.

Desideria quærunt Xaverium per Virtutum domos.

Desideria Orientis. Virtutes supra nominatæ.

Def. 1. Audite clausa tecta Virtutum, lares
Faciles precantûm vocibus, & Homini Deo
Habitata mœnia: jussa Reginæ fero,
Quæ Romulæa temperat nutu sacra.
Pandite beatum limen, & patrium Dei
Reserate tectum: pandite æternas domos
Divûm coruscas luce: Xaverium date.
D 2. Clare reducto poste patuerunt fores.
Def. 1. O humilis animi Domina, Virtutum basis,
Quæ mentis æstu spiritum inflatum domas,
Paterisque temet abjici extremum in locum,
Dea pura fraudis: tune Xaverio locum,
Sedemque præbes? *Hum.* Præbui? at pridem
Bene eruditus legibus gressum tulit meis
Ad altiora. *Def.* 1. Diva, quæ nullo imbuis
Frontem colore, simplici cultu Deo
Terræque chara; tune Xaverium tenes?

Simpl.

Simpl Tenui. Sed actor impiger scenâ meâ
In altiorem prodiit. *Des 3.* Talem mihi
In mente pinxi, cujus Orientem Deus
Imponat humeris: nempe, qui cursu incito
Virtutis omnem pulverem in stadio legat.
Des. 1. Tu forte, patiens Virgo, patienti larem
Dedisti Alumno? *Pa.* In prælia aptavi virum,
Seu quæ tyrannæ fortis inimicus gravi
Intentat ardor impetu: seu quæ Styge
Dux fulminantis Tartari in apertum trahit.
Sed, terminalis nescius metæ, suos
Ultra labores protulit. *De 4.* Viri hinc magis
Cupido crescit, quò magis honestos citat
Animi labores. *D. 1.* Integræ mentis parens,
Quæ liliatis media procedis choris,
Agnumque cœli sequeris, in votum veni,
Et da petentis precibus orientis virum,
Cui tota mundi alterius incumbit salus.
Ca. Docui modestâ Virginem oculorum diem
Frænare nube; crura constricto arctiùs
Ligare fune; verbere in proprium flagri
Sævire tergus, Didicit; & cupidus viam
Virtutis omnem legere, discessit. *De 4.* Placet
Honesta flammâ cordis, & studio sitis
Ardente fervens. *Des. 1.* Æquitas seu tu velis
Rigida vocari chalybe seu magis ambias
Magnifica dici præmiis; quem tot soli
Salique per discrimina optamus virum,
Dum justa petimus, justa tu nobis dabis.
Iust Pergite secunda ducet ad votum via.
Ad vindicanda scelera formatus sibi

Judex,& actor,& reus,plenum sui
Nactus dominium, & cupidus alterius boni
Gressus adursit.*De.5* Semitæ insiste;obvius
Tandem precanti veniet. *Des.* 1. O constans Dea,
Munita clypeo pectus, & galeâ caput
Vides precantis vota.*Const.*Sed votum tamen
Non reddo,*Des.*1.Nec tu,Diva,quæ leges doces
Obtemperandi,& proprii arbitrii trahis
In fræna motus?*Ob.* Proximum limen tenes.
Hic ubi Sacerdos Numinis primus sacras
Stat Amor ad aras,Xavier summum tenet
Virtutis apicem?*Des.* 2. Cardo concussus sonat.

SCENA QUARTA.

Tandem à Desideriis invenitur Xaverius,cum Ignatio se Deo devovens in Amoris Divini templo.

Desideria Orientis. Amor Ignatius. Xaverius.

Am. Di. Veræ per omnes gloriæ ductus vices
Xaverius hic est.Ille,cui pectus meo
Calore fervet,qui sacramentum Deo
Dicit laboris. Tota spes hic est tuæ
Oriens salutis.*Ign.*Numen,hanc animam precor
Tuam jube esse. Dulce pro Christo mihi est
Vivere,morique.Mille si Deus mihi
Animas dedisses,mille pro te animas darem.
Nunc una superest, una millenis tua

In Jura vicibus transeat. Vel, si jubes,
Mille unus, addam legibus mentes tuis.
Hæc una studium versat accensum sitis
Hæc una pectus incitat avarum fames:
Si quos sinistras error in sectas trahit
Per trita legum jura, per spretum Deum,
Contempta per decreta, per scelerum gradus;
Illos salutis tramiti rursum dare,
Illis emendis nullus est nimius labor.
Quidcunque dederis, nil dabis magnum: Dei
Impensus illi sanguinis, haud ulli potest
Par esse precio. Sudor ibi noster bene
Manat, ubi fluxit Numinis sanguis prius
Exuberante flumine. *Xav.* An placeo Deus?
Laboribusque dignus an videor tuis!
Jube repostas Sole sub Eoo plagas,
Multoque adustum Sirio Lybiæ solum
Xaverium adire, finibus mundi ultimis
Caput hoc dicabo. Nulla tam vasto jacet
Secreta ponto terra, quam fugiam mari
Penetrare domito: nulla tam crudas alit
Fovetque regio belluas, quarum timor
Percellat animum: nulla tam incultos habet
Barbaria mores; nulla tam mundo procul
Pelagi vomentis nauseâ ejecta est plaga,
Cui me negârim *Des.* 1. O certa Memnonidum salus
Desiderate Xavier! *Des.* 2. Nostræ ô caput
Felicitatis Xavier! *Des.* 3. Nostræ artifex
Beatitatis! *Des.* 4. Columen ô vitæ meæ!
Salve propitium rebus Orientis caput.

Des. O vita salve Gangis! ô Indi parens!
Et collabantis Japonum Imperii salus!
O Celtiberi maximum mundi decus!
Vides? profundo ducta Phlegetontis lacu
Megera, geminam manibus incestis facem
Quatiens, per oras Memnonum vastas trahit
Hominum ruinas, incubat terræ jugum
Crudele, dirum, barbarum, illætabile.
Opponere unum cladibus nostris virum
Lojola potis es. India invitat, rogat
Oriens, Quirina Numinis vindex Dea
Concedit ultro Xavier, vultum explicet,
Obtendat arma, pectus ingentis capax
Animæ, vaganti pestis opponat malo;
Omnem profundo Tartari partu editam
Luem fugabit, *Ign.* Ergò tu pressi ultimum
Mundi levamen ibis? *Xaver* Imperia tua
Accipere promptus, exequi velox, Pater,
Hic qualis adsto, talis Orientem petam.
Nullum paratis obsequi, imperium est grave.
Jube per æstus ignium, & arenas Lybis
Adusta Cancro regna, per canum gelu
Ursæ impotentis ire, per Tauri juga,
Habitata monstris nemora, non segnis ruam,
Jube: sine rate Caspium evincam mare.
Et imperitas doctor ad nandum manus
Amor expeditas reddet. O jube Pater,
Obtemperantem filium ut cernas, jube,
Ign. O quantus animi Xavier! quantas ages
Cœlo catervas. Parva non agit, animo
Qui magna volvit. *Xav.* Ibimus; qua nos vocat
Pre-

Precium labor s grande, quà veri rudes
Mentes parantur Numini *Ign.* Calle aspero
Iter hoc terendum est *Xav.* Aspera ad cœlum est
via.
Ign. Multo notanda sanguine. *Xav.* Ostendam
viam,
Qua vasta post me turba Memnonidas petat.
Ign. Jugulo sagittas barbari in cædem parant.
Xa. Petant: Amori remiges pennas dabunt.
Ign. Cor. de satiabunt imp. am effosso sitim.
Xav Pectoris aperti noscar, & quidquid loqui
Parabam aperto pectori inscriptum legent.
Ign. Durus character ille, qui ferro intimo
Pectori inaratur. *Xav* Sed Tonans illum legit.
Amor. O anime terris altior! anime ultimam
Cladem dature Tartaro! non te dedit,
Sed commodavit Numen Europæ hactenus;
Unde in remotos ultimi mundi sinus
Traheres micantem jubaris æterni facem.
Indeses animus orbe non uno satis
Habet laborum: moris humani rudes
Invadit oras, quas procellosum mare
Consortio hominum prohibet, aut fluctu extimum
In littus urget. Ite, jam votis datur
Desideratus Xavier. Ponto ratem
Reducem parate. *Def. 5.* Abimus Ignati fave.
Libamus aræ limen, & grates damus.

SCENA QUINTA.

Ignatius Xaverium animat ad durum Virtutis iter, & valedicit.

Ignatius. Xaverius.

Ign. Jam vota cœlo, jam sacramentum Deo
Vitæ dedisti Xavier: tellus patet
Nabathæa votis, cujus in gremium Crucis
Inferre signa liceat, & nostri sacra
Vexilla Regis Ille monstrorum parens
Fœcundus Oriens, corde cui totus sedet
Avernus imo, dexteram auxilio vocat.
Magnum laborum pondus incumbit; tamen
Parata cœlo laurea labori viret.
Xav. Hac nempe lege vivimus: cœlum gravi
Labore nundinamur, & pressi malis
Ad astra patria tendimus. Fluctus ratem
Per calida ponti jurgia, & bella æquoris
Felicitatis ducit in portum. Rubi
Frequens satelles horret; at spinis rosa
Adnata surgit. Laureæ hac veniunt via,
Quâ seminantur prælia, & bullit calor
Mavortialis, Gloria Heroes amat,
Nec dormientis vertici imponit jubar,
Aut otioso gloriam. Forti polus
Prostat labore. Dura qui vitat, fugit
Beatitatis emere venalis decus.
Non est ad astra mollis è terris via.
Æternitatis unicum pretium est, pati.

Ign. Quid illa porrò gentis eversæ cohors,
Quam tibi paratam gloriæ messem dabit?
Anima redempta, maxima est laudum seges.
Quid ille nostro in orbe peregrinus Deus
Per tot labores, frigora ac æstus, famem
Sitimque & atra spiritum extrusum Cruce
Poposcit aliud, quam laborantes sua
Animas ruinâ, morte mercari Patri.
Adjutor ille est Numinis, quisquis sui
Animam laboris merce lucratur Deo.
Xav. Si victimato sanguine & crudâ nece
Aliena prostant commoda, & mentis salus;
Spargatur omnis, quisquis in nostris fluit
Refluitque venis: vita cum nimbo effluat.
Plus fœneratur prodigus vitæ Deo,
Quàm parcus animæ. Viribus lethi undique
Patemus omnes. exitus multâ viâ
Concessus animæ est. Ista non minima est meæ
Portio salutis. Ora vel jugulum petar,
Et jugulo & ore Spiritus fundi potest.
Ign. Non exeuntem Spiritum aut mortem probo;
Moriendi amores æstimo mori, malum est
Commune cunctis: velle pro Christo mori,
Hoc singulare est Xavier. Par hinc honor
Seu capite trunco sidera, aut trunco pede
Intres; nec emitur vulneris loco polus,
Sed vulnere ipso. *Xav* Vulneri totum dico;
Quà pateo, corpus. *Ign.* Anima superest malis
Xav. Hæc semita est ad gloriam. *Ign.* Hoc precio bene

Emuntur astra. *Xa.* junge cõmplexum ultimum:
Fatisque cum cessisse Xaverium audies,
Animæ favere Numinis rorem jube.
Ign. Deus in propinquo est. Xavier. Si fas foret,
Quantum inviderem. Rursus in pectus ruo.
Cætera peroret clausus in venis Amor.
Xav. Hoc est amantùm proprium: Corde abdito
Sentire semper plura, quàm possint loqui.

SCENA SEXTA.

Europa de Xaverii abitu dolet.

Europa. Amores Italia, Gallia, Hispania, Lusitania.

Europa. Quisquis meos dolores
Non novit æstimare,
Videat meos amores.
Amor doloris ulna est,
Hac metiare nostros
Et æstima dolores.
Dolete, si potestis:
Dolere præ dolore.
Mei dolete Amores.
Amores. Amavimus; dolemus,
Amor est parens dolorum.
Amor Hisp O Xavier, charybdis
Sævæque præda scyllæ,
Inambulabis æquor?
Quod Æolis tumescit,
Quod vallibus recludit.

Sepulchra navigantum:
Quod volvitur, nec ullâ
Componitur quiete.

Europa. O blandioris uda
Favete Regna Nerei.

Amor. Ital. Ab imminente palmum
Vix morte distat unum,
Qui lusui Amphitrites
Credit suam salutem:

Europa. O blandioris uda
Favete Regna Nerei.

Amor. Gal. O Xavier, volanti
Malè credulus Notorum
Fidei per arva ponti
Penetrabis in remota
Nascentis arva Phœbi?

Amor Lusit. Nulla est fides vel undæ,
Vel blandientis auræ:
Et hæc, & illa frontem
Mox exuit serenam,
Mox induit severam:
Mox dormit, & quiescit;
Mox surgit, & ferocit.
Secura vita non est,
Quam jactat unda, & aura
Arbitrio furoris,

Europa. Navi favete molles
Animæ Favoniorum;
Zephyritis omnis, omnis
Cohors Etesiarum.
At vos, mei dolores,

Dolete, si potestis
Dolere præ dolore.
Mei dolete Amores.
Amores. *Amavimus; dolemus;*
Amor parens dolorum est.
Europa. Gemini fuêre ocelli
Lojola Xavierque:
E fronte ocellus unus
Mihi rapitur *Dolete,*
Mei dolete Amores.
Amores. *Amavimus; dolemus:*
Liquitur Amor dolore.
Europa. Europa Diva, Mundi
Credebar hortus esse:
Flos raptus est; Eremus,
Et vastitas manebo:
Cùm Xavier migrabit,
Flos omnis avolabit,
Mei dolete Amores.
Amores. Nihil potest dolere,
Qui nil potest amare:
Amavimus; dolemus.
Europa. Europa sidus orbis
Putabar esse, sidus
Extinguitur sed istud,
Cùm me fugis Xaveri.
Mei dolete Amores.
Amores. *Amavimus; dolemus.*
Europa. Europa clarus orbis
Cessem annulus vocari;
Ubi gemma prima mundi

Mihi raperis Xaveri.
Sol desinam vocari,
Ubi prima flamma lucis?
Mihi raperis Xaveri.
Cor desinam vocari,
Ubi anima prima cordis?
Mihi raperis Xaveri.
Dolete, si potestis
Dolere præ dolore;
Me dolete Amores;

Amores. Amavimus, dolemus;
Sed quem tamen dolemus;
Non vincimus dolore.
Volat ille, nos moramur.
Age tempus increpemus;
Per ima, perque summa,
Per opaca, per serena,
Per uda perque sicca
Amore subsequamur;
Vis minor est doloris,
Ubi major est amoris.

** *
*

CHORVS.

PARS. I.

Amor alas Xaverii Genio applicat ad volandum.

Amor.

INers jacentis pectoris otium,
Desesque virtus proxima funeri est.
Quod vivit æternùm, movetur,
Sic faciles radiantis æthræ
Rotantur orbes, seque volatili
Urgent meatu. Surripe te solo
Francisce torpenti, & penetra
Memnonias novus hospes oras.
Nil hic morandum est. Aspice Cynthium,
Non sistit unâ sede sed impiger
Procedit, ascendit, volatque
Hesperias subiturus undas:
Rursusque prodit; rursus & aureum
Differt tributum; nec patitur suis
Vacare quadrigis rigentem
Arsinoën, gelidumque septem
Plaustrum Trionum. Xavier evola,
Amoris alas applico tergori.
I, perge Xaveri, volatu
Memnonios penetra recessus.

PARS II.

Zelus adjungit Xaverio facem, quam Orienti inferat.

Zelus.

Adjungo flammam Zelus, honoribus
Aptam parandis Numinis. Hanc Dei
Quondam propago Orbis saluti
Intulerat pereuntis: altum
Suis profatus: *Quid, nisi ut ardeat,*
Volo? Hæc remotam luxit in Africam,
Lustravit Europam, ultimasque
Barbariæ penetravit oras.
Hanc nuper Indi, Gangis & accolis
Monstrâsse Thomam credimus. Hac novus
Hospes Xaveri barbarorum
Antra subi, Japonumque lustra.
Et, quas Averno Fotoquis aut Chamis
Tulêre noctes, lumine discute;
Delubra, & aras, & calentes
In cineres age flammâ acerras.
Tum suaviori mentium in intima
Subi favilla. Numinis ingere
Scientiam veri, fidemque:
Tum calidis animos amoris
Incende telis. Hoc volo, ut ardeat
Hæc flamma, & urat monstra protervię,
Illuminet, pungat, serenet,
Irradiet, moveatque mentes.

PARS III.

Xaverij Genius ita instructus Orientem versus volatum dirigit.

Amor. Zelus. Genius Xaverij.

Gen. Xav. Sic est volandum. *Amor.* Sideris indolem
Natura magnis ingenuit viris,
Ut luceant; & negligentes
Pené sui, reliquis laborent.
Zel. Sic undâ Orontes, sic Erythra, & Tagus,
Hermusque & Indus non sibi gemmeas
Agunt procellas; sed tributo,
Quam peragrant, regionem inundant.
Gen Xav. Ibo, cruentas quà soboles patris
Collo sarissis imprimit, & nece
Natus parentis, pignorumque
Cæde parens alitur suorum;
Ibo, exulantem quà gravior jugo
Humanitatem sævities premit;
Et sanguine humano, & recente
Picta natant asarota tabo.
Zel. I, perge sidus Memnonis; i dies
Eoë: flammas jam metuit tuas
Infame Numen Chinæ, Amidas;
Jam trepidi Lemures Averni,
Et monstra centum, prodigialium
Satus parentum præcipitem fugam
In antra Lethes sulphurata
Memnoniâ meditantur arce.

ACTUS

ACTVS IV.

SCENA PRIMA.

Xaverius cum Desiderijs solvit ex Europa in Orientem.

Xaverius. Desideria.

Xav. Abimus ergò: Nereus crispo sinu
Vento adjocatur. Sic faves semper Deus
Votis tuorum. Nubis immunis dies
Stat purus axe: mitis alludit Thetis,
Allambit aura mollis; & quidquid potest
Favere navigantibus, votis favet.
Pergimus; aviti patriæ Hesperiæ lares,
Habitata quondam Italia Xaverio, mei
Pa s magna amoris Gallia, & mater meæ
Navarra stirpis; vester Eoas petit
Xaverius oras. Liceat extremum vale
Dixisse. Nunc vos ultimum cerno. Notam
Hic duro amoris ultimam in saxo noto.

Inscribit saxo:

O tus Navarrâ, genere Xaverio, DEO
Nuper dicatus, opibus abjectis inops;
Nudusq; IESV socius, & solo DEO
Dives; Orientis ultimum Solis sinum
Su iturus; isthic basium extremum solo
Figo paterno, & ultimum scribo, Vale.
Valete Socij; tuque pars melior mei

Lojo-

Lojola cordis; Salmeron, Lainez, Faber,
Bobadilla; vosque cæteri, quotquot Dei
Mecum secuti signa in amplexum crucis
Unà ruistis. Diffidens quamvis mare
Corpora revellat, intimos nunquam tamen
Dirimet amores. Pergite; obsequio venit
Et unda & aura. *Def.* 1. Xavier pontum premit;
Favete fluctus. *Def.* 2. Xavier pelago innatat;
Scopuli tumorem ponite. *Def.* 3. Notorum impetus
Æole retunde, Xavier frænat mare.
Xav. Perge, ò beata puppis, Orientem peto;
Def. 1. Oriens futurus ipse morienti gregi.
Xav. Ite, ite naves concitæ, Æthyopas peto;
Def. 1. Ut decolori balneum populo instruas
Sudore frontis. *Xav.* Littus Hesperium fugit;
Decrescit ora patria: hinc Oriens venit
A fronte major obviam Salve eminus
Desiderata sponda Erythræi maris;
Salvete Gangis accolæ. O quando propè
Vestros licebit inter amplexus mihi
Afflare Christum! quando littoreo super
Scopulo licebit Memnoni arcanos sinus
Fidei explicare! Venio Memnonidæ, fide
Deoque onustus, qui soli Eoi plagis
Diu exulavit. Pandite animorum sinus;
Ut influentem corde capiatis Deum.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Idololatria Deorum interitum in India timet; infremit; tempestatem in mari excitat, quâ Xaverius submergatur.

Idololatria.

O astra, fuimus! fuimus! Expulsis gemunt
Jam templa Divis: ara jam fugit sua
Delubra & ignes. Pellimur: jam non licet
Olere thura, quæ profanatis sacris
Negata nobis, alteri accendet Deo
Inimica tellus; alteri Ganges dabit
Aurum procellas inter, & latè suo
Littore sonabit: alteri gemmas aget
Locuples Orontes, quæque Erithræis Dea
Natat sub undis. Alteri in honorem cadent
Guttæ Sabæi balsami; & vota & preces,
Flexique poplites alteri accumbent Deo.
Et cui? Lupatis ira retineri nequit;
Memoria flammas ingerit; totos ruit
Vipera per artus: Numini infami, Deo
Quem sua trabali scelera fixerunt Cruci,
Cujus nefanda funera impatiens dies
Spectare cælo, tramite ignoto suas
Traxit curules, seque convolvit polus,
Et nox diei debitas atro peplo
Invasit horas: cujus impatiens humus
Mugijt ab imo viscere, & fugiens onus

Im-

Immane sceleris stare non potuit solum.
Siletis umbræ Tartari? Inferni Jovis
Siletis ignes? nec Gigantæâ faces
Armatis irâ? Si quid antiquus Draco
Spumat veneni; si quid est hydræ super,
Vel de Medusæ toxico, toto expue
Acheron hiatu. Vosque, quos decuit magis
Scelus impedire, Cœlites fulmen date.
Estisne Superi? est aliquis in cœlo Tonans,
Qui rumpit astra fulgure, & telo quatit
Flammante nubes? Scilicet Deum impij
Timete posthac, quandò tam lentè furit,
Vel dormiente negligit crimen manu.
Si quisquam olympo spectat hanc hydram Deus,
Quid patitur astra ludere, & labi suo
Ignava cursu sidera, & purum diem
Pendere cœlo? nec remetiri jubet
Exacta spacia, nec Thyæstæâ dape
Immaniora crimina aversis equis
Spectare refugit? Fortè non meritas Cedros
Proruere decuit fulmine, aut stantes Othry
Viduare quercus: interim segni manu
Tractare scelera. Surgite Gigantes Styge;
Encelade Trinacrin excute, & vastos Mimas
Repara lacertos: Pelion basin jugo
Substernite Ossæ: in astra non trepido gradu
Subite: nullus amplius cœlo est Deus:
Qui frangat ausus, qui procellosa impetum
Flammâ retundat. Erro: jam totum rapit
Nubes olympum, mixta ventorum undique

Coeun

Coeunt nubes.

Jam bella fervent; murmure indignans polus
Jam commovetur, nube collisâ exsilit
Trisulcus ignis: turbo jam pontum rapit,
Miscetque fluctus. Estis ò Superi polo!
Estis: nec ultrix dormit in pœnas manus.
Adoro dextram vindicem, & vestri facem
Ultricem honoris. Pergite, & toto aërem
Involvite æstu; fluctuum rixâ mare
Convolvite omne, donec effractæ rates
Prædam vorandam Nereo effundant scelus.

SCENA TERTIA.

Dum mare turbatum fremit, & cœlum fulminat; apparet Xaverius naufragus, quem tamen Angelus è nubibus allapsus naufragio eripit.

Xaverius. Angelus. Idololatria.

Xav. Æterne pelagi Rector! undarum Pater,
Motorque ponti, fræna qui Boreæ regis,
Et fulminantis temperas ignes poli,
Gravidosque nimbos Sole dispergis novo,
Mediâ natantem in morte Xaverium aspice,
Viresque merso suggere. Haud mortis timor
Extorquet ista, vivere, exæquo & mori
Semper parato. Non timeo lethi modum,
Quando voluntas Numinis memet jubet
Exire vitâ. *Idol.* Mergere exitum soli,

Furiæ

Furiale monſtrum, mergere. Hoc meruit ſtygi
Dicata vita, dextera malorum artifex,
Et taminati pectoris adultura nefas.
Mergere; & olente ſpiritu Acherontem impia.
Xav. O unda! ſi me merſeris, merſum dabis
Dudum cupito portui. *Idol.* Exhauri omnia
Vindicta tela. Quidquid eſt actum hactenus,
Minæ fuerunt. Corripe extremam facem,
Quâ perduelle Numini extinguas caput.
Xav. Audio tonantes deſuper nubes: tamen
Inter timenda pectus intrepidum ſuâ
Statione conſtat. Animus ignarus mali
Eſt mille ſcuta. *Idol.* Vincimur. Senſim mare
It in quietem: ſegnius bullit calor
Æſtuſque ponti: Caurus enervis ſilet,
Et flamma cœli languet. *Xav.* O fulmen vola,
Ut ſancti amoris pectus incendas face.
Si vis, amate Chriſte, demergar; modô
Quo mergor, illo purus emergam mari;
Et ſi qua fortè pectori inſedit lues,
Illam profundo Numen Oceano eluas.

Allabitur Angelus.

Angel. Franciſce, pectus erige undanti ſalo
Altius: honeſta vita ſubmergi nequit.
Quem dedit Eoæ vindicem ſtirpi Deus,
Adire fluctus patitur; at prohibet tamen
Perire fluctu. Liberam mecum ſubi
E ponto arenam. *Idol.* Quò volas terræ probrum,

Eripit Xaverium mari, & per aërem avolat.

Odium Deorum, generis everſor mei?

De-

Dehisce pelagus, tuque, qui ponto praees,
Qui flectis astra, robur evictum tuum
Fractasque vires non nega. Pudor! ah pudor!

Scena Qvarta.

Xaverius naufragio liber cum Desiderijs Deo gratias agit. Recipit à Pietate cancro insidente Crucifixum, quem in naufragio perdiderat. Repetit navigium, celeusma accinente Tritonum cancris insidentium choro.

Xaverius. Desideria. Pietas. Tritones.

Des. 1. Infida semper mobilis ponti fides,
Tu mihi Orientis gaudia fluctu horrido
Fortè tumulâsti. Redde, si gremio meos
Hausisti amores; redde Xaverium Thetis.
Xav. Non me vorante Nerei mergi Deus
Patitur sepulchro – *Des.* 2. Cordis ô nostri metus,
Amorque mentis! Video? num fallor? mea
Vivis voluptas? *Xav.* Vivo. Dubitantem Deus
Exemit undis. Nulla tempestas valet
Inferre mortem, cùm Deus fluctus regit.
Sed quod superstes Indiæ vivo, Deo
Referte grates. Illius munus fuit
Tenuisse littus. *Des.* 1. Quisquis imperio mare
Tumidum gubernas, Numen & fluctus doces
Mor-

Mordere fræna, quique Xaverium freto
Mihi extulisti, semper in causam meam
Vigilas paterno lumine intentus Deus.
Tuo perennes Numini grates damus;
Nobileque saxum, gratiæ acceptæ memor,
Erigimus isthic, cujus in medio legant
Lemma hoc nepotes: *Marmor hoc vivum Deo*
Posuêre grata Memnonum Vota, ubi suum
Quam tulerat, iterum undante Xaverium sinu
Restituit unda. Si dabis primum Indiæ
Mordere littus anchora, accendam tuis
Panchæa thura honoribus, & Indis alam
Fumis acerras, ac Orontæâ dape.
Xav. Favebit ille, cujus impulsu maris
Sulcamus undas. Qui vocat, metam dabit.
Sed (ò dolores!) ille, delicium mei
Ingens amoris, ille quadrifidâ è trabe
Pendens Jesus, dives undanti datus
Est præda ponto. Scilicet rursum innovas
Veteres amores Christe; ne percam, peris.
Pietas in Pone querelas, Ille tuorum
cancro. Portus amorum, trabe quadrifidâ
Fixus Jesus ponto emergit.
Ille tenaci vinculo amoris
Tibi confixus, tecum pelago
Mergitur, unà tecum emergit.
Quæ fata subis, tecum ille subit,
Omni sortis tramite socius.
Meminisse potes, quando exemptus
Compede mundi sponte subîsti
Vincula Jesu. Tunc nempè novis
Cor-

Corda catenis conjuncta duo
Meminisse potes. Fato exindè
Vivitis uno, volvimini tuo
Tecum JESUS, tu cum JESU.

Xaver. O vita meæ vitæ! ô mœsti
Dulce levamen cordis JESU!
Teneo tandem, teneo amplexu
Te Christe meo! non dimittam
Dum mihi tenuis spiritus artus
Hos animabit: non dimittam.
Tu mihi in omni sortis arena
Fidus Achates: tu mihi in omni
Bello es clypeus. Fortuna suas
Dura sagittas acuat, ferro
Rigidus Memnon fata minetur:
Unus acuti tela furoris,
Unus rigidi Memnonis iras
Clypeus franget. Teneo amplexu
Te Christe meo! non dimittam.

Def. 1. Age, repetamus Nerei intrepidâ rate
Fideliora obsequia: domitorem freti
Typhin tenemus, ille dubitantem ratem
Tuto reponet littori. *Xav.* O Numen, rege
Pinum natantem, cujus ad jussus gravis
Exæstuantis ira detumuit freti,
Obtemperârunt flabra compressi Noti
Et solida siccos unda sustinuit pedes;
Tuis & undæ legibus, & auræ silent.

Def. 2. Tu nocte Sol es, umbra tu nobis die es:

Xaver. Talis migrantem Ductor Isacidûm domum

Post mersa castra, post triumphatum mare,
Per adusta Idumæ spatia rexisti Deus
In nube & igne. Nube radiorum gravis
Exclusus æstus: igne tenebrarum chaos
Illuminatum est.

Des. 3 Pergite, en surgunt prope,
Et se propinquo siderum immiscent globo
Turres Eoæ. *Xav.* Vivo! jam ripas tuor
Desideratas Indiæ, & totas subit
Oriens medullas. *Des.* 4 Sequere Xaveri, prior
Appello navim littori, adventus tui
Desideratus nuncius. *Xav.* Præi, sequor.
O quàm secundo vota jam teneo pede
Invia secutus! qualis illecebra animi
Sinum occupavit! ipse vix recipit suos
Animus triumphos. Venio in amplexus: tua
Expande Memnon brachia, atque animum exhibe
Deo patentem. Numen adporto tibi
Diu perosum, thure cui posthac lites,
Cui genua lunes, cui reluctantes diu
Animos redones, venio, venio, venienti explica
Et frontem, & animum, & pectus, & mentis sinum.

CELEVSMA TRITONVM.

Non semper Austro vapulant
Concussa terga ponti:
Non semper igne fulminant
Convulsa regna venti,

Amœ-

Amœnior serenitas
Quandoque tergit astra;
Et blandior liquentia
Tranquillat arva somnus.
Istâ polus Xaverio
Serenitate servit:
Hac Nereus Xaverio
Tranquillitate servit.
Utere secundâ siderum
Marisque servitute;
Levique stratas otio
Percurre tutus undas.
Nec ventus est, nec æstus est,
Cùm navigas Xaveri:
Amor tibi ipse Typhis est,
Cùm navigas Xaveri.
Amore flante comprimit
Suas Notus procellas;
Rixæ quiescunt Nerei
Amore navigante.
Feliciter! feliciter!
Et unda & aura ludit;
Propiorque portus obviat,
Feliciter Xaveri!

**
*

SCENA QVINTA.

Idololatria sua in cassum fulmina abiisse dolet, & novâ per subsessores viâ Xaverio interitum machinatur.

Idololatria.

Ruimus! Sagitta vulnus amisit prior:
Rotata cœlo fulmina incassum mare
Fregêre. Victor pelagus, & nostræ faces
Elusit iræ. Ruimus! O segnis Chamis:
O lente Fotoquis! Addo (compellit dolor)
Si nube justos languidâ occludis rogos,
Arcesque flammam, improvide & vecors Deus,
Levis, ociose, incurie, indigne & polo.
Spectasne, quô revolvimur? vel quò cadit
Numinis Eoæ stirpi adorati vigor?
Jam tua superbo regna proculcat pede
Latro cruentus; cujus exitio ultimo
Sudare Lemnum decuit, & nisu arduo
Fabricare cædem. At interim lentum premis
Pulvinar ostro, aut sigmati accumbens pigrum
Bibis ore nectar. Scilicet decet hoc Deos,
Nutrire genium, pectus illecebris dare,
Marcere somno, tempori ad numerum scyphi
Affigere horas: interim quæ sors rotet

Hu-

Humana: quantis terra criminibus ruat;
In census aris debiti thuris fluat,
Fumantne acerræ nubis Assyriæ dape,
Stilletné gutta balsami in flammas Dijs,
Multiné flectant genua, vel pauci, nihil
Curare. Quantâ saucias plaga tuos
Amida honores! Nemo cùm pessum dari
Antiqua sacra, juris everti ordinem,
Impunè leges subrui, impunè impeti
Deorum honores viderit, terræ Deos
Præesse credet. Agere si temeré licet
Quidvis; & actis inde, quod fieri queant.
Honesta larva inducitur; nullum dies
Probum videbit. Unius non est scelus
Quod patrat unus, quando numerosam trahit
Turbam sequentum. Pestis hac graditur viâ;
Unum veneno corripit: si non caves,
Ab uno in omnes serpit, & vastas lue
Populatur urbes. Semper hoc sequitur malè
Consulta turba, cujus exemplum videt
Impunè factum: quodque complures agunt,
Jam crimen esse desinit. Vides Chamis,
Et lentus hæres? Causa non agitur mea,
Sed vestra superi. Quisquis in propria potest
Causa esse segnis, vincere hic pensi nihil
Vincique ducit. Mitis in pœnas furor
Impelle nimbos, pendulas flammas quate,
Unamque toto fulmine in pestem rue.
Sed fortè virtus nostra delectat Deos,
Gaudentque amore. Sæpé quod possunt face

Tortà imperare, negligunt nostro satis
Tuti labore. Brachia in terris habent;
Et nos suorum vindices decorum volunt.
Volvamus ergò rursus assuetos dolos:
Non clade ab una sternor: Antæum gero
Sub corde: semper fortior, quando cado,
Vis redit in animos. Sæpè devictus furor
Exasperatur gravius: & virtus sua
Subactum acerbat militem. Inventus dolus,
Dolique scena est. Quà coruscanti invia
Stat sylva Phœbo frondium opponens grave
Senium diei, conscium scelerum nemus
Non læta obumbrat arbor; hîc multo solum
Albescit osse, sanguine & tabo natat,
Cadaverumque turba congestis jacet
Inhumata acervis. Hîc sagittarum grave
Locabo pondus, hîc latrocinium instruam,
Sacroque pinguem victimam Acheronti dabo.
Veniat, paratam cædem in occursum dabo.
Veniat: rudisque discat, ad tempus Deos
Suspendere iram: sed tamen quisquis vocat
In bella cœlum, criminis tandem dare
Pœnas patrati. Lenta si Nemesis venit,
Graviore semper asperat telo manum.

* *
*

SCENA SEXTA.

Xaverius in Indiæ ingressu animo præcipit labores sibi præparatos.

Xaverius.

Benè est! beatè est! dubia superato mari
Desideratum navis in portum venit;
Et quod vovebat animus, eventus probat.
Hic ora prima Solis, hîc nascens dies
Indos salutat. Xavier, tandem vides,
Videre quod optaveras, Gangis solum!
Hic illa arena gloriæ magni patet
Numinis aperta, scena Virtutis tuæ:
Ager hic laboris ardui, hîc fidei locus
Disseminandæ, mentis animosæ exigunt
Vegetos lacertos. Unus in vastam venis
Sylvam colendam: pertinax labor colet,
Durum noverca barbaræ ingenium dedit
Natura genti: Cura perstringet mora.
Etiam Magistri combibit mores Tigris,
Etiam leones pertinax cura edomat.
Sit fronte sævus, ore sit populus minax,
Oculisque torvus, sit ferox, sit barbarus:
Animum capacem moris humani gerit.
Non lacte tigridis pastus, aut Hæmi ultimo
Sub monte suxit ubera Leænæ. Tamen
Acerbioris generis est sæva indoles,
Ut vix favilla mentis humanæ micet.
Opus est labore: nec (Deum testor, meæ

Qui sensa mentis inspicit) quamvis graves
Horreo labores. Desidis reor viri
Fugere periculum. Obvium & nullo decus
Emptum dolore languidas mentes amat:
Fortis per arma gloriæ laurum rapit,
Gaudetque multo vulnere virentem suo
Emisse frondem vertici. Hoc uno rosas
Amat manus callosa, quòd spinas habent.
Tormenta, flammæ, carceres, cædes pluant;
His major animus, plura quò dederis, sinu
Sitiente plura poscit. Affunde, ingere.
Nil diligenti sufficit. Amoris nota est
Tormenta ferre. Feram. Amplius Domine!
amplius!
Si placet amari Christe, tormenta aggere;
Vires amori suggeres. Duris viget
Crescitque bellis. Qualis ubi Boreas fremit,
Majore semper robore adolescit calor
Incendiorum; seque violentis rapit
Per tecta flammis. Adde cruciatus: nihil,
Nihil dolorum sufficit amori. Amplius!
Amplius amatum Numen! amplius! amplius!
Domine amplius! Quicunque sidereo calet
Amore, ab ipsis fortis evadit malis.
Si Deus amoris postulas signum, pati
Concede: promptus animus in bellum calet.
Ne differ, oro: longa quæcunque est mora
Mors est amori. O amplius Domine! amplius!
Gravior amori morte fit brevis mora.
O Christe, mille mortibus cædar: tamen
Totidem superstes mortibus server, iterum

Ut

It mille possim mortibus perimi, Animæ
mantis unâ morte non moritur satis.

CHORVS.

PARS. I.

Xaverij Genius face instructus sese exhibet Orienti. Videt occisorum acervos.

Xaverius.

Xavier primæ novus hospes oræ *Advolat per aerem.*
Quam dies ponto veniens salutat
Lucis afflatu, & meliore inaurat
Luminis imbre:
Xavier cœlo facis increatæ
Lumen apporto, miseratus oræ
Memnonis noctem, tenebrasque Chinæ, &
Japonis umbras,
Quantus aggestis statuarum acervis
Spiritus expers populus per agros
Hic jacet stratus? Venio: daturus
Lumine vitam.
Æolus servit famulante pennâ *Demittit se ad cadavera.*
Serviunt auræ. Venio jubente
Numine; amplexu pariter jubentis
Me excipe cœli.

**
*

PARS II.

Zelus & Amor explicant Genio Xaverij, quo mortis genere quisque occisus jaceat: Xaverius omnes face suâ ad novam vitam animat.

Zelus: Amor; Genius Xaverij.

Zelus: Numinis falsi pietas tenebris
Velat huic frontem, jacet ille fastu
Turgido oppressus; nimis ille flammis
Æstuat iræ.
Amor. Hunc Venus torsit, dolus hunc serenæ
Lucis expertem facit: ille avaris
Pendulas labris epulas anhelat
Tantalus ore.
Zelus. Ille ferventis nimio veneno
Æstuat bilis; jacet ille flammâ
Perditus livoris, & inquieto
Igne crematur.
Amor. Hic brevem famam malè nundinatus
Interit famæ precio: videri
Ille dum gestit populo, videre
Desinit ipse.
Zelus. Quisque non parvo vitio laborat:
Sed suum nullus vitium intuetur;
Quando virtutis vitium colores
Induit omne.
Gen. Xav: Ingeram flammas oculis; medullis
Ingeram vitam melior Promotheus;

Et

Et supinatas animabo massas — *Applicat*
Munere flammæ. — *facem.*
Surge: quid dormis? oculis tenebras
Terge, torpentes manibus catenas
Morphei, & pigri pedibus rigorem — *Surgunt*
Excute somni. — *mortui.*

PARS III.

Animata cadavera Amoris jussu Xaverio applaudunt.

Zelus. Amor. Genius Xaverij. Statua animata.

Amor. Vivitis: plausum date. Vita vestro
Spirat ex vultu, facilisque forma,
Et color vivax, meliorque sanguis
Occupat artus.
Zelus. Vita sed motu facili probanda est.
Ite, vivaces agili chorea
Plaudite, & vestri patris æviternos
Dicite honores.
Chorea ducitur.
Amor. Vivitis: plausum est Prometheo.
Ille jam vitam, facilemque normam
Moribus vestris dabit: ac honestæ
Lucis amores.
Tu Juventuti dabis innocenti
Regulam vitæ, tenerosque mores:
Tu senectutem placidæ quieti
Dive repones.

Te Fides, & Pax, Pietasque aperto
Lapsa de cœlo comitatur, atque
Tota ridenti patriam revisit
Gratia vultu.
Vive Orontei reparator orbis,
Et salus Indis memoranda terris
Vive, & ardentes Acheiontis igne
Opprime flammas.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Xaverius in India ingressu à Sagittarijs barbaris periculum vitæ adit: quo eripitur à S. Thoma.

Xaverius. Sagittarij. S. Thomas.
Sagitt. 1.

QUis ille vultu decolor lentis subit
Gressibus arenam nemoris, & dubium pedem,
Nunc incitat, nunc hæsitat.
Sagitt. 2. Monstrum tigre,
Vel matre hyænâ proditum. *Sagitt.* 1. Tela ô Viri,
Tela expedita. Prædo Memnonidum, lues
Orientis, orbis pestis, exitium Deûm,
Bustumque Gangis! *Xav.* Numen ô, vitâ jubes
Exire? jussis pareo. Hanc animam accipe.
Lu-

Lubens reponam ſpiritum, quem tu mihi
Accommodâſti. Non ab invito feres,
Quod non petenti, Chriſte, Xaverio datum eſt.
Sag. 1. Quâ ſpe, relictâ patriâ, alienum ſolum
Advenus ſubintras? *Xaver.* Qua ſolet, quiſquis Dei
Imperia ſequitur. *Sag.* 1. Qua ſolet, quiſquis dolis
Imperia quærit prodere, & populi necès,
Regumque cædes: nempè ſub larva Dei
Vehis ruinas urbium. Sic ſe ſcelus
Semper tuetur, induit honeſti modum,
Rectique frontem, ut tutius peſtem vomat.
Xav. Times inermem. *Sag.* 2. Fraude cui pectus tumet.
Non eſt inermis. *Xav.* Frontis excuſat color,
Candorque mentis. *Sag.* 1. Oris accuſat nota,
Et concolores vultui mores probant.
Xav. Color alienus non vetat mores pares.
Europa frontem ſignat, at mentem Deus.
Sag. 1. Europa ſemper hoſtis Orienti, & meis
Inimica regnis. Innocens non eſt, cui
Signata frons eſt. *Xav* Quale delicti eſt genus
Candere vultûs aream? Non quod ſumus,
Sed quod videmur, crimen eſt. Si ſim niger,
Fio innocens. Erratis. Interius ſedent
Odia & amores. Intimam mentem vide.
Inſpex coloris parcior; pectus tuis
Animumque cernes ſemper intentum bonis.
Sag. 2. Hoc ſcena vultûs indicat. *Xav.* Fallax. *Sag.* 2. Suo

Colore verax. *Xav.* Sæpè decepit color
Aliud putantem. *Sag.* 1. Prodidit verum quoque
Scelus elocutus.
Xav. Moribus hominem æstima;
Non oris hiatu. *Sag.* 1. Semper indicium mali:
Frons aliquod animi prodit. In frontis tuæ
Æquore ruinas imperii, & bustum lego
Fatale Gangis, patriæ exitium. Hoc meo
Satis est furori: Europa te misit. Neces
Cædesque portat, quidquid Europa attulit.
Xav. Europa mitis, Indiæ princeps soror,
Quid machinari barbarum aut dirum suam
Queat in sororem. *Sag.* 2. Quidquid inimicus suo
Vix audet hosti. Qualis armentum occupat
Lybici inquilinus nemoris Armenius Leo,
Europa talis sævit, & dentem improbæ
Iræ ministrum vertici nostro imprimit.
Xav. Europa? *Sag.* 2. Dira Erynnis, Eumenidum soror.
Xav. Europa amatrix vestra?
Sag. 1. Sed fronte impia
Hyæna amores simulat, ut tandem enecet.
Xav. Europa cultrix Indiæ? *Sag.* 1. Pestis.
Xav. Salus.
Sag. 1. Procella. *Xav.* Portus. *Sag.* 1. Scylla.
Xav. Littus hospitum.
Sag. 1. Inhospitalis scopulus.
Xav. In quo, post ratem
Haustam procellis Nerei, constat salus.

Sag. 2. Ad quem secundæ cursus allisus ratis
Traxit ruinam. Fama jam id multis canit
Probata sêclis. *Xav.* Credulus vulgi timor
Audita non secernit, & fictis fidem
Dum facilè præbet, crescit effusi tenax
Mensura falsi. *Sa* 2. Fama quod constans tulit,
Satis probatum est: quodque deprêndi nequit
Per signa crimen, fama manifestat satis.
Sagitt. 1. Satis est: in arma ruite.
Xa. Non vestri timor
Furoris urget mortis instantis vias
Certum subire: generis Eoi velim
Vivere saluti. Si necas, portum dabis
Fessæ carinæ; quæ tamen cursu novo
Servire rursus ambiat. Non est grave
Per fata adire gloriam: Hoc potiùs grave est;
Quandò moriendum est, gloriæ certam viam
Timere, mortem. Vita si dabitur, tuis
Sudabit illa commodis: vitâ at mihi
Si denegetur, membra discerpet canis
Rapaxque vultur; spiritus cœlum petet.
Sag 1. Sic astra adire jubeo, quæ frustra tuo
Propitia speras crimini. Hic nostris scopus
Stabis sagittis. Arcui & telis manum
Impende pubes. Ille victoris feret
Nomen, sagittâ quisquis excussâ prior
Transadiget imas cordis obstantis fibras.
S. Tho Quò, quò cruenti generis erumpis furor?

Apparet in Nubibus.

Sa. 1 O astra! fugite, fugite: succensus solo
Incumbit æther. *Sa.* 2. Fugite fulmineo ruit

Olympus igne, nosque cum mundo opprimit.
S. *Thom.* At tu resume, forte si cecidit metu,
Francisce mentem: pronus adspirat Deus,
Et adsecundos dirigit portus ratem.
Xav. Amatis astra? amatis! O custos Pater,
Tutela Gangis! Sentio, non est meum.
Quod me paratæ mortis ereptum freto
Tuto dedisti portui: mortem licet
Amoris escam crederem, & calidâ siti
Crebrò voverem.
S. Thom. Magna nunc parvo metes
Præmia dolore, Quisquis ardentes alit
Dolore amores, astra violentus trahit
Sibi in coronam verticis *Xa.* Nullus dolor
Fregisset animam, quamlibet. Medus chalybs
Penetrâsset ossa. Robur amittit dolor,
Cum fragile mentis sustinet robur Deus.
Amoris onera facilè gestantur: dolor
Induit amorem. quando, qui suffert, amat.
Fateor amavi. & leniit constans amor
Lethi timores. *S. Th.* Sic Deus præstò est suis.
Xav. Idem labores augeat Numen precor,
Tuoque similem donet aliquando exitum.
S. Th Satis ille durâ spiritum impellit viâ.
Cui fata pendent semper ambigua an cadant
Ferro vel igne, an tigre Marmaricâ, an Leâ.
Quas ego profuso sanguine Orientis plagas
Olim rigavi, lachymâ multa riga,
Sudore multo Macula, quæ gentem inficit,
Levem medelam superat. Aconito potens
Debetur herba. Impervium callem tibi
Ja-

Japonia mundi margine, extremo sita
Aperiet ultro; quæque non potuit meus
Penetrare fervor spacia, superabit tuus.
Hic Bonziorum Prælia, & gentis tumor
Premet insolentis Quantus at semper soles
Stare, amicabis. Inde quà medium mare
Japonas Sinasque dividit, magni viam
Emensus operis inter Indigetes levi
Nube evolabis. At tuus vitæ cinis
Superstes atræ jura superabit necis:
Cui pronus olim mundus affundet preces.
Xav. Num somniavi? num vigil didici polî
Arcana divûm gaudia ò quanta ebibi!
O qui curùli nube delapsus polo
Mentem serenas gaudiis: siquid potest
Tibi gratiarum Xavier dare, en habes
O Dive totum: sume: quod spectas, tuum est,
Cor, anima vita, spiritus, pectus, caput,
Animi medulla, vivus in venis cruor.
At jam labori Xavier mentem para.
Non bene rependis munera Tonantis, nisi
Precio laboris. Quidquid huic dederis, nihil
Dempto labore reddis. Ingentis boni est
Non parva merces. Quidlibet constat suo
Precio Tonantis gratia laborem petit.
Intaminatas scelere Divorum plagis
Aptare mentes, dignus est Deo labor.
Sudemus isti Prima jam sese meæ
Scena aperit operæ: video non nocuum gregem
Tenere Juventæ Sinite se parvi meis
Pueri lacertis inserant. Tabula rudis

Quod-

Quodcunque primo insculpseris, semper tenax
Adusque metas ultimæ ætatis tenet.

SCENA SECUNDA.

Xaverius in Indiæ ingressu obvium parvulorum chorum in fide Orthodoxa instituit.

Xaverius, Parvuli.

Xav. O nata cœlo pignora, Eoæ decus
Primum Juventæ, pectori affusos date
Nostro lacertos: sarcina haud gravis meo
Pendete collo. *Par.1.* Quantus in vultu viri
Decus & venustas oris? *Xa.* Amplexus date
Dilecta patrum pignora. O quanto meum
Afflatis animum gaudio.
Parv.2. O pater! *Parv.3.* Pater!
Pa.4. O proprio patre dulcior Pater! *Par.5.* Pater!
Parv.6. Genitrice propriâ suavior, patre charior.
Par.1. Jube: obsequentes nutui adstamus tuo.
Zav. Diligere Numen jubeo.
Parv.2. Diligimus Pater.
Xav. Aliquem præesse creditis mundo Deum?
Par.1. Chamin, Pagoden, Fotoquin, & Amidam colo;
Xaver. Quis ille Chamis est?
Parv.3. Fusus argento Deus.
Xav. Et quis Pagodes, Fotoquis & Amidas.
Par.4. Dii.

Mun-

Mundi parentes. *Xav.* Audiunt?
Par. 1. Nihil. *Xaver.* Vident?
Par. 2. Nihil. *Xaver.* Nihilne sentiunt?
Parv. 3. Nihil. *Xaver.* Et tamen
Mundum gubernant, temperant æquor, polos
Et astra flectunt? *Par.* 4. Sic Patres nostri canunt.
Xaver. Credisne mundum hoc ære campano regi?

Pulsat campanulam.

Par. 1. Quis credat? *Xav.* Ille Fotoquis auratus tamen
Nil sentiens, nil audiens, & nil videns
Frænabit orbem? Fabulæ. Verus Deus
Cuncta intuetur, audit, & nutu regit.
Par 2. Non ille Fotoquis aureus?
Xaver. Non. *Parv.* 3. Aureus
Non ille Amidas aut Chamis? *Xav* Verus Deus
Non ære & auro funditur. Qui nil videt,
Tractare frænos non potest mundi. Deus
Videt nocentum crimina, & pœnâ expiat:
Videt innocentum merita, & augustum parat
Cœlo theatrum gloriæ. *Parv* 1. Sed quis Deus
Est ille, mundi fræna qui tractat manu?
Quod nomen illi est? *Xa.* Nomen est illi Deus.
Hic vasta cœli templa, quà stellæ meant,
Quà ludit æther, quà maris gremium patet,
Quà terra promit limites, totum suo
Replet ipse numine: terminum rebus locat
Ignarus ipse termini: immensus, brevi
Quantoque spacio totus, & totus simul
Ubique Mentem concipe humanam. viget:

Ime-

Immota se per æquora, & vastas soli
Transmittit oras, involat cœlos, amat
Remota: tota corpore in toto, simul
In parte tota qualibet. Talis Deus
Ubique totus, nec tamen seipso minor
In parte quavis totus est. Si quid potes
Concipere pulchrum, pulchrior pulchro est
Deus.
Par 2. Gemmis & auro pulchrior?
Xaver Gemmas creat,
Aurumque *Par.* 3 Stellis pulchrior?
Xaver. Stellis micans
Dedit ipse lumen. *Par.* 4. Pulchrior die? *Xa.* Dies
Ipsius umbra est. Temporum nondum vices
Alterna jura Solis & Lunæ dabant,
Nondum, quod æther dicitur, & agili solum
Obit meatu, fluxerat; nondum mare
Mundi premebat margines; jam se Deus
Contentus ipso, æternus, omnipotens, bonus,
Sibi theatrum gaudii immensum fuit.
At illa Deitas una personis tribus
Subsistit; à Patre natus æterno satu
Patri coævus prodit; à Nato & Patre
Amor utriusque Spiritus. Terræ hic globum
Homini theatrum fecit: at postquam scelus
Hominem peremptum victimam Acheronti dedit,
Unigena Patris Christus, in nostros minor
Se fudit artus: coluit infantem Magus,
Et Persa Mithræ prætulit. Ubi virum induit
Maturioris firmus ætatis vigor,

Post

Post frigus, aestum, lachrymas, luctus graves,
Patrata post miracula innocuus reus
Tamen alieni sceleris, in binas Crucis
Diducta partes brachia, & ruptis pedes
Venis forari passus, horrendae neci
Successit unus victima, & fuso scelus
Nostrum expiavit sanguine. Effigiem vide.

Promit crucifixum.

Sic ille palmas, sic pedes, sacrum latus
Sic vulneratus obiit. Hinc gaudet genus
Hominum superstes.
Par. 1. Osculer sacros pedes,
Par. 2. Ego hoc verebor Numen.
Par 3. Huic flectam genu.
Par. 4. Illi Sabaeo thure, non Fotoqui aureo
Surdoque honores deferam.
Par. 5. Posthac mihi
Chamis valebis, Numen ego verum colam.
Par. 6. Vale Pagodes: numini flecto genu.
Xav Hunc vos amate parvuli.
Parv. 1. Sed quis modus
Numinis amandi est?
Xaver. Est modus carens modo.
Plusquam parentes, sanguis, & vita, & caput,
Semper & ubique amandus est. Nullo metu
Nulloque genere fraudis; aut mellis favo
Amor exuendus Numinis.
Par. 1. Quid si Patres
Exuere jubeant? *Xa.* Major est illis Deus.
Par. 2. Non obsequendum patribus?

Xav.

Xav Quando jubent,
Quod imperari, & exequi ex æquo decet.
*Par.*3. Amare proprium sanguinem Natos vetas?
Xav. Patres amatus non vetat amari Deus:
Sed hos in illo diligas: Quidquid lue
Incestat animos, oderis. *Par.*4. Mater, Pater
Valete quantum numinis patitur Amor,
Posthac amabo. *Pa.*5. Proximi, frater, soror
Valete; Numen diligo; cujus polus
Tellusque paret nutibus *Par.*6. Chari lares,
Chari penates patria extremum vale.
*Par.*1. Audite Solis limites, mundi extemi
Audite fines (quodque naturæ magis
Leges precari me docent) Mater, Pater
Audite: Numen diligo, cujus colit
Imperia mundus, cujus ad leges rotat
Tot albicantes orbis æthereus faces,
Veneror Tonantem, cujus infessum polus
Pavidis adorat ignibus, quem Sol tremit.
Placetne Fotoquin, hactenus cultum malè,
Lacerare, & igni tradere Pagoden. *Xa.* Placet.
Par 1. Imus, Pagoden, Fotoquin, & Amidam, & Chamin
Daturi Averno *Xa* State, quo statis pede
O digna cœlo pectora! Furores nihil
Horrete Patrum. Semper angusto furor
Spacio tenetur temporis, longam at trahit
Vim præmiorum. *Par.* 1. Abimus. at rursum tuis
Sistemur oculis. *Xav.* Ite: tunc leges dabo
Vitæ innocentis, quæque mereatur supra
Adamata quondam sidera levari poli.

In-

Incepta primos vota successus habent:
Hinc primus error, & superstitio cadit
Perditque vires. Dive, qui cordis vices
Fingis, refingis igne, quo calcem tibi
In ima sternis pectorum, idem homo ac Deus,
Refunde totas Indiæ gentes tui
Ad legem amoris, hominis & normam indue.
 Cæpi: secundo vota conatu premam.
Initia rerum prosperos fines trahunt,
Cùm quo labore cæperis eodem premis.

SCENA TERTIA.

Parvuli, eò quod Idola domestica confregerint, à parentibus ejiciuntur.

Partes. Parvuli.

Pat. 1. Rape me procella turbido ad Parthos sinu,
Aut qua gelatus nivibus albentem ætheri
Innubit Atlas verticem. Tantum nefas
Hausisse vultu? Littus eripiant mihi
Infusa terris maria, me fluctus premant
Circumvoluti scelere ne si quis manus
Habet innocentes, fiat aspectu mei
Reus. Recede turba me viso procul;
Jam taminata crimine es. tamen fuge:
Etiam nocentes inquino aspectu meo:
 Quâ vivo mundi sede? quâ cœli plaga?
An sub rigente plaustra flectentis senis
Glacie Bootæ? an barbaris mixtus Scythis?

Ubi sum? minacium undique Deorum furor
Oberrat oculis: astra sulphureas vomunt
Lique facta tædas: quidquid est cœlo ignium,
Capiti ruinam intentat, & quidquid styge
Ardente manium ululat, in partem mei
Venit doloris. Prô pudor! Natus meus,
Sinite dolores! Fotoquin (excede ô dolor!)
Fotoquin, Amidam (absiste, quid lanias dolor!)
Fotoquin, Pagoden, Chamin, & Amidam ruit
O Parce Fotoquis, si quid amisit nocens
Oculus videndo, lingua memorando nefas.
Pat. 2. Quò, quò furores? Prodimur. Nati Patrum
Delubra & aras diruunt. *Pat.* 3. Famuli greges
Rapite, necate. Turba, si Dominis faves,
Si tibi Deorum bullit in venis amor,
Perime, trucida.
Pat. 4. Fotoquis huic sceleri tuos
Eripe clientes. *Fil.* 1. Sæve quò raptas Pater?
Fil. 2. Cruente. *Fil.* 3. Dire,
Fil. 4. Barbare, in mortem rape,
Vivam superstes funeri. Mori nequit,
Venale pulchra morte qui cœlum petit.
Pat. 1. Truncate capita, viscera effodite, fibras
Abstrahite fibris. Nulla tormenta hoc satis
Scelus expiabunt. *Fil.* 1. Dulce pro Christo mori est.
Pat. 2. Transadige costas. *Fil.* 2. Ibit in portum ratis.
Pat. 3. Pereant. *F.* 3. Ferire non potest, cujus Deus
In mente vivit. *Pat.* 4. Occidant. *F.* 4. Erras Pater
Ty-

Tyranne: mors hæc gaudium æternum dabit
Pat. 1 Hic hic cruenti fundite invisam Diis
Animam, & cadaver pabulum alitibus date.

SCENA QUARTA.

Parvuli Crucem, quam secum ejecti traxerunt, piè venerantur, eique sua nomina inscribunt.

Parvuli.

Par. 1. Quisquis cruenta prælia
Formidolosus horres:
Nescis Amoris semitas,
Nescis Amoris artes.
Amor probatur asperis:
Ut ignibus metallum;
Crescitque duris: flantibus
Ut flamma crescit Euris.
Tentata parvo verbere
Micat silex in ignes:
Ilex bipenne saucia
Scintillat in favillas:
Cruciatus, ensis, ipsa mors,
Examen est Amoris.
Parv. 2. Patimur: parentes exules
Jubent perire Natos:
Patiamur: amplum extorribus
Fiet Deus theatrum.
Illi est ubiquè patria,

Cui

Cui Numen est ubiquè,
Hoc in theatro vivere,
Moriquè par voluptas.

Parv. 3. Patimur: Amori pabulum
Præbet furor parentum:

Parv. 4. Patimur: sed ò quo gaudio
Tormenta condiuntur!

Parv, 5. Patimur: sed innocentibus
Cruciatus est voluptas.
Qui se Tonanti victimat,
Exultat in dolore.

Parv, 6. Patimur, sed ô feliciter!
Est nectar in dolore.
Cùm scelere mens immunis est,
Non sentiuntur iræ.

Parv. 1. Patimur: sed ille passus est
Tormenta duriora;
Qui pendulus damnabili
Extinctus in cupresso est.
Talis pependit sanguine
Manante sordidatus,
Et senticosus vertice,
Manibusque sauciatus.

Par. 2. Hic hic Tonantis symbolum,
Nostræque laudis arrham;
Veræque durum gloriæ
Examen erigamus.

Par. 1. O crux amabilissima!
O crux medulla vitæ!

Par, 2, O crux Tonantis aureo
Cruore purpurata!

Par. 3. O Numen! æquam parvulis
Da purpurare quercum.
Part. 4. Quæcunque pro te guttula
Effunditur cruoris;
Fit gemma, serto Cœlitum
Digna impedire frontem.
Par. 5. Inscribo nomen quercui;
Fortasse Numen olim
Istâ leget nos arbore
Cruore purpuratos.
Par. 6. Nunc ite tecta, compita,
Vicique, rura, campi
Crucis sonate encomia,
Crucis sonate honores.
Par. 1. O crux amabilissima!
O crux amoris ulna!
Par. 2. O Crux polorum janua!
O Crux medulla vitæ!
Par 3. O digna Christi amplexibus!
O sponsa Crux Tonantis!
Par. 4. O Crux amabilissimo
Depurpurata nimbo!
Par. 5. O Crux amoris lectulus!
Mensura Crux Amoris!
Nunc nostra portas nomina;
Quæ scripsimus cruore;
Portabis olim corpora,
Si vota Numen audit.

SCENA VLTIMA.

Xaverius à Desideriis præsentatur Orienti, quem iste cum gaudio excipit.

Xaverius. Desideria Oriens. India. Travancoris, Iaponia. China.

Des.1. Decora Orientis, lucis augustæ jubar,
Primique Soles, Imperi Eoi Duces.
Vestro obsecutus nutui, & terram, & mare,
Liquidaque venti regna calcavi pede
Per utramque sortis aleam, ac tandem redux
Legatione functus, obsequii bene
Reus peracti, sisto, quem toties calor
Desideravit cordis incensi virum.
Non tenue precium Roma, non vilem dedit
Europa gemmam, pectoris partem dare
Sui parata. Fruere nunc voto tuo
Oriens, & albæ sortis afflatu mei
Segetem laboris collige; & votum tuum,
Meumque Dive pariter obsequium proba.
Or. Adesne *Lumen gentium*, nostri dies
Serene mundi, gemma Nabathæi soli,
Orientis oculus, grande Memnonidum jubar,
Japonumque Phœbus, Xavier? Video meæ
Certum salutis auspicem; longo retro
Tempore sepultus video radiantem diem
Imparque fræno gaudii, in amatos ruo
Præceps lacertos. Aspice jacentem situ,

Pedore adesum, carceris longi fame
Pene interemptum; Regias ferrò manus
Pedesque vinctum, colla subjectum jugo,
Auræque ademptum liberæ; & tandem meo
Statue dolori terminum, ô gentis meæ
Franciscæ votum, gaudium, & vita, & salus!
Xaver. Numinis amores nosce Quod speras
Labore, vires hominis excedit. Deus
Author bonorum est. Si quid optatæ fluet
Felicitatis; fontis illius dabit
Opulenta vena: larga, ubi mentem invenit
Sui capacem: parca, cum medio sedent
Adulta corde vitia. Nitentem solo
Sese elevare. deprimit mentem scelus.
Ori. Vitanda, agenda, legibus discam tuis.
Xa. Ad lucis ignem. Noctis imperium tuo
Deterge vultu. Cerne, quà vastus polum
Dividit hiatus; longa præeuntis Crucem
Secuta Christi turba non notum melos
Decantat ore; perque felices plagas
Æterno amœnam gaudio mentem rigat.
Or. Spesne aliqua nobis superat illius plagæ
Olim obtinendæ? *Xa*. Si Crucem Jesu colas,
Gerasque, & unum Numen agnoscas: Chamis
Fotoquin, Pagodem abneges, Jesum invoces.
Ori. Quis mihi Deorum, pectus ingressus, rapit
Veteres amores; meque surreptum mihi
Reponit alium? Video deformem mei
Animi figuram, Criminum immensum chaos
Percellit oculos Consciæ mentis timor

Animi Tyrannus instat, & flagrum rotat.
O qualis Oriens Numine abjecto diu
Saxa veneratus! Quanta Avernali dolo
Per scelera raptus! Rumpit excussas dolor
Cordis medullas.
Xav. Junge complexum Cruci,
Alius resurges. *Or.* Læsa tot monstris ego
Brachia Tonantis audeam amplecti? Vetas
Brutale vitium mentis. Affigam, sine,
Hæc ara terræ, indigna quæ Solis jubar,
Diemque cernant. *Xa.* Mitis est noster Deus,
Blandæque frontis. Una vix oculis fluit
Lachryma, patrato crimini veniam impetrat.
Or. Pridem ego potentis Numen abjeci Dei,
Rigidoque saxo genua lunavi. *Xav.* Redi,
Amica reduci brachia expandit Deus.
Or. Recipiet? *Xa.* Ille devios quærit. *Or.* Deus!
Unus salutis Author humanæ Deus!
Xav. Illum vere; cujus hic cernit notam.
Or. Vereor. *Xa.* Salutis anchoram agnoscis Crucem?
Or. Agnosco. *Xav.* Christi morte reparatum seclus
Hominum fateris? *Or.* Fateor. *Xa.* Et cœlum & solum,
Fusumque latè Nereum imperiis Dei
Parere; credis? *Or.* Credo. *Xa.* Terrarum Duces,
Regumque trabeas, sceptra, & augustas notas
Venire ab uno credis? *Or.* Ac uni obsequens
Submitto Sceptrum dexterâ comis jubar.
Humerisque trabeam pono. Jam non es Deus

Foto-

Fotoquis; Amida nihil es, & nihil Chamis.
Diruite pestes noctis æternæ satu
In nostra genitas damna: delubra, & Deos,
Veterisque acerras legis in cineren. date.
Unum Tonantem genibus affixus col .
Nec prius in humeros trabea , vel sc pt um in manu m,
Nostram redibit, quàm sacer rivus caput
Abluerit undâ, meque reddiderit Deo
Dignum videri Xa. Cæpta ne differ. Moras
Exosa cœli gratia, teneri nequit,
Manu ociosâ. Facilis in dextram venit,
Desideranti: facilis at rursum fugit,
Nisi occupâris. Or. Dùm unda lust. alis meo
Capiti paratur, ite festivos date
Fidei triumphos. Dicite; Eversis Dii
Cecidere basibus, libero excussi pede
Abiere nexus; manibus elapsus chalybs
In vincla tortus, redditus & oculis dies,
Unusque Eoum Christus Imperium tenet

Ad majorem DEI gloriam.

PIETAS VICTRIX,

SIVE:

FLAVIVS CONSTANTINVS MAGNVS,

De

MAXENTIO TYRANNO VICTOR.

ARGUMENTUM.

F*Acile coronas occupat, qui sua per arma DEVM cumfert. Prima enim Imperia proferendi lex & ars est, proferre Pietatem. Romæ tranquillitatem turbabat Maxentius, & Flavium Constantinum Constantii Pii Filium relicti sibi à Parente Imperii aditu prohibebat: Senatum verò Vrbis Constantino faventem ac potissimum Christianos, non jam metu magis quàm clade premebat; & promiscuis innocentum cædibus ferè omnia funestabat. Sed & insanæ Ambitionis & crudelis tyrannidis exitus semper est funestus. Raratur enim lapsui graviori, qui per*

per nefas ascendit sublimius; & cædem sui provocat, qui per innocentum jugulos gr. ssatur. Impulsus ergò cœlesti monitu Flavius Constantinus, ac Romani Senatus precibus invocatus, trinâ per italiam victoriâ metuendus numerosum exercitum Romæ applicat. Interim Maxentius Dymantis Magi fraudibus occupatus castra ad Tyberim locat; pontem ligneum flumini imponit in decipulam Constantino, sibi viriùs in ruinam. Ita fraus innocentem præterit, & toto impetu in Auctorem redit. Confligit cum Constantino Maxentius: Sed, *ut Tyranni solent, infeliciter. In summa rerum confusione pontem Milvium in refugium petit, quem paraverat Imperatori in interitum. Vt Perillum Taurus, sic Tyrannum suus pons excepit. Ruunt substructiones; ipse Tyberi involvitur, & aquis ambitionis, & tyrannidis suæ calorem extinguit. Mox Fl. Constantini Fil i, Iulius Flav. Crispus & Constantinus Iunior urbem quà terrâ, quà flumine invadunt. & occupant. Subactâ Vrbe triumphat Imperator plaudente Roma; mox que indictis Christianis ritibus, & Crucis honoribus (cum jam antea Crispum majorem natu filium Cæsarem ac Imperii Consortem dixisset) Constantinum quoque Iuniorem poscente Roma ad sceptra evexit. Sic ubi Pietas Imperatores prosequitur, per ipsa Coronarum pericula ad novas Coronas feliciter eluctantur.* Vide Nicephorum.

Data Viennæ Augustissimo Imperatori LEOPOLDO, Anno 1659.

ACTVS I.

SCENA I. MUTA.

Objicitur in ſomno Imperatori Conſtantino triumphus, quem victor Romæ acturus eſt.

SCENA SECUNDA.

Expergefacto apparent SS. Petrus & Paulus Romæ Præſides, & victoriam de Maxentio pollicentur.

SS. Petrus & Paulus. Conſtantinus. Chorus Cœlitum.

Conſtantinus.

LUdimur? an umbra, Cœlitum juſſu, meis
Præludit armis? Vidimus longo ordine
Patrum ſenatum, Civium undantes globos;
Populique nubem, plauſibus noſtri orbitam
Currûs legentem. Vidimus feſtâ domos
Luce radiantes, undique ardentes polos
Volante flammâ, quaque Romanis patet
Arena ludis, gemmeos currus agi;

Hu-

Humerisque memet militum excelsum foro
Sisti Quirino flectere ad nostros pedes
Subacta Romæ capita; magnanimos Duces,
Stratosque fasces Consulum, Romæ novum
Caput vereri. Ludit? an votis Deus
Ventura signat? Dubia Gradivi alea est,
Et sæpè palmam spondet, & sæpe eripit.
Sed honesta belli causa, quâ Martem traho,
Dubitare prohibet. Non ego Regni ambitus
Proferre fitio? non superbificâ manu
Premere innocentes. Publicum servum dies
Me fecit idem, Cæsarem qui me dedit
Post fata Patris. Fine non isto est manus
Armanda ferro Cæsari, alienum ut suæ
Siti cruorem victimet. Quando boni
Necessitates publici ferrum exigunt;
Tunc exerendum est. Cæterum melius teget
Vagina chalibem. Causa, quâ Romam peto,
Periclitantis urbis infelix status;
Necessitasque Civium est, quorum caput
Crudelitatis pondere Tyrannus gravat.
In hoc præesse Cæsarem imperio decet,
Ut prosit idem. Quisquis ad clavum sedet,
Felicitatis norma, collega est Dei
Mundum regentis. Ille communi bono
Intentus astra variat; at nunquam tamen
Vel intrisulca dexteram tela exerit,
Vel per Cometas orbis exitium parat;
Nisi cum ruina publici exposcit boni.
Si causa Cœlo displicet, nil hic moror:
Paratus arma ponere, & martis grave

Exuere pondus. Causa si nostri Deo
Belli probatur; nulla me tragicis aget
Fortuna giris. Quidquid annutu Deus
Probat, secundo semper eventu beat,
Et illa fortè somnii scena, est Dei
Probantis index. At quis illustri fragor
E nube tonuit? Sidera abscedunt; senex
Hinc clave geminâ dexteram armatus subit.
Hinc alter ense gravior in scenam venit.
Chorus Cœlit. Deus est justus. Cæsar in isto.
Signo vinces. Nullum nimium
Adversâ diu fortuna premit.
Sunt sua sceleri tela parata,
Ultrice Dei jactanda manu.
Prospera quamvis crimen initia
Habeat, nunquam fine beato
Terminat ausus. Deus est justus.
Cæsar in isto signo vinces.
Licet innocuos graviore polus
Verberet ictu; at numquam perimit.
Dextra paterna est, quâ castigat.
Hactenus ivit scelus impunè:
Nunc suprema est hora Tyranni.
Cæsar in isto signo vinces.
Deus est justus. *Semich.* Deus est mitis.
Quidquid acerbat fortuna malis,
Deus extergit meliore bono.
Oppressa jugo Roma Tyranni.
Sua fata gravi gemitu flevit,
Nunc ridebit. Cæsar in isto
Signo vinces. *Semich. 2.* Deus est justus.

Chorus.

Chorus. Brevis est semper vita Tyranno.
Deus est mitis, Deus est justus,
Justus iniquis, mitisque probis.
Cæsar in isto signo vinces.

S. Petrus. Justo pioque Cæsari semper bona
Impendit astra Numen, & causam fovet,
Advertit æther, quanta te sacri tenet
Sitis adeundi laticis, & veri Dei
Ardor colendi, quantus insedit fibris:
Amor tuorum; quando *Consilio* probis
Industriaque subvenis; & jam tuis
Pronus beatum rebus eventum parat.
Tecum astra pugnant. Tela jam strident minis,
Bibuntque cædem, quam procelloso impetu
Ferant Tyranno. Nullus est frustra pius;
Quando Pietati pugnat, & vincit Deus.

S. Pau. Non si rubente sustinet fulmen manu
Deus, scelestos proterit. Quando tacet,
Gravior in ictum prosilit. Inultum scelus
Pars magna pœnæ est. Hactenus sceleri moram
Indulsit æther. Hora Maxenti tibi
Fatalis hodie est. Occides, & quam struis
Fraudem, subibis ipse. In authorem doli
Plerumque recidunt. Vindicem attollit Deus
In scelera dextram, quando se scelera erigunt.
Documenta Romæ sera, Maxenti, dabis.
Quisquis rebellat Numini, & gentem premit
Deo dicatam, stare non poterit diu.
Hinc hoste fuso, Flaviæ gentis decus,
Tenebis urbem victor, & longo trahes

Populum triumpho; postque tranquillæ dies
Pacis renatos, gloriâ atque annis gravis
Cæsar videbis Cæsares natos tuos.
Sanguis piorum Principum nunquam interit.

S Petrus. Prosequere bella. Palma jam campum tenet
In tua reclinis arma. Sic Numen jubet.
Ego Petrus urbis Præses, in terris Dei
Legatus olim, divido tecum mei
Populi tuendi studia. Tu bellis tege.
Ego tuebor arma.

S. Paulus. Quâ Martem feres,
Hàc iste rumpet ensis ad palmas viam.
Sequere inchoata, Numen in laurum venit.

Chorus. Accipe. Totas Superûm curas
Hac arte trahes in tua bella.
Qui sibi pronum cœli studium
Facilemque Deum poscit, in arma
Nunquam rigeat, nisi ubi Pietas
Soboles cœli, vel Justitiæ
Regula poscit: Quem bona fulcit
Causa, benignum Victor in arma
Laurosque Deum semper habebit.

Constant. Agnosco magnum Numen, in cujus sacra
Radiata cœli luce, mens pridem æstuat.
Equidem piatum fonte lustrali caput
Nondum innocentes ambiunt cœli nives:
Lux tamen oborta pectori hunc unum mihi
Deum fatetur. Jupiter, non est Deus,
Non Mars cruoris avidus, aut lucis parens

Phœbus diurnæ. Larva si nuper mihi
Est thure multo culta; meliorem Deus
Afflavit animum. Sic ubi raptos videt
Errore currus, tramitem in rectum trahit
Cursor jugales. Huic ego posthac genu
Lunabo Soli, vasta cœlorum; cui
Machina laborat; thure quem sacro Deum
Gens Christiana poscit, & Christum vocat.
Superest pianda rore lustrali lues,
Quæ sedit animo. Differo id, dum se dies
A Gange melior exerat. Quamvis mora
Plerumque noceat, quando jam præsens bonum
est:
Differre tamen, & profuit, quando bonum
Dilatione crescit. Exsurget dies
Post inquieta prælia, & Martis vices,
Qui Christianum Cæsarem agnoscet. Deus
Qui vota pectori ingeris, tu idem fave.
Exul Sacerdos adsit, Antistes Myræ.

SCENA TERTIA.

Somniat Tyrannus Maxentius, se populum Israel sicco pede mare rubrum transeuntem videre; & Pharaonem submergi. Umbra Pharaonis eum ad eversionem populi Dei hortatur.

Angelus in columna ignis. Moses. Umbra Pharaonis. Excubitor. Dæmon.

Moses. Ferociente sequitur armorum sono

Pedem Tyrannus. Perge quà pergis, Deo
Dilecta turba. Numen, assuetum tuis
Servire votis, ultimo in casu dabit
Sui favoris specimen. Hàc mecum gradum
Per fracta regna Nerei Undantis vada.
Audite pelagi Numinis vocem! Thetis
Revoluta cede Cessit. En semper tuis
Votum secundum Numen affulget. Deum
Frustra invocavit nemo. Repressas mare
Stupefecit undas, datque per medios sinus
Obire siccum tramitem nullo objice
Suspensa Tethys. Pergite, faventis Dei
Numen sequamur. *Ang.* Fidite, faventis Dei
Non fallit omen. Arma fugientes premunt.
Ne metue. Sequitur ultor à tergo Deus
Minas Tyranni. Laneo Nemesis pede
Semper scelestos urget.
Vmb. Phar. Hàc gressum tulit
Stupente pelago. Miles hàc urge gradum.
Ang. Quicunque bella Numini audaci gerit
Manu, peribit. Ite Non eadem impij
Pijque sors est. Ille spumantes pede
Sicco per undas transmeat: vos fluctibus
Involvet ultor Nereus. Tempus monet,
Coite fluctus *Omn.* Heu!
Ang. Tyrannorum Deus
Sic pensat ausus impios: sic se probat
Vindicta sceleri. Nemo felici gerit
In astra bellum Marte. Stat semper pijs
Studiosus æther. Quisquis audaci in probos
Æstu ferocit, has sui tandem dabit

Pœnas.

Pœnas furoris Impijs Numen breve
Concessit ævum. Scelere cùm justos premunt,
In sua Tonantem crimina ultorem trahunt.
Umb. Phar. Quis me profundo protrahit Averni lacu
Vivas in auras? in quod exemplum nocens
Transcribor Umbra? Pejus est aliquid styge
Ardente semper: Num parum videor miser,
Quod tristis Acheron sulphure involvit caput,
Piceoque jactat vortice! Heu vivas domos
Pudet videre; quique jucundus patet
Alijs Olympus, gravior est orco mihi,
Totoque Averno. Namque quæcunque obviat
Luminibus aura, sceleris antiqui notas
Obtrudit animo; meque Pharonem mihi
Reumque Judicemque demonstrat. Poli
Hic magnus oculus vidit; hæ mundi faces,
Hæc astra nostri conscia furoris, grave
Testata facinus, memet objectant mihi.
Dæm. Etiamne lento segnis absistis gradu,
Solemque metuis? Perge detestabilis
Umbra, & penates Romulos furijs age:
Perge architecte criminum, Regum probrum,
Tonantis osor, carnifex populi Deo
Quondam redempti. Perge crudelem tuis
Flammis Tyrannum cingere, & tota styge
Maxentium inflammare. Quò trepidus gradum
Lanista vertis? *Umb. Phar.* Ditis ad vivos rogos,
Ad operta flammis stagna sulphureis; dies

Ubi procul omnis exulat, & umbræ vetant
Lucere flammas; ad meas pœnas feror.
Acheron mihi debetur. O quisquis cavâ
Sub valle trepidus semper instantis times
Montis ruinam; quisquis exeso jecur
Pectore renascens vulturi in dapem exhibes,
Quisquis strepentes flammeæ cursus rotæ
Semiustus horres, quisquis in vivam Leæ
Paratus escam membra laniari doles
Refecta sæpè; vestra supplicia & graves
Amare pœnas. Gravior assuetâ mihi
Lux ista pœnâ est. Fugio, nec fugio satis
Superos minantes. *Dæm.* Ante furiali face
Stringenda Roma est. Stagnet insontûm priûs
Cruore terra: totus Augusti furor
In Christianos ardeat. *Vmb. Phar.* Sat sum no-
cens,
Sat astra scelere pollui, invisus DEO,
Exosus orbi. Cernis, ut pontus reum,
Omnisque Juda accusat, & rursus mare
Capiti minatur? Quid jubes ultra? *Dæm.* Tui
Maxentium uri sceleris exemplo. *Vmb. Phar.*
DEUM
Qui scelera fieri prohibet, & facta expiat
Graviore pœnâ, testor, in noxam hanc habes
Inobsequentem. Nolo quod tantas trahit
Pœnas patratum: Nolo quod factum semel
Semper piatur. Stabo, & arcebo scelus:
Quod crude mandas. Sapiat exemplo meo,
Quicunque gentem Numini acceptam premit.
Qui vult perire, perimat insontes, premi

Quos

Quos astra prohibent. Prima pereundi hæc via
est,
Probis nocere. *Dam.* Contumax, nostris negas
Parere jussis? *Vmb. Phar.* Quid venenatos ferus
Minaris angues? *Dam.* Verba quod nequeunt,
gravis
Sensus doloris impetrat. *Vmb. Ph.* Justa impera.
Dam. Sint justa, sint injusta; materies tuæ
Sunt digna culpæ. *Vmb. Phar.* Digna materies
meæ
Sunt illa pœnæ. *Dam.* Pœna post culpam venit.
Serò timetur illa, cùm crimen placet.
Vmb. Phar. Semper timenda est pœna, quæ sem-
per tonat.
Dam. Frustra timentur damna, quæ toto pati
Ævo est necesse. Quod grave est, vetus est
scelus.
O vilis Umbra! perge, quò Phlegeton jubet,
Novumque veteri scelere Pharaonem indue.
Vmb. Phar. Quis mihi per imos viscerum arden-
tûm sinus,
Inserpit ardor? quæ reluctantem rapit
In arma dextram flamma? sum rursus meus
Sum Pharao, sobolis Isaci excidium, latro
Invisus astris, grande supplicium probis.
Sum Pharao, vetere rursus exemplo novis
Sorbendus undis. *Dam.* Talis Ausonij subi
Animum Tyranni. *Vmb. Phar.* Fiat, hoc fiat
nefas,
Quod horret Orcus, quod superfusis mare
Sepelivit undis, quod procelloso bibet

Fu-

Furore Tiberis; quodque, si vivus forem,
Ipse expaverem. Fiat ingentis mali
Trahax catena. Tibrim & Erythreum mare
Uno recludam in alveo. Hic post tot neces,
Post innocentûm funera, & multas meo
Datas furori victimas, post Imperî
Malè arrogata sceptra, post sparsam pio
Cruore terram, mergar in stygem ultimam.
Dæm. Sic sic eatur. *Umb Phar.* Surge, quid torpes
Probrum
Vile imperantûm? Sceptra pallentûm tremunt,
Delubra nutant Numinum, antiquis cadit
Jupiter ab aris, Roma Christiadûm Deo
Procidua lunat poplitem, fumant novis
Altaria sacris, vertici extremum tuo
Fatum minatur; Tibris agglomerat suas
In funus undas: surge quid lentus stupes?
Hunc bibe cruente sanguinis puri scyphum;
Hoc ferve ab igne. Jam novo fervet novus
Pharao calore. Redde me turbo meis.
Max. Huc arma miles, arma & ultorem manu
Stringite furorem: congerat cædes chalybs,
Fœdentur astra sanguine, reorum natet
Cruore tellus. Prodimur! nostro tumens
Incumbit hostis funeri. An ludit sopor
Timidum per umbras? an vigil vidi mei
Scenam pavoris? Nullus hic nostro adstitit
Lateri inimicus? *Exc.* Nullus. *Max.* At cur
huc pedem
Armatus infers? *Exc.* Pareo vocanti. *Max.*
Mihi?

Exc.

Exc. Tibi. *Max.* Nec ullus visus est?
Ex Nullus. *Max.* Sopor
Infascinavit lumina. Excubijs suum
Armata turba Cæsarem tenuit? *Ex.* Tenet.
Max Quieta? *Exc.* Solus Cæsar insolitâ fremens
Voce inquietat. *Max.* Nullus armorum fragor
Auditus usquam? *Exc* Nullus.
Max Insuetus tamen
Mihi fragor aures perculit. *Exc.* Timidi fuit
Imago somni. *Max* Somnium tuum argue
Infidem [?] les Cæsari *Exc.* Vigiles poli
Contestor ignes, quæque taciturno fluunt
Sidera rotatu, nullus oppressit sopor
Oculos vel artus. *Max.* Quanta jam noctis rotæ
Egêre spatia? *Exc.* Quarta jam sonuit tuba.
Max. Hæc hora furva somnia, & tristes agit
Animos per umbras. Ubi sopor sensus ligat,
Non semper animus dormit. In somnis Dij
Aliquando vera nunciant. Quod nos leve
Quandoque phasma credimus, fati est opus
Ad nos loquentis. Cùm soporatam dies
Depulerit umbram, Maximum nostris jube
Adesse curis. Grande supplicium est metus,
Premitque mentem acerbiùs, quando sinu
Clauso tenetur: & tamen timeant licet
Reges, timorem prodere Augusti status
Prohibet honoris! Iste fortunæ tenor
Nostræ est; malis penè opprimi; & nullum tamen
Reperire tantis posse remedium malis.

SCE-

SCENA QVARTA.

Constantinus S. Nicolao Myræ Antistiti, tunc in Italia exulanti visum exponit, ab eoq; quæ sit Angelorum natura & vis, quæ gratiæ, edocetur, ac certam victoriæ spem accipit.

Constantinus. S. Nicolaus.

Const. Verende Præsul, cujus in curas dedit
Momenta terræ Numen, & Patris vices
Obire jussit: Cœlitum jam me favor
In bella firmat; totus in nostrum polus
Martem laborat, spemque palmarum facit.
S. Nic. Ante ipsa bella, Cæsar, eventum tenes,
Si firmat æther arma. Successu nequit
Mars infecundo cadere, quem nutu suo
Deus probavit. Ille bellorum vices
Unus gubernat. Cæterum ambiguis volat
Victoria alis. Fulget, adspirat, venit;
Nutatque rursus, rursus exspirat; cadit,
Fugitque rursus. Mobilis palmæ Deus
Firmat volatus. Illius nutu omina
Belli feruntur. Fide: nil vane Deus
Promittit unquam. *Const.* Siderum nisi me fides
Fallit, secundùm Martis eventum manu
Victrice prendo, meque famula insequens
Fortuna passu, vindicem Romæ gravi
Parat triumpho. Noctis ubi juri dies

Cessit

:essit peracta, seque per ludum facer
gere O'ympum; visa per somnum mihi
pecies triumphi: visus ad nostros pedes
Jacere pronus civis; auditus canor
Plaudentis æris. Deinde, ubi extersis sopor
Abscessit oculis, geminus aspectu gravis
Vir ante vultus constitit, fassus Deum
Nostris favere prælijs: Circùm cohors
Fusâ Geniorum luce radiantem Crucem
Suspendit inter sidera, & suavi sono.
Hoc vince Cæsar, inquit, *in signo*. Sonum
Spes certa sequitur; non dubio urgeo
Ardore Martem.
S *Nicol.* Sequeris instantem Deum.
Sic ille, quando pectus heroum viri
In pulchra laudum merita magnarum vocat
Famulas cohortes, Cœlitum augusto induit
Corporis amictu; quodque decreto jubet
Agi, per istos nunciat. Non his tamen
Natura corpus fingit, aut morti dedit
Damnata membra. Spiritus puri, gravi
Non ambiuntur sarcinâ. Lunæ globum
Solisque supra, siderum cursus supra
Solium Tonantis ambiunt, seque ubere
Pascunt voluptâ semper, & toto Deo
Læti fruuntur: quoque conceptum magis
Spirant amorem, hoc æstuant flammæ magis
At tota quamvis mersa delitijs natet
Mens æviternis, rebus humanis tamen
Intenta servit. Quisquis humanos venit
Infans in artus, Cœlitem vitæ cliens

Habet Patronum. *Const.* Et improbi?
S. Nicol. Nulli negat
Auxilia cœlum. *Const.* At quantus interitu cadit
Turbo populorum? *S. Nic* Nempè, qui duri nimis
Turpi rogantem gratiam vitant fugâ,
Opemque renuunt. Gratia, Tonantis genus,
Necessitatis nescia, invitos monet,
Sponte occupantes incitat, recti viâ
Exorbitantes mollius rursum trahit;
Nec cogit ullum. Liberos nobis Deus
Donavit animos. *Const.* Cogere at potest tamen?
S. Nic. Sed nolle statuit. Liberum obsequium petit:
Odit coactum. *Const.* Quidquid invitus facit,
Nil promeretur?
S. Nic. Perdit obsequij modum
Quidquid coactum est. Sponte qui periit, perit;
Cùm posset idem sceleris immunis sacrum
Servare pectus. *Const.* Sæpè sed mentem impetus
Gravis fatigat. *S. Nic.* Impetus nullus tamen
Evertet animum, liberè victas manus
Nisi porrigamus. *Const.* Improbis ergô favet
Probisque Numen? *S. Nic.* Nemini Solem negat,
Seu purus ille mente sit, seu sit nocens.
Spectare lucem quilibet tutô potest:
Spectare si quis nolit, aut spontè abditis
Se claudat umbris; ille non Solem arguat
Sibi negatum, scelere sed damnet suo
Animum obstinatum. Namque aberrantem monet,
Invitat, urget Genius, & blando allicit

Ser-

Sermone pectus.
Conſt. Undè conſimiles trahunt
Hominibus artus Cœlites, cùm ſe exhibent
Aptos videri? *S. Nic.* Siderum puras nives
Floremque denſant. Inde juvenilis decor
In frontem & ora ducitur.
Conſt. Quantus vigor
Firmat lacertos? *S. Nic.* Major humano. Dedit
Exempla Nilus, quando depoſitas ſenes
Flevêre proles. Nempè ſe nitidis agens
Genius in armis ſuſtulit primas Patrum
Spes per Canopum. Cecidit innumerus chorus
Ferro reciſus. Unicus tantum Dei
Potuit Ephœbus. Caſtra Sennacherib tibi
Revoca Imperator. Ille ſpe vanâ ſibi
Solymam ruentem fingit, & fauſtæ vocat
Sinus Idumes: robur invictum feris
Indurat armis; ſigna per campos trahit
Infeſta Martis. Scelera ſed rarò exitus
Habent petitos. Quando jam in curſu rota
Felicitatis eminus ſpectat jubar,
Deus curules frangit. Incubuit polo
Nox atra. Solymæ funera, & triſtem exitum
Miles canebat: ecce per jugulos manus
Ignota ferro ſævit; & quaquà volat,
Cumulat acervos funerum: truncus jacet
Per ampla miles ſpatia; bellator tamen
Qui ſtrage campum replet, occultus latet.
Vix nocte pulsà micuit auroræ jubar,
Unus, ſuorum à funere ſuperſtes, vidit
Sennacherib altâ clade ſublatum decus

Ro-

Roburque sceptri: corripit mentem timor,
Trepidusque posito Marte se vertit fugæ,
Sic tumida victor colla detruncat Deus.
Et nunc tyrannus urbe se jactat ferox:
Sed brevia sceleri tempora indulget polus.
Stragem minatur Civibus, & urbi facem:
At comminari & vincere, haud distant parum.
Etiam minari fœminæ possunt. Viri
Non semper æquè vincere; Facilè est Deo
Consilia tumidi evertere, & tenui manu
Grandem tyrannum sternere, ac gemitu jocos,
Laurum cupresso vertere, triumphos nece.
Est aliquod astris Numen, in cujus cadet
Ensem tyrannus. Tuque non dubius manum
Urge imperator: Auspice Tonante erues,
Quodcunque Romæ gliscit exitio malum.
Per te redemptus Romulæ genti Deus
Solito coletur thure, & antiquus vigor
Restituet aras Cœlitum; per te fides
Reddita Quirinis saxeos orbis Deos
Proruet, & orbem sola dominatu reget.
Const. Habet obsequentem Cæsarem annutus
Dei.
Audite Solis cardines, seu quà venit
Juvenis ab undis, sive quà languens caput
Pelago recondit; vosque qui proni in mea
Venistis arma Cœlites, tuque o Dei
Augusta genitrix; arma si quidquam mea,
Si sceptra possunt aliquid; exilio fides
Revocata, Romæ rursus & jura, & vetus
Solium tenebit, alta pax urbes colet,

Qua

Orbemque *Pietas*; jura *Iustitia* dabit,
Unumque Christum mundus acclinis colet.
Audite: Constantinus hæc cœlo vovet.

SCENA QVINTA.

Maxentius somnium suum exponit Maximo urbis Consuli. Statuit Dymantem Magum de belli eventu consulere.

Maxentius. Maximus.

Maxim. Quæ cura mentem, Cæsar afflictam tenet?
Maxen. Quando procella volvitur pectus, nequit
Serenus esse frontis Augustæ tenor.
Maxim. Suspensa labris verba, non constans color,
Partesque in omnes oculus ambiguus, pedes
Artusque trepidi, grande quod tegitur malum
Palam eloquuntur. *Maxen.* Nulla sine curis dies,
Nox nulla transit Regibus. *Maxim.* Solitò patet
Ex ore gravior. *Maxen.* Nempè, cùm gravius malum
Premit, latere nescit affectus color
Oris, oculusque mentis invitæ notas
Manifestat. *Maxim.* Ede Cæsar afflicti malum
Cordis. Professus robur amittit dolor.
Maxen. Da fidus aures. Regij arcanum tibi
Scenam recludo pectoris: nulli alteri

Velim hanc patere. Vulgus in rimas abit,
Proditque quicquid fidis, arcani impotens;
Mendacijsque fama depravat rei
Momenta magnæ. *Maxim.* Marmori fides tuæ
Secreta mentis. *Maxen.* Accipe. In medio stetit
Nox furva Olympo, nescio an Morphei jocos
An vera vidi: pontus hinc vastus mihi
Natare visus sanguine; hinc grandi impetu
Ignotus ire populus, & Genio duce
Per secta ponti spatia, per stantes aquas
Siccis meare gressibus: tum se furens
Agere per undas miles, & passu incito
Fugam prioris insequi. Stetit mare
Utrinque pendens, donec in apertum cohors
Sub[ij]t hiatum: tum procelloso impetu
Unda revolutis fluctibus & arma & viros
Sepelivit unà. *Maxim.* Vera si menti Deus
Narrat, triumpha Cæsar! Hæc tuæ spei
Præludit umbra. Nempè te sequitur fero
Mavorte Constantinus; at tandem suo
Tabo innatabit. *Maxen.* Loquere quæ prosunt magis,
Quàm quæ placent. Hoc regia laborat malo;
Utilia pauci, placita permulti ingerunt.
Vix fugit ora miles oppressus freto,
Terrifica species hominis ante oculos stetit,
Efflata sævum: *Sceptra pallentum tremunt,*
Delubra nutant Numinum, antiquis cadit
Iupiter ab aris, Roma Christiadum DEO
Procidua lunat poplitem, fumant novis

Al-

Altaria sacris, vertici extremum tuo
Fatum minatur, Tiberis agglomerat suas
In funus undas. Surge, quid lentus stupes?
Maxim. Hoc est verende Cæsar: ultorem sui,
Te decoris astra postulant, ritus novos
Exosa vulgi, vindicem sui legit
Te cœlum honoris. Quod placet Superis, manu
Regum elaborant. *Maxen.* Tum scyphum admovit labris
Sanguine natantem & pectori appressit facem
Sic fata: *Save, hunc sanguinis scyphum bibe:*
Hoc igne ferve. *Maxim.* Cæsar in tuos habes
Ausus faventem Numinum assensum. Scyphus,
Quem bibere ratus es, Flaviæ est gentis cruor,
Quem chalybe victor hauries. *Maxen.* Si stet suâ
Fidelitate Civis. *Maxim.* Hanc sacras tibi
Populus ad aras jurat. *Maxen* Et constans suâ
Stat mente? *Maxim.* Gentis Romulæ hoc primum est decus:
Jurata pacta pendere & vitâ, & nece.
Maxen. Reprimis timores. Stat tamen belli exitum
Solitâ Dymantis arte scrutari. Dij
Si veritatem denegant, Colchis dabit.
In nostra pronos vota, si nequeo polos
Flectere, profundo è carcere movebo stygem.

* *
*

SCENA SEXTA.

Maximus Consul ex somnio Maxentij malè eidem, benè Constantino & Romæ ominatur.

Maximus solus.

Sic est; in aula veritas monstrum est. Loqui
Placita necesse est; quando sibi odium parit,
Qui vera loquitur. Nuda quæ gaudet Dea
Prostare, in aulis tegitur. Huc rarus Cato,
Sejanus intrat plurimus. Larvam induit,
Quæ nuda nata est Veritas. Silentium
Mendaciumque, prima sunt aulæ nota,
Prima ars placendi Regibus. Verum, tegit
Mendacium. Silentium non detegit.
Par culpa utrique est. Nil magis Princeps avet,
Quàm veritatem nôsse: nil minus obtinet.
Si non nocentes Principes Dea hæc fugit,
Non serviet nocentibus. Dixi palàm
Studio placendi, Cæsari sortem auream
Spirare cœlo; Flavium tandem improbâ
Nece periturum, dixi & ultorem Deûm
Legi tyrannum; quotque sunt stellæ polo,
Tot in favorem Cæsaris nictus dare,
Placere volui. Cæsares sævi, ut feræ
Sunt laniendi. Belluam cautus manu
Tractas amicâ, ne magis noceat; neque
Ut prosit, ambis. Aliud internus sinus

Mi-

Mihi dictat omen, aliud os canit. Aureos
Mentimur ore sortis optatæ dies;
Sed corde premimus tela, quæ capiti parat.
Cùm Sceptra tigris torquet, hoc unum bonum est;
Simulare posse. Flavium, si me meus
Non fallit animus, Flavium exacti manet
Belli triumphus: Ille, non fallor, trahet
Tiberis per undas Martis examen grave,
Romamque cernet supplicem, & fusos genu
Lunare Cives. Ille, si verum canit
Stygialis umbra, vertici extremum tuo
Fatum tyranno conciet. Nullus diu
Violenta regna tenuit. Est sceleri sua
Sors destinata. Vindices nemo putet
Se posse Superos fallere. Instantem trahit
Pœnam tyrannus: quique non nocuos premit,
Tandem ipse sceleri nocuus immoritur suo.

SCENA SEPTIMA.

Maxentius Tyrannus de belli successu Dymantem Magum consulit: spemq; victoriæ accipit.

Maxentius. Dymas.

Maxen. Pavidus per umbras animus incedit suæ
Præsagus urnæ. Fata si nondum parat
Suprema Numen, magna trepidanti imminet
Procella capiti. Cernis? hic quantis solum

Funeribus albet? Miles, heu! miles meus
Hic ossa sparsit. Terra sub pedibus tremit,
Totusque late trepidat excussus suâ
E sede mundus. Sidera elisis tonant
Metuenda flammis. Omnia in nostrum malum
Elementa pugnant. Iste quis canâ caput
Gravis senectâ? Nempè, qui nuper meâ
Marcellus irâ cecidit. An rursus novâ
Ut morte pereas, bellua in vitam redis?
Eheu! cruentus undique in cædem meam
Ignescit ensis. Gemitus hinc auras ferit,
Hinc multa funus ulula supremum canit.
En Tyberis undat sanguine, & latè vias
Effusus omnes occupat: totis frequens
Cadaver undis volvitur. Miles meus
Inter procellas funere extremo perit.
Quis hic chelydrus sibilat? quis me premit
A fronte serpens? Hinc, & hinc dirum jacit
Anguis venenum.
Dymas. Vana correptam rotat
Imago mentem. Fræna, qui Romæ paras,
Populisque sceptra, te prius Cæsar rege.
Max. Quis tu fluente squallidus barbâ Senex?
Quæ monstra averno proruunt! Duri heu flagri
Acerba plaga! *Dym.* Scelere torquetur suo
Animi impotentis æstus. Has pœnas trahit
Præmissa culpa. Nullus impunè est nocens.
Si pœna desit alia, tormenti satis
Est ipsa culpa. *Max.* Parcite immites Deæ!
Dym. Illusus umbris animus est impos sui.
Men-

Mentis ſtuporem corpus attactu levet.
Max. Video Dymantem! ò columen, & major mei
Fortunæ ſceptri! quantus in mediâ venis
Caſtor procellâ! *Dym.* Frontis auguſtæ jubar
Adoro pronus. *Max.* Potiùs aſſurge, ò Pater,
Spes undè noſtra fulget, & quidquid ſuper
Vitæ eſt, tenetur. Erro! num ſpecies mali
Viſo Dymante fugit, & rurſus dies
Oculis ſerenus redditur? *Dym.* Si quid poteſt
Colchis per herbas, Magica ſi quidquam valent
Prodeſſe metra, Cæſari impendam. Jube
Quodcunque libitum eſt: paret & cœlum mihi,
Et Styx, & Umbræ, & vaſtus Oceani ſinus,
Et flammæ, & ignes, fulmen, & Averni chaos.
Max. Quæ bella verſet alea, & noſtro incubet
Fortuna ſceptro; quàmque ſtet dubio gradu
Salus Quiritûm, Ditis interpres, vides.
Hinc multa metuo, multa deſpero quoque.
Dym. Prudentis eſt metuere; ſed fræno tamen
Regere timorem. Qui nihil cautus videt,
Nihil uſque metuit. Plura qui cernit, cavet
Is plura. Vanus ſæpè, ſed magnos timor
Laceſſit animos.
Max. Vanus, an verus mihi,
An profuturus torqueat mentem pavor,
Turbatus animus non videt. *Dym.* Nihil intereſt,
Veruſné ſit, vel vanus. Hoc multum intereſt,

Quod ipse metuas. Anxium eventu rei
Pectus futuræ, carnifex sortis suæ est.
Audere quæ timemus, est magnam metûs
Domuisse partem.
Maxen. Quamdiu belli exitus
Dubius laborat inter adversam simul
Facilemque sortem, nulla metuenti est quies
Tranquilla menti. Ostende, quam fata aleam
Versent sinistra, fata quam versant bona;
Quam dubia palma flectat in partem; cui
A Marte cœlum lauream, aut taxum paret.
Æquè Tonantis fulmen, ac risum poli
Tolerare didici. *Dym.* Carmine horrendum chaos
Movere ab imo, cogere in vocem Deos,
Tacitâque nocte evolvere latentes metus,
Ars nostra, Cæsar, est. Avernalem traham
In vota sedem; quidquid aëreis volat
Campis, ciebo; nubibus quicquid crepat
Tonitruorum. Conside hoc Cæsar loco.
Thespis ministra. Cedat ex humeris chlamys,
A fronte sacra in turbinem cocat coma;
Varij coloris tunica resoluto fluat
Nodo per artus. Baltheus pectus liget
Pariter colore varius. Albentem timet
Serenus aër. Namque si jubeam, coit
A b utroque mundi cardine procellæ fragor,
T[illegible]nitruque & atræ fulminis sævi faces.
Rub[illegible]minantes nubium frangit sinus,
Vento[illegible]que in arma cogit, & murmur gravi
Elidit ic[illegible] Cœrulus ponto imperat,

Levi-

Levibusque crispum Etesijs turbat mare,
Tempestuoso Circij ejectum impetu.
Tremefacta nutat terra ad imperium nigri,
Vastoque hiatu pandit Umbrarum domos,
Et quidquid orcus claudit, in apertum trahit.
Lucis theatrum, Virga, quâ Lunam voco,
Quâ pello cœlô sidera, & furva aërem
Subtexo nube, spatia describat rei
Bene peragendæ. Hoc circulo totus mihi
Ministret Erebus. Solitus in mentem furor
Dum provocatur, Martiæ clangor tubæ
Accende pigrum sanguinem. Satis est. Cruor
Jam bullit omnis, sexque vix venis tenet.
Hinc exciatur Orcus. Inferni lacus,
Cancer silentûm, vosque Avernales domus,
Sedes gementûm, semper inamœnum chaos
Stygios hiatus pandite, & puram dolos
Efferte in auram. Dormit aut languet DEUS?
Tubâ excitetur. Tympanum Thespis quate.
Jam micuit ignis primus, & fumi vapor
Infecit auras. Dire tenebrarum Pater;
Et Imperator Manium, tristis domus
Sævi inquilini, vulgus Umbrarum ferox,
Genus draconum, sontium tortor, sacri
Lues honesti; sive Sisypheum gravi
Collum fatigas mole, sive undæ fugâ
Senis calentem Tantali ludis sitim;
Seu corde Titij pascis effosso nigri
Ululas Averni, sive discerpis rotâ
Currente membra sontium in votum veni.
Immugit iterum terra: laxantur sinus,

Volant chelydri; Cerberi latrant, Draco
Exspumat ignes. Numen obsequijs tuis
Adest paratum. Posce, quæ poscis: tuo
Cæsar faventem senties voto Deum.
Max. Arbiter Umbrarum, domitorque nigrantis Averni,
Cui rerum series, tacitisque sepulta tenebris
Belli scena patet; si non injusta precamur,
Quid cudat fortuna, refer, venturaque pande
Omina bellorum. Voti reus ardua centum
Terga juvencorum, manus hæc tibi cædet ad aras.
Pluto. Ex speculo fatum, casusq; evolve futuros.
Aggeris ligni texto, tabulaque frequenti
Hostibus in fraudem sternes Tiberina fluenta.
Illum fata prement, fugiens qui pontis adibit
Insidias: illum spumæque, undaque, procellæque
Involvent æstu, qui gentis sceptra Quirinæ
Perdere, & imperium lacerare per arma laborat.
Max. Ambigua verbis cecinit, & dubio metro
Concussit animum.
Dym. Certa non dubijs dedit
Responsa verbis. Ille qui pontis dolos
Fugiens subibit, primus inferias dabit
Sacras Averno.
Max. Sceptra qui gentis parat
Perdere Quirinæ. *Dym.* Tune per Marte studes
Lacerare Romam? *Max.* Juro torquentem vices,
Mortaliumque fata volventem Deum;

Non

Non ego Quiritū funera, aut Romæ neces,
Cædesque volvo Civium. Patriæ bonum,
Urbis salutem, Civium pacem peto,
Arasque cultas Numinum, & acerras Jovis
Semper calentes thuris incensi dape.
Dym. Excedat ergo pectore timoris gelu.
Ambigua Ditis verba funestum tibi
Nihil minantur. Flavio hoc fatum Duci
Instat sinistrum. Namque dum Romam agmine
Denso coronat, civibus pacem eripit,
Ipsumque bellis turbat Imperij caput.
Vel ista cecinit Pluto, vel cecinit nihil.
Max. Reprimis timorem pectore, & vastum fibris
Subdis calorem; quando jam nostri patet
Belli secundus exitus. Sic me fovet
Styx sæpè culta victimis. Ibo sacro
In jussa felix omine, & quâ sese iter
Pandit per arcus Milvios, sylvæ trabes
Spolium Sabinæ congeram, & pontis dolor
Aptabo Tiberi. Vota fortunet polus:
Vel si renuerint astra, Cocytus fave.

SCENA OCTAVA.

Constantinus mittit Artemium Ducem ad Maxentium, ut urbis deditionem petat.

Constantinus. Artemius.

Const. Imperia terris, nomen æquamus polo:
Sed quod beatum Cæsarem solum facit,

Pacis caremus otio: invitos Ducis
Humeros fatigat cura bellorum gravis.
Pax est amori, pax tamen amantem fugit,
Per tot procellas Martis, & per tot vices
Quæsita sortis. Certa jam nostris sedent
Trophæa in armis; certa palmarum Deus
Omina spopondit Cæsari. at quanto hoc decus
Stabit cruore! Sanguini quando potes
Parcere, sitire Civium cladem, est nefas.
Honesta palma est, cæde quæ nulla venit.
Manu cruorem Regiâ tardè decet,
Parceque fundi. Lenitas primum est decus
Justè imperantis. Artemi, alloquio prius
Tenta tyrannum; ponat augustum Imperî
Diadema nostri, quodque violento sibi
Ausu arrogavit, Regiæ sceptrum manûs.
Urbem timore liberet, Cives jugo;
Suâque miles sorte contentus dies
Reliquos in armis transigat. Cæsar volo,
Jubeoque: mitis impio, si me audiat.
In jussa promptus; at reluctantis moræ
Severus ultor. Fortè Perusinæ monent
Meliora strages. Sæpè quos præceps furor
In arma duxit, revocat ad mentem timor.
Est, qui minatur, æmulo quando caret;
Quando arma spectat æmuli, irarum graves
Ponit tumultus.
Artem. Rigidus ingenio furor,
Animusque durus sana consilia excutit,
Non est tyrannus, qui metu flecti potest.
Medijs ab ipsis indoles duræ trahunt

Ani-

Animi rigorem Const. Quamlibet flecti sciam
Indocile cor Maxentii, nolo tamen,
Quod suadet ira, Martis incenso prius
Impete ruinas agere, quam clementiam
Agnoscat orbis Cæsaris. Justè quidem
Furere liceret; quando tentati sat est
Suspicio regni, ferreâ ut regnum manu
Securitati vendices. Non quod petit
Meritum tyranni, pensito, sed quod decet
Sublime Regis pectus. Hoc orbis sciat,
Tentata molli vulnera attactu. Piam
Si durus animus dexteram nolit, gravem
Sentiat in ictus. Nemo sic Martis mei
Damnabit iras; Roma laudabit modum.
Piumque noscet Cæsarem, & Justum simul.

CHORVS.

Pietas & Impietas Victoriam captant. Fugientem Pietas insequitur. Nititur & Impietas sequi; sed à Consilio, & Industria laqueo detinetur.

Victoria. Pietas. Impietas. Consilium. Industria.

Vict. Ergo bellaces committo manus;
Geminoque acies misceo marte;
Amor utriquè, at sæpe utrumque
Fugio nulli jurata Deo
Subdita soli. palmam ostendo,
Nec trado tamen nisi cum cæli

Provida mandant jussa, ambiguis
Huc feror, illuc incita pennis;
Anceps homini, sed certa Deo.
Hinc me Pietas, hinc Impietas
Ardore pari, paribusque armis
Sollicitant. *Piet.* O Diva meorum
Amor armorum! *Imp.* O Diva meorum
Flamma furorum! *Piet.* Huc verte virentem
O Deâ palmam! *Imp.* Huc age victorem
Diva virorem! *Vict.* Precibus flecti
Nescia, nutus expecto Dei.
Quo jubet, illuc palmam inclino,
Dum non mandat, venio, fugio,
Semper dubiis suspensa alis.
Imp. Teneo! *Vict.* Fugio *Imp* O gratia fallax!
Et spes celeri delusa fugâ!
Amor inconstans! profugusque favor.
Vict. Quæ citò venio, rapida effugio.
Imp. Sic cita nimium gaudia pensas
Majore malo. *Vict.* Cernite reducem;
Tendite dextras. Tu cape palmam.
Piet. Etiam Pietas cœlo invisa est?
Displicet etiam, si tendo manus,
Palmamque peto? *Vict.* Certo veniunt
Ordine palmæ. Nondum cœlo
Placuit bellis ponere finem.
Veniunt longo magna labore.
Vis hoc palmæ decus? *Imp.* Irritas?
Vict. Rideo vani vota laboris.
Non tibi nascor. Frustrà Impietas
Vincere quærit. *Imp.* Sæpe rotata

Victrix palmam per bella tuli.
Vict. Nunquam at solidâ stetit illa manu.
Tarda advenit, præpes abivit.
Impietatis regnum instabile est.
Piet. Quid Pietatis? *Vict.* Pietas sola
Est regnorum secura basis.
Imp. Impietatis regnum instabile est?
Per tela petam. *Vict.* Per tela rues.
Imp. Est leve damnum vitæ, ut regnes.
Vict. Jactura gravis vitæ & regni est.
Non regnabis. *Imp.* Ringere, morere;
Ego regnabo *Vict & Piet.* Ringere morere;
Non regnabis. *Imp.* Quocunque pedem
Fugitiva feres, studiosa sequar.
Vict. Huc tende gradum, si stulta potes.
Piet. Ego migrantem persequar. *Imp.* Et ego.
Consc. Injice laqueum. *Consc. & Ind.* Non, non ibis.
Multa minari, pauca efficere (Sta
Stulta ira potest. *Impiet.* Teneor. *Consc. Indit.* Vin-
Non effugies. *Imp* Mitte furentem.
Consc. Indit. Non effugies. *Imp.* Fulmina superi!
Fulmina nubes! *Consc Ind.* Furit in cassum
Vincta catenis Caspia tigris.
Furit in cassum, cui stulta sine
Viribus ira in pectore fervet.
Non regnabis. Ringere, morere;
Non regnabis, non regnabis.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

Artemius ad Maxentium Legatione fungitur; sed irritâ.

Artemius. Metellus Consul. Maxentius.

Artemius.

Jussu benigni Cæsaris pacem fero,
Si pax amatur. *Met.* Quamlibet pacem
Augusta Roma; dulce ridentem tamen
Videre pacem non potest. Rigidus nimis
Instat tyrannus, seque non justo rotat
Furore in arma. Vota si Romæ pius
Audiret æther, pestis hæc pridem suo
Tabo innataret. Sed reluctari malo
Nimium ulceranti non licet. Quando fremit
Ima revulsi sede tempestas maris,
Dare obsequentem fluctibus navim decet,
Ne vela rumpat Eurus, & mergat ratem.
Quæ fugere nequeas tela, sapienter feras.
Artem. Erit furori meta. Vel sceptrum dabit
Suo tyrannus Cæsari; aut cœli manum
Gravem suorum vindicem scelerum feret.
Nunquam tyranni sceptra toleravit diu
Taciturnus æther; Instat à tergo sua
Vindicta sceleri. *Metel.* Sera sed nimium venit.

Ar-

Artem. Gravior prementis ira pensabit moram.
Met. Sic jubeat æther.
Maxen. Liceat at vultus mihi
Tyranni adire. *Met.* Sonuit impulsi fragor
Cardinis. En ipse Cæsar affatus dabit.
Art. Non esse gentis Flaviæ augustum Patrem,
Cui rigida quondam dederit in primas dapes
Uber Leæna, vel superbifico pede
Premat jacentes; discat Ausonii laris
Injustus hæres. Licuit obstantis moras
Mavorte toto infringere, evulsas domos,
Et templa, & aras Numinum, atque ipsos Deos
Involvere uno, pariter ac Cives, rogo.
Moderatur æstum pectoris. Quanquam tua
Si merita spectet, cædibus teque, ac tuos
Sepeliret una; At ille (quod Regem decet)
Parcit cruori Civium, & gaudet manu
Tractare molli vulnera. Imperio suo
Parere Romam poscit, ad cujus sedes
Injustus hæres sceptra. Si obsequeris, tuo
Vivis superstes funeri; sed si negas
Violentus Urbem miles in cinerem dabit.
Quo vestra vento lina, quo fluctu ratis
Agatur, ipse cernis. Ad muros abest
Miles tegendos; magna pars Urbis tibi
Infida nutat: Civium adstringis metu
Obsequia, non amore. Quæ fundat timor,
Diuturna non sunt. Occupat viros pavor
Timidaque trepidant castra. Quo vigeat statu
Res nostra, pariter cogita. Victor sua
Numerat trophæa miles, & longo ordine tu

Pal-

Palmas recenset: sive quas hostis fugâ
Præceps reliquit; sive quas stratæ solo
Urbes dederunt; sive quas cives metu
Trepidi obtulerunt; sive quas tanti potens
Amor occupavit Cæsaris. Victoria
Prior sequentem spondet, à prima venit
Calor in secundam. Militi accrescit vigor,
Vicisse cum se meminit. Hoc animo quoque
Expende: amari Cæsarem. Quid non potest
Præoccupatus cordis affectus! Ruit
Sponte in paternos civis amplexus; ubi
Patrem experitur, quem timuit hostem. Fidem
Huc ille vertit, unde manantes fluunt
Gratiæ & amores Cæsaris si quis tamen
Respuit amores hactenus, ferrum tulit,
Suoque tabo turpe fœdavit solum.
Sapere alienis casibus discat, suos
Qui vult cavere. Sed quid aliena advoco?
Propria pericula terreant. Nondum excidit
Verona mente; quando non pavidus lares
Miles subivit; quando te populi jocus
Vilis secutus, terga cum turpi dares
Fugæ, & sequentem mortis horreres pedem.
Repone sceptra Cæsari, & vivit salus
Tua, & tuorum.
Maxent. Sceptra latrones petunt?
Quirina sceptra? Roma non didicit juga
Aliena ferre. Gentis Ausoniæ pater
Genuit nepotes liberos, prolem sui
Juris tenacem, nesciam alieni; Deos
Patrios tueri fervidam. Collo jugum

Non inducemus. Fulminum quidquid strepit,
Inane murmur credimus. Jactat minas
Infirmus animus: fortis, ad ferrum volat.
Victor sarum quidquid est partum, probat
Inertiam hostis, non manum invictam tui
Ducis. Nec esse victor hac lege appetam:
Labore parta palma delectat magis
Herois animam. Si qua vel nullo venit
Sudore, vel precario; indigna est viro,
Martem professo. Nostra si parvi est tibi
Fortuna, visque Martis; opposito licet
Marte experiri. Quisque, quid possit docet
Facta exhibendo. Si semel vidit fugam
Verona nostram (non nego) præsens dies
Delebit illud dedecus. Sententia
Stat mente fixa: sceptra non ponam: prius
Mea & meorum vita sub Avernum ruat.
Art. Nihil ira sanum suggerit, motu abstine,
Meliora cernes. Pace dum frui licet,
Malè Martis arma sequeris. In quem te trahes
Tuosque fluctum? Facile principium datur
Bello quod ætas longa non finit. Tuo
Bellum inchoare pendet arbitrio; exitus
A sorte & hoste. *Max.* Pendet arbitrio meo
Bellum inchoare? Prima jam auspicia dedi;
Quid sors & hostis possit, hæc quæret manus.
Art. Hic pacem & arma pallio in eodem fero;
Elige quod optas. *Max.* Arma, quæ cœpi, sequar.
Cœpisse nec dum pœnitet: bellum volo.
Art. Habe quod optas. Cæsaris laus hæc erit,
Pacem obtulisse, laudibus demet tuis,

Hanc

Hanc noluisse, & sponte in exitium ultimum
Traxisse Cives, templa cineribus, lares,
Tumulasse busto.
Max. Quas jacis frustrà minas,
Differ, ruinâ donec oppressus gemas.
Art. Ita astra jubeant. Senties quicquid jacis
Frustrà minarum, quando calcatus gemes.
Max. Recede. Quantus urbe sit populi tremor
Narra tyranno: nempe Circensi dabo
Ludos arenâ: si lubet, veniat mei
Spectator animi: vel veniat Actor rei.

SCENA SECUNDA.

Maxentius Magico vaticinio exultans ludos Circenses celebrat sinistro omine.

Maxentius. Met. llus. Consul. Gloriæ dua.

Attemperare bellicas curas jocis
Pars est laboris. Seria molestant, nisi
Jocis leventur. Circus in ludos patet,
Auspicia pindus, & novenarum choro
Cinctus sororum Phœbus in circum vehat.
Chorus. Surge palma amica Marti,
Surge laurus, & virentes
Tende ramos, & coronas
Implica Maxentio.
Surgit illa, crescit ista;

Implicantque se in coronas.
Surge laurus, surge palma,
Necte serta Cæsari.
Glo. 1. Involabo. *Glo:* 2. Considebo.
Chor. Involate, Considete.
Glo, 1 & 2. Serta Marti, serta faustæ
Nectimus Victoriæ.
Vive Cæsar! Flaviâque
Gente victâ laureatam
Prome frontem, dextra palmas
Inter arma demetat.
Glor. 1. Instat Auster. *Glor.* 2. Urget Eurus.
Utraque Nutat arbor, mors minatur.
Glor. 1. Labor eheu! *Glor.* 2. Labor eheu!
Chorus Triste funus occidunt.
Sors amœna longa nunquam est!
Læta migrat, advenitque
Mæsta; Sed jucundiore
Mæsta sors est longior.
Max Secede tristis bubo, tecumque amove
Inauspicato carmen ululatum sono,
Galeata turba subeat, & læto meis
Præludat armis omine.
Mitel O quantis micat
Animis Juventus! *Max.* Iste, cui galeam nigræ
Cristæ flagellant, nostra simulabit: rubra
Cui ludit ala, Flavii & castra, & viros
Signabit. *Met* Ite umbratili audaces manus
Consente bello. *Max* Buxei in ferrum viri!
Ignava corda! pudeat in Martem reses
Tulisse pectus, corque mobilius suâ

Trepidasse cristâ! Romulæ vobis decus
Sic gentis animo est? ite Romulei joci
Indigni arenâ. *Mat.* Melior in scenam cohors
Prodite Nani. Bella, quæ deceant viros,
Gruibus parate. Veniat in scenam Gigas
Parvæ cohortis ludus.
Max O monstrum viri!
Sub ipsa cœli sidera abjecit breve
Compendium hominis.
Motell. Turba Faunorum jocos
Inferat arenæ, Flavij in medio ducis
Statua erigatur. *Max.* Quisquis elisis valet
Aliquid sagittis, Flavij primus Ducis
Transfigat oculum, præmio hæc veniet chlamys
Radiata ab auro, perque discretas notas
Intexta gemmis. Ille quis celeri puer
In nube lapsus? vincimur? Cœlum invidum
Miscet jocosis seria? At nunquam dabo
Victam Tonanti dexteram, Nostra in forum
Statua vehatur; quam prono genu colet,
Quicunque gentis Flaviæ signis studet,
Huic festa Juvenum turba promeritos date
Cum plausu honores. Flavius sic me colet:
Sic me Quirinus Cæsarem agnôscet suum.
Quæ dira monstra? semper infensus mihi
Pugnabit æther? Aliquis an magico sono
Excijt in arma Cœlites? Claudat jocos
Turbata scena: sidera invadam manu.
Si quis sub astris invidâ torques manu
Non paria nobis sceptra, quem fingit Deum
Ser-

servile vulgus; exere in bellum manus:
Descende cœlo: Martium hunc campum subi:
Tibi violentâ dexterâ infringam caput.
Dymas vocetur, Ditis interpres, meæ
Sortis minister. Prælia Gigantum traham
Vindex in astra. Si mihi indignans polus
Intentat arma, serviant larvæ stygis,
Totusque famulam prælijs nostris opem
Impendat Orcus. Nolo propitium Deum;
Omen secundum nolo: nec Numen colo,
Nec astra veneror. Æthere excutiam faces
Cœloque lucem. Si qua delituit meo
Sub corde pietas, ense scrutabor fibras,
Et vel sub ipso sanguine latentem eruam.
Adhuc per aurei spatia decurrit poli
Sol lucis author, nec remetitur diem?
In ipsa Martem sidera triumphans feram,
Totumque ab imis sedibus olympum traham.
Quod scelere partum est, scelere defendā jubar.

SCENA TERTIA.

Incendio Capitolini templi turbatur Maxentius, & sibi malè ominatur.

Maxentius. Nuncius. *Romani Cives.*

Nunc. Auguste Cæsar. *Max.* Bubo quid mœstum canis?

Nunc. Exitia Romæ. *Max.* Exitia? dum Maxentius
Vivit, sinister casus exitium queat

Ad-

Adferre Romæ? *Nunc.* Jam attulit.
Maxen. Quodnam malum?
Effare. *Nunc.* Patria Numina in bustum vorat
Grassatus ignis: jamque se fumus tuæ
Infundit aulæ, & igneam nubem trahit
Cineres daturam. *Max.* Verticem nostrum petunt
Hæc sortis arma. Ite, ite famulares manus:
Mali incubantis pondus haud pigrâ potest
Operâ levari, Flamma depascens morâ
Cunctante crescit.
Civ.1. Quantus ex urbis rogo
Atrâ sub auras nube se cumulat vapor!
Eheu? cadentes ædium moles rudi
Aggere teguntur. Alter ambusto domûs
Culmine ruentis desilit; stratâ ædium
Alter ruinâ tegitur: obtritu perit
Quadrupedis alter : *Max.* Quis lacessito malis
Animum reponat pectori? fatum undique
Oberrat oculis. Conscius scelerum timor
Animum flagellat, mensque non constans sibi
Inter tot æstus, mole collapsâ, ultimam
Spectat ruinam. Cuncta proociduâ fluunt
Mihi sorte semper. Regios inter jocos
Circique ludos, nullus optato exitu
Tulit triumphum. Laurus occubuit; lyræ
Rupêre chordas: Flavii nostris Ducis
Erepta manibus statua: truncato mea
Repente capite planxit ingenti solum
Circi ruinâ. Gaudiis semper meis
Inserpit aliquid triste, quod mentem vorat,

Quod torquet animum. Nullus innubi dies
Se luce comit, nullus ad votum fluit.
Semel fatendum est: Flaviæ genti studet
Pronior Olympus. Studeat; ego cœlum impetam,
Et astra vindex more Titanum eruam:
Quod invidentis Numinis manus negat,
Ferrum hoc parabit. Subtrahant sese meo
Sidera favori, sidera hac cogam manu;
Totumqne subigam jussibus nostris polum.

SCENA QVARTA.

Artemius refert obstinatum Maxentii animum. Initur à Constantino consilium.

Constantinus. Artemius Ablavius. Constantinus Iunior.

Const Ergo cruentus ille furiarum rogus,
Prodita Acheronte pestis, & Romæ latro
Neque nostra metuit arma, neque mitem capit
Benignitatem Cæsaris? *Art.* Mentem sitis
Si quando regni corripit; ratio exulat.
Ambitio frenos nescit, & tumidæ f[illegible]ror
Calorque mentis sana consilia excutit.
Regnare quid sit, quando gustavit semel,
Subesse nescit. Cadere de regno grave est:
Româ emigrare dedecus; regni jubar
Dimittere, probrosum æstimat. Nullum parem
Ambitio tolerat. Splendor alienus grave

Est vulnus animo. Ridet ad nostras minas;
Quin & minatur: dumque per venas cruor
Aliquis meabit, Flaviæ in gentis necem
Semper calebit. *Const.* Rigidus extinguet chalybs
Æstum furentis. Alpium evici juga,
Concussi Italiam, jacuit ad nostros pedes
Ausonia tellus; hoste ter fracto lupos
Latium momordit: quisquis armorum sonum
Sensit, furentis arma prævenit prece
Genuque curuo; quisque se victum meis
Gaudebat armis. Nempè Mars nulli meus
Advenit hostis. Iste prædonum caput,
Spuma hæc Averni, contumax scopulus maris,
Juris charybdis; iste tranquillus mei
Sedem tenebit Imperi? Si non sapit
Benignitate, sapiat attritus meâ
Severitate. Fateor effusus mihi
Non facile sanguis bibitur: at quando exigit
Jus, fasque Martem, parcere cruori est nefas.
Ablav. Cum justa causa est, arma fortunat Deus.
Const. Mea juro posco *Abl.* Quidquid ablatum fuit,
Repetere fas est.
Const. Quàm grave est capiti, micans
Diadema Regum! frontis in scenâ rosas,
In corde spinas exhibet; foris levat,
Sed pectus intus mole Atlantæâ opprimit.
Cognata regnis cura se cumulat novis
Fæcunda curis. Quærere imperium grave, est
Gravius tenere: at perdere, hoc animi ulcerat

Pe

Penitos recessus. Jure quod tenuit bonum,
Nemo, sine mentis vulnere, alieno videt
Raptum furore. Gravius hoc nostrum tamen
Acerbat animum, quod nisi effuso Patrum
Cruore repeti nequeat Augustum decus.
Abl. Hæc jura belli: fluctus innocuos simul
Rapit, & nocentes.
Const. Cogimur; grandi licet
Animi dolore. *Ablav.* Velle, quod nolis, licet,
Quando volendi causa commune est bonum.
Const. Quæ vestra mens est? Romuli minimum velim
Spargi cruoris. *Abl.* Solus haud unquam cadit
Ingens colossus, tecta quin sternat suo
Vicina lapsu. Opprimere crudelem nequis
Bello tyrannum, nisi simul perimas quoque.
Quodcunque adhæret. *Const.* Urbis antiquæ Patres?
Alb. Plebem, Patresq; Neminem insontem puta,
Commune quando crimen est. *C.* Non est nocens,
Quem vis adurget. *Alb.* Jure bellorum est nocens,
Infesta quisquis arma molitur manu,
Seu sponte, seu vi. Ut sit nocens, unum hoc sat est;
Servit Tyranno. *Con.* Cogitur, *Abl.* Cogi nequit,
Cui major est vis. *Const.* Major est Maxentio.
Abl. Millena plebis capita plus possunt.
Const. Caput
Si membra flectat aliquod *Alb.* In scelus caput
Reperêre. *Const.* Violentum caput.
Abl. Violentiam

Violentiâ frangi decet. Sontem foves
Si parcis Urbi. Quando concepto crepant
Propinqua tecta ab igne, vicinæ quoque
Lacerantur ædes. Flaviæ Augustum caput
Columenque stirpis, si quid Ablavius potest
Suadere sanum; parte qua Tibris natat,
Instructa classis milite frementes agat
Fluctus in urbem: parte, qua spectat diem
Urbs occidentem, mœnia assultu premat
Agmen frequente: parte, qua septem videt
Currus Trionum, missili flammâ volet
Incensus aër. Plura cùm tentas, trahis
In varia studium plebis, & robur teris.
Distracta cura non potest unquam satis
Multis mederi. *Art.* Civium ut parcas neci,
Auguste Cæsar, parce violento manum
Urgere ferro; & militi parces tuo
Martisque flori, Valla si ferro impetas;
Hoc est necesse, Civium ut perdas gregem,
Aut vim tuorum militum. Neutrum satis
Clementiam commendat, in cujus velis
Jurasse leges. Parcere & civi, & tuæ
Potes cohorti. Sæpe crudeles mora
Fregit tyrannos: sæpè, non nego, acrius
Exulceravit. Non diu violens ferent
Jugum Quirites. Ipsa se frangunt mala,
Quæ nimis arcebant. Sæpè quod ferrum nequit,
Diuturna, ferro gravior, expressit fames.
Cingantur Urbis valla, tranquillis cohors
Stet fusa in armis: ne vel exiguum famis
Solamen intret. Veniet, & serò licet,

Ta-

Tamen incruenta veniet in noſtras manus
Hac arte Roma. Flaviæ hoc gentis decus,
Hæc imperantum gloria eſt: quando ſine
Cruore poſſunt vincere, intactas manus
Servare tabo. *Val.* Cæſar, armatâ è manu
Non facile ſceptrum eſt rapere, niſi dolis agas.
Conſt. Hoc imperantem non decet.
Val. Quando imminet
Solio ruina, genere quod in alio eſt nefas,
Fas eſt in iſto. Tutus, ut regnes, licet
Hoſtem dolis ſubvertere, Hoc nemo improbat.
Tollenda fraus eſt fraude: ne ſubeas prior
Dolos, doloſè præveni. Sunt, qui tuos
Faſces in urbe poſtulant: ſunt qui jugum
Grave execrantur, quod ferunt. Maxentium
Odêre multi, Flavium plures amant,
Tacitiſque votis ambiunt. Ego, jube,
Ego penetrabo; tacita conſilia eruam,
Firmabo pacta, mobili plebi ingeram
Odium tyranni: concitus tandem furor
Rebellione publica ardebit. *Conſt.* Doli
Virtutis adimunt gloriam. Herous vigor
Se librat armis, non dolis. Quid tu meæ
Virtutis hæres, nate, quem imperii paro
Quondam ſaluti, nate quid cenſes?
Conſt. Iun. Pater
Auguſte Cæſar, cujus in dextra ſedet
Libratus Orbis; quamlibet magnum ſcelus
Morâ invaleſcat; attamen & ipſum morâ
Robur adoleſcit, quo recidatur malum.

Suſpende Genitor arma, dum Criſpus ſuas
Siſtat cohortes. Longa non aberit mora:
Prævia propinquum fama jam fratrem canit.
Pars magna belli Criſpus eſt; partem quoque
Tuæ meretur laureæ. Cedet tamen
Laus tota Patri, quando pars magni ſumus
Soboles parentis. Militum acceſſu, furor
Majore franget impetu obſtantes moras
Obicemque valli: fratris exemplum pigros
Acuet in iram milites. Tum quâ lubet,
Aggredere muros parte, ſtat in omni virens
Tuis triumphis laurea. *Con.* Probantur Patri
Conſilia nati. Craſtinus natum dabit
Laurumque Phœbus. Ferte quam fertis moram,
Gloria meorum magna bellorum, Duces;
Miles acuatur interim, & feſſo quies
Conceſſa vires reparet. Immenſus labor
Vegetos lacertos, ſpiritum excelſum petit.

SCENA QUINTA.

Circenſium ludorum ſiniſtro omine turbatum Maxentium, Magus productus in auxilium larvis ſolatur.

Maxentius. Dymas.

Max: Natus ſiniſtro ſidere, adverſos poli
Semper labores patior, & triſti traho
Bubone Martem. Cuncta me in mortem petunt:
Cœlum, ſolumque Frontis auguſtum jubar

In capite nutat. Undique incursat gravis
Procella timido, meque discerptum trahit
Et huc, & illuc. Sæva, quo feriat, malum
Fortuna semper invenit: semper via
Patet insolenti, sceptra quâ premat, Deæ.
Sed non prememur. Invidus ut erret polus,
Hic faciet ensis. Ditis interpres meo
Ades timori medicus. *Dym* Adversum impetum
Imbelle pectus queritur, heroum domat.
Sors unde lædit, inde magnanimæ patet
Virtuti arena. Spiritum antiquum indue;
Certaque spe victoriæ nixus, gelu
Exue pavoris *Max* Quidquid attento, exitus
Habet sinistros. *Dym.* Sæpè generosum timor
Molimen antevertit: ubi cœptum tamen
Facinus, virilis animus in pectus redit.
At sint sinistra sidera, faventem tuis
Habes Avernum rebus Invito potes
Bellare cœlo; at exitu infausto nequis.
Max. In arma nostra facile Cocyti jube
Agmen venire, cujus ad nomen tremat,
Quicunque genti Romulæ exitium sua
Per arma portat: cujus in ferrum cadat,
Quicunque gentis Flaviæ in Martem venit.
Dym. Ut ego jubenti pareo; sic vos mihi
Parete Averni spiritus. Terram pede
Ubi premo, ab orco Martium exsurgat genus
Hic ubi Draconis veteris exuvias sero
Dentesque spargo; terra Cadmæi memor
Seminis, ab undis Tartari densâ evomat

Umbras catervâ, Lentâ, quid ſpectas? gradum
Molire in auras: carpe inaſſuetos poli
Lucentis ignes; cerne radiatum jubar
Educta tenebris ulula; & artificem tuæ
Venere vitæ, proximum cœlo caput;
Tantæque prona ſortis authorem cole.
En bellicoſus ſervit Auguſto chorus
Mavortis arte clarus, & bello potens.
Max. Non modica, vultus, indoles, ductus, ſtatus
Flexuſque ſpondet arduum. *Dym.* Cæſar jube,
Parata bellis turba documentum dabit,
Quo Marte corda ferveant. *Max.* Edant, placet.
Dym. Simulacra pugnæ more Spartano, chelys
Animoſa miſce. Gratus armorum fragor
Hoſtile binis agmen obvertens choris
Simulata bella ducat *Max.* His armis mihi
Spondes triumphos? *Dym.* Prælia eventu gerit
Secundo avernus. *Max* Cæſari fidas manus
Arteſque ſpondent? dubia quæ nutat, meis
Accedet armis laurea? *Dym.* Infamem Deum
Si perſequaris, thure quem multo colit
Gens Chriſtiana; cujus in cultu parat
Sua arma Conſtantinus. Exemplum unius
Lex plurimorum eſt. Quam viam Princeps init,
Hanc populus ultrò ſequitur. Impune eſt nefas
In plebe, quando facta magnorum id probant.
Quà bella Conſtantinus, & Martem rotat,
Hac ara noſtri Numinis friget, calet
Succenſa Chriſto acerra. Nec deêſt, impia
Qui thura Chriſto ſpargit, & negat Jovi,
Qui, te remoto, Flaviæ genti ſtudet.

Ubi

Ubi fulcra vulgus invenit, quodvis nefas
Aggreditur audax. Bella dum fervent foris,
Cave Imperator, bella ne foveas domi.
Consilia miscent paria, qui cultu pari
Idem verentur Numen. *Max.* At paucos habet
Hac peste nocuos Roma. *Dym.* Plus unus nocet
Latens in Urbe proditor toto foris
Ardente Marte. *Ma.* Si scelus careat duce,
Metuit in auras tollere ignavum caput.
Dy. Spes ipsa dux est sceleris, incentrix mali.
Tentare quodvis audet insanus nefas,
Quisquis secundos exitus suo potest
Sperare sceleri. *Ma.* Viribus quando caret.
Dy. Spes ipsa vires suggerit. Quod non potest
Audere timidus; audet, ubi fulget spei
Scintilla modica.
Maxent. Debilis quidquid potest
Audere, facilè premitur. *Dym.* Infirmus gravi
Sæpè ferit ictu. Cum furunt lentæ manus,
Hoc vulnus urgent certiùs, quod se sciunt
Minus timeri. Nec tamen plebem putes,
Aut vile solum vulgus Eoos cruci
Cremare honores: serpit impunis lues
Etiam per alta capita, & illustres domos
Afflavit aurâ. Scelera non habent modum.
Ma. Modum iste ponet ensis, & dextræ rigor
Adjutus Orco. Juro pulvinar sacrum
Semper faventûm Numinum, & sacros focos
Arasque Martis; sceleris infandi Deus
Fugatus aris, Tartari ad fundum ultimum
Interminatis ibit urendus rogis.

Trepidasse cristâ! Romulæ vobis decus
Sic gentis animo est? ite Romulei joci
Indigni arenâ. *Mes.* Melior in scenam cohors
Prodite Nani. Bella, quæ deceant viros,
Gruibus parate. Veniat in scenam Gigas
Parvæ cohortis ludus.
Max O monstrum viri!
Sub ipsa cœli sidera abjecit breve
Compendium hominis.
Mesell. Turba Faunorum jocos
Inserat arenæ, Flavij in medio ducis
Statua erigatur. *Max.* Quisquis elisis valet
Aliquid sagittis, Flavij primus Ducis
Transfigat oculum, præmio hæc veniet chlamys
Radiata ab auro, perque discretas notas
Intexta gemmis. Ille quis celeri puer
In nube lapsus? vincimur? Cœlum invidum
Miscet jocosis seria? At nunquam dabo
Victam Tonanti dexteram, Nostra in forum
Statua vehatur; quam prono genu colet,
Quicunque gentis Flaviæ signis studet,
Huic festa Juvenum turba promeritos date
Cum plausu honores. Flavius sic me colet:
Sic me Quirinus Cæsarem agnôscet suum.
Quæ dira monstra? semper infensus mihi
Pugnabit æther? Aliquis an magico sono
Excijt in arma Cœlites? Claudat jocos
Turbata scena: sidera invadam manu.
Si quis sub astris invidâ torques manu
Non paria nobis sceptra, quem fingit Deum

Ser-

‹S›rvile vulgus; exere in bellum manus:
‹D›escende cœlo: Martium hunc campum subi:
‹I›bi violentâ dexterâ infringam caput.
‹N›ymas vocetur, Ditis interpres, meæ
‹M›ortis minister. Prælia Gigantum traham
‹V›index in astra. Si mihi indignans polus
‹I›ntentat arma, serviant larvæ stygis,
‹T›otusque famulam prælijs nostris opem
‹I›mpendat Orcus. Nolo propitium Deum;
‹O›men secundum nolo: nec Numen colo,
‹N›ec astra veneror. Æthere excutiam faces
‹C›œloque lucem. Si qua delituit meo
‹S›ub corde pietas, ense scrutabor fibras,
‹E›t vel sub ipso sanguine latentem eruam.
‹A›dhuc per aurei spatia decurrit poli
‹S›ol lucis author, nec remetitur diem?
‹I›n ipsa Martem sidera triumphans feram,
Totumque ab imis sedibus olympum traham.
Quod scelere partum est, scelere defendā jubar.

SCENA TERTIA.

Incendio Capitolini templi turbatur Maxentius, & sibi malè ominatur.

Maxentius. Nuncius. Romani Cives.

Nunc. Auguste Cæsar. *Max.* Bubo quid mœstum canis?
Nunc. Exitia Romæ. *Max.* Exitia? dum Maxentius
Vivit, sinister casus exitium queat

Adferre Romæ? *Nunc.* Jam attulit.
Maxen. Quodnam malum?
Effare. *Nunc.* Patri a Numina in bustum vorat
Grassatus ignis: jamque se fumus tuæ
Infundit aulæ, & igneam nubem trahit
Cineres daturam. *Max.* Verticem nostrum petunt
Hæc sortis arma. Ite, ite famulares manus:
Mali incubantis pondus haud pigrâ potest
Operâ levari, Flamma depascens morâ
Cunctante crescit.
Civ.1. Quantus ex urbis rogo
Atrâ sub auras nube se cumulat vapor!
Eheu? cadentes ædium moles rudi
Aggere teguntur. Alter ambusto domûs
Culmine ruentis desilit; stratâ ædium
Alter ruinâ tegitur: obtritu perit
Quadrupedis alter: *Max.* Quis lacessito malis
Animum reponat pectori? fatum undique
Oberrat oculis. Conscius scelerum timor
Animum flagellat, mensque non constans sibi
Inter tot æstus, mole collapsâ, ultimam
Spectat ruinam. Cuncta prociduâ fluunt
Mihi sorte semper. Regios inter jocos
Circique ludos, nullus optato exitu
Tulit triumphum. Laurus occubuit; lyræ
Rupêre chordas: Flavii nostris Ducis
Erepta manibus statua: truncato mea
Repente capite planxit ingenti solum
Circi ruinâ. Gaudiis semper meis
Inserpit aliquid triste, quod mentem vorat,
Quod

Quod torquet animum. Nullus innubi dies
Se luce comit, nullus ad votum fluit.
Semel fatendum est: Flaviæ genti studet
Pronior Olympus. Studeat; ego cœlum impe-
tam,
Et astra vindex more Titanum eruam:
Quod invidentis Numinis manus negat,
Ferrum hoc parabit. Subtrahant sese meo
Sidera favori, sidera hac cogam manu;
Totumque subigam jussibus nostris polum.

SCENA QVARTA.

Artemius refert obstinatum Maxentii animum. Initur à Constantino consilium.

Constantinus, Artemius Ablavius, Constantinus Iunior.

Const. Ergo cruentus ille furiarum rogus,
Prodita Acheronte pestis, & Romæ latro
Neque nostra metuit arma, neque mitem capit
Benignitatem Cæsaris? *Art.* Mentem sitis
Si quando regni corripit; ratio exulat.
Ambitio frenos nescit, & tumidæ f[u]ror
Calorque mentis sana consilia excutit.
Regnare quid sit, quando gustavit semel,
Subesse nescit. Cadere de regno grave est:
Româ emigrare dedecus; regni jubar
Dimittere, probrosum æstimat. Nullum parem
Ambitio tolerat. Splendor alienus grave

Est vulnus animo. Ridet ad nostras minas;
Quin & minatur: dumquè per venas cruor
Aliquis meabit, Flaviæ in gentis necem
Semper calebit. *Const.* Rigidus extinguet chalybs
Æstum furentis. Alpium evici juga,
Concussi Italiam, jacuit ad nostros pedes
Ausonia tellus; hoste ter fracto lupos
Latium momordit: quisquis armorum sonum
Sensit, furentis arma prævenit prece
Genuque curuo; quisquè se victum meis
Gaudebat armis. Nempè Mars nulli meus
Advenit hostis. Iste prædonum caput,
Spuma hæc Averni, contumax scopulus maris,
Juris charybdis; iste tranquillus mei
Sedem tenebit Imperi? Si non sapit
Benignitate, sapiat attritus meâ
Severitate. Fateor effusus mihi
Non facile sanguis bibitur: at quando exigit
Jus, fasque Martem, parcere cruori est nefas.
Ablav. Cum justa causa est, arma fortunat Deus.
Const. Mea juro posco *Abl.* Quidquid ablatum fuit,
Repetere fas est.
Const. Quàm grave est capiti, micans
Diadema Regum! frontis in scenâ rosas,
In corde spinas exhibet; foris levat,
Sed pectus intus mole Atlantæâ opprimit.
Cognata regnis cura se cumulat novis
Fæcunda curis. Quærere imperium grave, est
Gravius tenere: at perdere, hoc animi ulcerat
Pe-

Penitos recessus. Jure quod tenuit bonum,
Nemo, sine mentis vulnere, alieno videt
Raptum furore. Gravius hoc nostrum tamen
Acerbat animum, quod nisi effuso Patrum
Cruore repeti nequeat Augustum decus.
Abl. Hæc jura belli; fluctus innocuos simul
Rapit, & nocentes.
Const. Cogimur; grandi licet
Animi dolore. *Ablav.* Velle, quod nolis, licet,
Quando volendi causa commune est bonum.
Const. Quæ vestra mens est? Romuli minimum
velim
Spargi cruoris. *Abl.* Solus haud unquam cadit
Ingens colossus, tecta quin sternat suo
Vicina lapsu. Opprimere crudelem nequis
Bello tyrannum, nisi simul perimas quoque.
Quodcunque adhæret. *Const.* Urbis antiquæ Pa-
tres?
Alb. Plebem, Patresq; Neminem insontem puta,
Commune quando crimen est. *C.* Non est nocens,
Quem vis adurget. *Alb.* Jure bellorum est no-
Infesta quisquis arma molitur manu. (cens,
Seu sponte, seu vi. Ut sit nocens, unum hoc sat
est;
Servit Tyranno. *Con.* Cogitur, *Abl* Cogi nequit,
Cui major est vis. *Const.* Major est Maxentio.
Abl. Millena plebis capita plus possunt.
Const. Caput
Si membra flectat aliquod *Alb.* In scelus caput
Reperêre. *Const.* Violentum caput.
Abl. Violentiam

Violentiâ frangi decet. Sontem foves
Si parcis Urbi. Quando concepto crepant
Propinqua tecta ab igne, vicinæ quoque
Lacerantur ædes. Flaviæ Augustum caput
Columenque stirpis, si quid Ablavius potest
Suadere sanum; parte qua Tibris natat,
Instructa classis milite frementes agat
Fluctus in urbem: parte, qua spectat diem
Urbs occidentem, mœnia assultu premat
Agmen frequente: parte, qua septem videt
Currus Trionum, missili flammâ volet
Incensus aër. Plura cùm tentas, trabis
In varia studium plebis, & robur teris.
Distracta cura non potest unquam satis
Multis mederi. *Art.* Civium ut parcas neci,
Auguste Cæsar, parce violento manum
Urgere ferro; & militi parces tuo
Martisque flori, Valla si ferro impetas;
Hoc est necesse, Civium ut perdas gregem,
Aut vim tuorum militum. Neutrum satis
Clementiam commendat, in cujus velis
Jurasse leges. Parcere & civi, & tuæ
Potes cohorti. Sæpe crudeles mora
Fregit tyrannos: sæpè, non nego, acrius
Exulceravit. Non diu violens ferent
Jugum Quirites. Ipsa se frangunt mala,
Quæ nimis arcebant. Sæpè quod ferrum nequit,
Diuturna, ferro gravior, expressit fames.
Cingantur Urbis valla, tranquillis cohors
Stet fusa in armis: ne vel exiguum famis
Solamen intret. Veniet, & serò licet,

Ta-

Tamen incruenta veniet in nostras manus
Hac arte Roma. Flaviæ hoc gentis decus,
Hæc imperantum gloria est: quando sine
Cruore possunt vincere, intactas manus
Servare tabo. *Val.* Cæsar, armatâ è manu
Non facile sceptrum est rapere, nisi dolis agas.
Const. Hoc imperantem non decet.
Val. Quando imminet
Solio ruina, genere quod in alio est nefas,
Fas est in isto. Tutius, ut regnes, licet
Hostem dolis subvertere, Hoc nemo improbat.
Tollenda fraus est fraude: ne subeas prior
Dolos, dolosè præveni. Sunt, qui tuos
Fasces in urbe postulant: sunt qui jugum
Grave execrantur, quod ferunt. Maxentium
Odere multi, Flavium plures amant.
Tacitisque votis ambiunt. Ego; jube,
Ego penetrabo; tacita consilia eruam,
Firmabo pacta, mobili plebi ingeram
Odium tyranni: concitus tandem furor
Rebellione publica ardebit. *Const.* Doli
Virtutis adimunt gloriam. Herous vigor
Se librat armis, non dolis. Quid tu meæ
Virtutis hæres, nate, quem imperii paro
Quondam saluti, nate quid censes?
Const. Iun. Pater
Auguste Cæsar, cujus in dextra sedet
Libratus Orbis; quamlibet magnum scelus
Morâ invalescat; attamen & ipsum morâ
Robur adolescit, quo recidatur malum.

Suspende Genitor arma, dum Crispus suas
Sistat cohortes. Longa non aberit mora:
Previa propinquum fama jam fratrem canit.
Pars magna belli Crispus est; partem quoque
Tuæ meretur laureæ. Cedet tamen
Laus tota Patri, quando pars magni sumus
Soboles parentis. Militum accessu, furor
Majore franget impetu obstantes moras
Obicemque valli: fratris exemplum pigros
Acuet in iram milites. Tum quâ lubet,
Aggredere muros parte, stat in omni virens
Tuis triumphis laurea. *Con.* Probantur Patri
Consilia nati. Crastinus natum dabit
Laurumque Phœbus. Ferte quam fertis moram,
Gloria meorum magnæ bellorum, Duces;
Miles acuatur interim, & fesso quies
Concessa vires reparet. Immensus labor
Vegetos lacertos, spiritum excelsum petit.

SCENA QUINTA.

Circensium ludorum sinistro omine turbatum Maxentium, Magus productus in auxilium larvis solatur.

Maxentius. Dymas.

Max: Natus sinistro sidere, adversos poli
Semper labores patior, & tristi traho
Bubone Martem. Cuncta me in mortem petunt:
Cœlum, solumque Frontis augustum jubar

In

In capite nutat. Undique incursat gravis
Procella timido, meque discerptum trahit
Et huc, & illuc. Sæva, quo feriat, malum
Fortuna semper invenit: semper via
Patet insolenti, sceptra quâ premat, Deæ.
Sed non prememur. Invidus ut erret polus,
Hic faciet ensis. Ditis interpres meo
Ades timori medicus. *Dym* Adversum impetum
Imbelle pectus queritur, heroum domat.
Sors unde lædit, inde magnanimæ patet
Virtuti arena. Spiritum antiquum indue;
Certaque spe victoriæ nixus, gelu
Exue pavoris *Max* Quidquid attento, exitus
Habet sinistros. *Dym.* Sæpè generosum timor
Molimen antevertit: ubi cœptum tamen
Facinus, virilis animus in pectus redit.
At sint sinistra sidera, faventem tuis
Habes Avernum rebus Invito potes
Bellare cœlo; at exitu infausto nequis.
Max. In arma nostra facile Cocyti jube
Agmen venire, cujus ad nomen tremat,
Quicunque genti Romulæ exitium sua
Per arma portat: cujus in ferrum cadat,
Quicunque gentis Flaviæ in Martem venit.
Dym. Ut ego jubenti pareo; sic vos mihi
Parete Averni spiritus. Terram pede
Ubi premo, ab orco Martium exsurgat genus
Hic ubi Draconis veteris exuvias sero
Dentesque spargo; terra Cadmæi memor
Seminis, ab undis Tartari densâ evomat

Ubi fulcra vulgus invenit, quodvis nefas
Aggreditur audax. Bella dum fervent foris,
Cave Imperator, bella ne foveas domi.
Consilia miscent paria, qui cultu pari
Idem verentur Numen. *Max.* At paucos habet
Hac peste nocuos Roma. *Dym.* Plus unus nocet
Latens in Urbe proditor toto foris
Ardente Marte. *Ma.* Si scelus careat duce,
Metuit in auras tollere ignavum caput.
Dy. Spes ipsa dux est sceleris, incentrix mali,
Tentare quodvis audet insanus nefas;
Quisquis secundos exitus suo potest
Sperare sceleri. *Ma.* Viribus quando caret.
Dy. Spes ipsa vires suggerit. Quod non potest
Audere timidus; audet, ubi fulget spei
Scintilla modica.
Maxent Debilis quidquid potest
Audere, facilè premitur. *Dym.* Infirmus gravi
Sæpè ferit ictu. Cum furunt lentæ manus,
Hoc vulnus urgent certiùs, quod se sciunt
Minus timeri. Nec tamen plebem putes,
Aut vile solum vulgus Eoos cruci
Cremare honores: serpit impunis lues
Etiam per alta capita, & illustres domos
Afflavit aurâ. Scelera non habent modum.
Ma. Modum iste ponet ensis, & dextræ rigor.
Adjutus Orco Juro pulvinar sacrum
Semper faventûm Numinum, & sacros focos
Arasquè Martis; sceleris infandi Deus
Fugatus aris, Tartari ad fundum ultimum
Interminatis ibit urendus rogis.

Dym. Hac arte vinces Fulcus his armis dabo
Documenta primi prælii. Cæsar jube.
Maxen. Semper Dymantis nostra res nutu steti
Quidquid tibi Orcus loquitur, id votum me
eſt.
Dy Huc ſulphurato Tænari emiſſum ſpecu
Agmen malorum, ſceleris adjutrix cohors,
Et architecta fraudis, Inferni Jovis
Adeſte magnum columen. & Cimini vigum
Tenete montis: inde quam ſtragem dabo,
Hic cernet orbis oculus, & noſtrum retro
Actus ſtupebit facinus. Ite hinc ocyus.

SCENA SEXTA.

Dymas Perſonam Conſtantini mentitur.

Dimas ſeu fictus Conſtantinus. Maguſcu puer.

Dym. Semel inchoata tela texenda dolis.
Maguſce; celerem juſſibus pedem exhibe;
Mag. Ut imperabis. *Dym.* Arte Mercurij yo
Te mihi miniſtrum.
Mag. Suada mihi labris ſedet
Facunda Siren. *Dym.* Nolo te loqui. Tace
Max Sum mutus. Aſt hic Mercurî non eſt la
Silere. *Dym* Labor eſt Mercurî, quem te pet
Mag. Mendaciorum forte me fabrum jubes

D

Duco in catenam, quotquot è linguâ voles.

Dym. Sile proterve.

Mag. Sileo, non audis? *Dym.* Loquax
Proterve nebulo audiris.

Mag. At sileo tamen.

Dym. Te mihi ministrum in arte Mercurii volo.

Mag. Parebo: manda. Fortè furari jubes?

Dym Hac arte polles.

Mag. Ambigis? non sum tuus
Discipulus ille, cujus obsequio domos
Sæpè vacuâsti? *Dym.* Quid meos prodis dolos?

Mag. Meum Magistrum te voco.

Dym. Sic est: fui.
At nunc tuo Magusce discipulum proba
Temet Magistro. Grande secretum sinu
Latente meditor. Flavij huc galeam mihi
Sagumque siste, & arma.

Mag Taciturno pede
Subibo castra. *Dym.* Quos dies stupeat, dolos
Fraudesque texam: Flavios Duces procul
Hac urbe ducam.

Mag En artis exemplum meæ.
Totum Magistrum combibi. *Dy* Superas propé.
Tolle hanc Dymantis sarcinam. Galeam mihi,
Sagumque Martii idoneum: huc hastam. Tibi
Qualis videmur?

Mag. Flavius totus. Nisi
Mihi notus esses, Flavium te dicerem.

Dym. Benè est? dolosâ fronte velatur Dymas,
Aliâque tectus veste surreptus sibi

Magus videtur. Specimen at nostri tamen
Latet in medullis. Flavium vestis foris
Mentitur; intus machinas texit Dymas.
At en cupita prodit in apertum fera.

SCENA SEPTIMA.

Fictus Constantinus, sive Dymas Magus persona Constantini agit cum Artemio, & Ablavio, & secreta ab iis eruit.

Dymas. Artemius. Ablavius.

Ablav. En ipse Cæsar. ***Artem.*** Solus? & ga
caput
Munitus ære? ***Abl.*** Cæsar, augustum latus
Nemo tuetur? ***Dym.*** Sola majestas. Decet
Sic Imperantem militis amorem sui
Emere obeundo.
Artem. Cæsarem hoc decet magis
Vitare plebem. ***Dym.*** Plebis in dextris sedet
Fortuna Regum: aut ponere augustum dece
Diadema frontis, aut coronatum caput
Populo exhibere. Nempe non nostri sumus,
Qui sceptra gerimus. Si quid est nostri tam
Hoc forte eâdem est militis.
Ablav. Sed quò tamen
Insolita cura vergit? ***Dym.*** Ut miles sciat,
Non esse me qui torpeam, & medius pigris

Marcescam in armis. Militis amores rapit,
Se quando Cæsar militi facit parem,
Parésque curas sumit; & vigilem suis
Impendit oculum. Sterile non unquam fuit
Ducibus, amari. Fraude ceu magicâ animat
Amor Gradivum, plusque quàm fremitus tubæ
Accendit animos. Ista sed serò nimis!
Abl. Quæ cura mentem lancinat! Cæsar, potes
Animi dolorem opprimere, si tuum potes
Aperire vulnus. *Dym.* Quando medicinam malum
Superat, remedia lenta sunt.
Artem. Non hoc vetus
Vigor ille mentis, non tyrannorum minis,
Totâque pectus mole furiarum altius,
Magnanime Cæsar, patitur, ut subeat metus,
Cùm Mars arenam sternit ad palmæ decus.
Dym. Necessitate premimur.
Ablav. Id forti decet
Tolerare mente, quod non arbitrio venit,
Sed lege cœli. Nulla vis tanta est mali,
Virtute, quam non frangat Heroüs vigor.
Dym. Præsagus animus grande mihi loquitur malum.
Ablav. Quod sæpè victum est.
Dym. Quod tamen vincet semel.
Ablav. Aliquisnè magnum Flavij pectus queat
Terrere turbo? *Dym.* Nempe qui Romam quatit.
Ablav. Romæ tyrannus?
Dym. Ille, quem facit polus
Orbi timendum. *Art.* Cujus ad tuos pedes

Caput jacebit? Istenè est mentis calor,
Quem visa cœlo signa, quem constans favor
Numinis inussit pectori?
Dym. Frustra insequor,
Quod obtinere negatur. *Abl.* His armis Ducu
Hoc flore vasti militis? Crispus propè
Victoriosus instat, & palmis gravis
Palmas secundas urget: animosi Duces
Jam spe subacta mœnia, atque urbem premun
Dym. Spes sæpè fallit. *Art.* Quando vitiatur
metu.
Dym. Etiam feroci quando libratur manu.
Art. Non quando certis astra præludunt not
Non tibi curuli nube deductus polo
Genius per umbras adstitit? non & dedit
Præsaga palmæ labara? non æther, *In hoc
Vince Imperator*, dixit? Huc tanti calor
Animi resedit? *Dym.* Multa præteritum tegit
Tempus, futurum plurima revelat. Mora
Consilia mutat. *Abl.* Cæsar Heroas preme
Virtute fluctus. Palma metuentem fugit,
Sequiturque fortem pronior. Qui nil timet,
Terret timenda. *Dym.* Multa prudentes time
Art. Initia dedimus, finis urgendus rei est.
Dym. At inchoasse pœnitet. *Abl* Pudeat ma
Sic inchoatis cedere. Hæc labes sat est,
Ut omne veteris gloriæ extinguas decus.
Dym. Si nempè victor Flavij collum pede
Premat tyrannus. *Abl.* Si quod inceptum be
Formidolosus deseras. *Dym.* Non est timor
Certam ruinam fugere. *Art.* Sed non est vi

Deponere animum, quando discrimen tonat,
Hinc gloria emitur, unde discrimen venit.
Dym. Hinc gloria quoque perditur.
Abl. Nempè hoc erat,
Quod tibi cruoris civici parcam manum
Suadebat ante, Cæsaris probrum, metus.
Herous animus plumbeos habet pedes,
Timidus fugaces. Pectoris, Cæsar, vetus
Resume robur; cede fortunæ tuæ,
Quæ gloriosâ porrigit laurum manu,
Metitque palmas: cede tot votis Ducum,
Tuæque prolis indoli augustæ, & spei
Animoque tanti militis. Lauros tuas
Lauro hac corona, quâ per oppressum æmuli
Gradiare collum. *Dym.* Militum mentem prius
Tentare fas sit. *Art.* Militum mens est, tibi
Per pulchra palmam funera in manus dare.
Dym. Sistantur acies. Fraudis instructæ dolus
Aurâ secundâ vehitur: optatum Dymas
Portum tenemus. Turpis umbrarum cohors,
Sceleris ministræ, nutui semper meo
Parere promptæ, adeste, nunc vestram mihi
Fidem probate; cumque percussâ dabo
Tellure signum, ferte violento metum
Per castra ferro. Rursus accedit fera:
Nunc anime solitos coge in obsequium dolos.

* *
*

SCENA OCTAVA.

Dum fictus Constantinus sive Dymas ad mi-
tes perorat, Larvæ infernales turbant
exercitum, & in confusionem agunt.

Dymas. Valerius. Artemius. Miles 1.
Miles 2. Magustus.

Dym. O nata bellis pectora, Imperij mei
Pars magna miles! cujus in ferro sedet
Fortuna nostri generis, animosi cohors,
Prodiga cruoris, bella non alio vocant.
Equidem parabam Marte Romanas solo
Æquare turres, quamque dominatu premit
Urbem tyrannus, pedibus attritam dare
Spolium Gradivo: sanguinis sed me tui
Amor coërcet. Non emo tanti impij
Cædem latronis, unicum ut perdam caput
Tantæ cohortis. Perdere quid hostem juvat,
Si nisi meorum cædibus perdi nequit?
Val. Ne parce, Cæsar Maxime, tuorum neci:
Omnes paratum pectus in mortem gerunt.
Dym. Hoc esse fidi militis nosco. Tamen
Quid imperantem deceat, expendo.
Val. Hoc decet,
Aperire campum militi, ubi lauros metat.
Dym. Non ubi metatur ipse.
Val. Tot palmis gravis
Tot eruditus laureis, nescit manus
Porrigere victas. *Dym.* Prodigus animæ & su

Fu

Fundere cruorem novit. *Val.* Et fuso tibi
Parere triumphum sanguine.
Dym. Haud emitur benè
Sanguine triumphus: *Val.* Quolibet constant
benè
Imperia pretio: *Dym.* Purpura ingrata est, cui
Addit colorem sanguis. *Val.* Ingrata est cohors,
Quæ timida satis verticem metuit dare,
Ut tingat ostrum Cæsari. *Dym.* Ut timidum execror,
Sic servo fortem militem. Est semper gravis
Jactura fidi exercitus. *Val.* Grave est quoque
Hoc Martis agmen laureis centum inclytum,
Centumque palmis nobile, optatæ aleâ
Pugnæ vetari. *Dym.* Laudo magnanimam indolem
Pectusque sacrâ Martis accensum face.
At differenda vota sunt, ut par decus
Mihi sit, tibique vicisse. Alia virtus Ducis,
Alia probati est militis. Miles fremat
Campum subire, temperent ignem Duces.
Val. Fovenda flamma est. Si negas pugnam, perit.
Dym. Exsuscitabo rursus: ubi terram pede
Feriam, tremiscet orbis.
Val. Heu! quænam Stygè
Pregnata monstra! Totus Acherontis labor
Incumbit in nos. Fugite.
Dym. Sic trepidas tui
Tutela miles Cæsaris? quô vos furor?
Val. Pugnare monstris est inassuetus labor.
Lernæa monstra! militum fidæ manus!
Dym. Consiste miles: Cæsarem exerto tuum

Tue-

Tuere ferro. *Art.* Castra confuso metu
Tumultuantur. Cæsar id potius cave,
Ne quis repentè ab hoste succedat dolus.
Val. Descende cœlo Phœbe, præcipites age
Currus in umbras; furva nox Erebi soror
Incumbe mundo.
Miles 1. Pluto Tartareis caput
Me claude tenebris. *Mil* 2. Conde me totâ D
Mundi ruinâ. *Dym.* Militis nostri probrum.
Qui strage Romam condere, & rupto Tibri
Lacerare muros, quique Tarpejam pede
Victore rupem premere minitaris, fugis
Vanas ad umbras?
*Mil.*1. Terror attonitum occupat.
Ubique Cæsar monstra palantem fugant
Gregem per agros. Nemo sat constans virum
Se sibi fatetur. Fulminant larvæ manu,
Ferroque campos strage cumulatâ replent,
Horrore cœlos, aërem fumo. Perit
Quodcunque superest militis.
Dym. Sic se probat,
Quo Martis animo, quamvè generosâ manu
Urgeret urbem. Prævola; & suis jube
Signis cohortes colligi: intrepidus sequar.
Abijt? Magusce!
Mag Quid fatigatum occupas
Toties Maguscum? nullane mihi quies erit?
Magusce, toties, quin crepas tandem tuo
Clamore. *Dym.* Mi Magusce famularem ex
Operam Dymanti. Flavium pono: tua
Repone furta. Nemo te videat, cave.

Mag. Ita me rudem arbitraris? *Dym.* Urbs me iterum vocat.
Res est peracta, Magusce, qua Lethes vadum
Palusque stygia flammeos fluctus agunt;
Emitte nubem fumeam, quæ me foro
Sistat Quiritum.
Mag. Nempe, quæ medijs stygis
Te sistat undis. Perge, quâ te Orcus rapit.

SCENA NONA.

Constantinus miratur sparso terrore militem: intelligit à larvis agi. expedit contro eas labarum. agnoscit subesse Magicæ artis dolos.

Constantinus. Ablavius. Valerius Artemius.

Const. Quis iste terror Panicus sparsos agit
Avia per arva milites? castris dolus
Irrepsit hostis? Quò Ducum elapsa est fides?
Quò robur illud Martium? nullus meum
Latus tuetur? Ablavi, quis hic metus?
Quis mentis horror? *Abl.* Ipse spectâsti styge
Emissa monstra.
Const. Monstra? Quid narras rei?
Abl. Quid verba simulas? Ipse spectâsti aëre
Circumvolantes ultimi Acherontis minas?
Densásque Larvas agmine.
Const. Quis Ablavi, stupor

Invasit animum? Corrige errorem aviæ
Mentis, animose Ductor.
Valer. In vastos cohors
Effusa campos, agmen umbrarum fugit.
Const. Et tu mihi umbras, Valeri, Avernales canis?
Val. Nam quid volantes aëre, tonantes manu,
Flammas vibrantes ore, nisi larvas putem
Umbrasque Averni?
Const. Fraudis hic nodus latet.
Et quando primus militi incussus pavor?
Valer. Præsente te, te orante.
Const. Quo tandem dolus
Hic se explicabit? Quo loco?
Valer. Hoc ipso. *Const.* Stupor
Me penè mihimet eripit. Totus loco
Collectus isto constitit miles? *Val.* Stetit.
Et execratus Cæsaris metum est. *Const.* Metum?
Meum? implicatum subeo labyrinthum. Meus
Quis fuerat horror ille?
Val. Quo nunquam soles
Aliàs moveri. *Const.* Thema quod orantis fuit?
Val. Abducere urbe militem. Postquam suis
Ordinibus acies constitit? *Nostri Imperî*
Pars melior, inquis, cujus in ferro sedet
Fortuna nostri generis animosa cohors
Prodiga cruoris, bella nos alio vocant.
Equidem parabam Marte Romanas solo
Æquare turres, quamq; dominatu premit
Urbem tyrannus, pedibus attritam dare
Spolium gradivo; sanguinis sed me tui

Amor

Amor coercet. Non emo tanti impij
Cædem tyranni, unicum ut perdam caput
Tanta cohortis. Perdere quid hostem juvat,
Si, nisi meorum cædibus, perdi nequit. (obvia
Const. Portenta rerum! *Artem.* Cæsar auguste,
Mali procellæ ratis in ambiguo natat.
Const. Quis malè Deorum militis tanto metu
Turbavit animos?
Art. Scilicet quando caput
Timore quatitur, transit in corpus tremor.
Tuus, Imperator, militem turbat pavor.
Const. An me tot inter prælia, & Martis vices,
Inter theatra tragica fortunæ meus
Aliquando trepidum miles aspexit? *Abl.* Metum
Nescire semper visus es *Const.* Non & prius
Consilia vestra Cæsar exegi? Tamen
Mens fascinata credidit Regem metu
Posse trepidare? credidit, & horâ brevi
Mutare mentem? Nullane indicium brevi
Dedêre signa? an corporis moles? *Abl.* Fuit
Hæc ipsa. *Const.* Vestis? *Abl.* Talis.
Const. Humerorum modus?
Abl. Hic ipse. *Const.* Gestus?
Abl. Talis. *Const.* Aut vocis sonus?
Abl. Vox rauca sonuit: cassidis rebar dolum,
Quo frangeretur vocis assuetæ tenor.
Const. Agnosco fraudes Thessalo enatas metro,
Agnosco stygium carmen, & monstra infimo
Educta ab Orco. Sed neque hinc pectus timor
Acerbat ullus. Sacra constantes duces
Proferte labara, monstra quà fervent stygis,
Quà

Quà trepidus ossa militum incessit pavor.
Quod venit ab astris munus, enervat dolos.

CHORVS.

Repræsentatur pugna Pietatis cum Impietatate. Fugatur Impietas.

Pietas. Impietas.

Pietas. Nusquam innocuæ datur ulla quies,
Nusquam latebræ! Pacis genitrix
Semper in armis vivere cogor.
Cruda Impietas (proferre pudet)
Cruda Impietas, odium cœli,
Terræque probrum, sine lege furens
Templa evertit, diripit aras,
Sacra confundit, jura sacrilego
Pede conculcat; Numina fingit
Ignota polis, exosa solo,
Verumque jubet migrare Deum.
Ecce illa ferox, cæde piorum
Fædata manus, solitis vultum
Incensa minis. *Impiet.* Satis in tigres
Nemo ferocit: Nullus in hydram est
Satis Alcides: in nova capita
Fœcunda mali vulnera crescunt.
Sed mihi bullit satis irarum,
Ferrique satis calet in cædes.
Numen læsum vocat ultricem in
Funera dextram. Subeat, ficto
Nomine Pietas, claustra Acherontis,
Ipsaque Christi brachia subeat:

Sty

Stygis ardentem juro paludem,
Discet, quid sit furor iratæ
Impietatis. *Piet.* Satis heu! sensi!
Nusquam tutis ulla latebris
Hic tecta patent. *Impiet.* Video optatam
In tela feram? Video. Est ipsa,
Sæva charybdis, spuma Acherontis,
Erebi fœtor, fumus Averni,
Mundique probrum, cœlique odium,
Ades hîc nostri præda furoris?
Ades hîc nostra laceranda manu?

Piet. Adsum, multo pressa furore,
At nullo unquam tamen oppressa.

Impiet. Hodie tandem victimam Averno
Dabis optatam. *Piet.* Qui nimium audet
Sæpe per ipsos interit ausus.

Impiet. Ibis ad umbras. *Piet.* Furor insanus
Sæpe ipse suis interit armis.

Impiet. Jam millena est data funesto
Victima Averno: tu suprema
Accede sacris hostia nostris.

Piet. Heu! premor insons! O consilium, ô
Industria ades, *Impiet.* Frustra vana
Nomina poscis. Funesta peri.
Quæ flamma micat? Quis fragor astra
Tonitru rumpit? *Piet.* Deus extremis
Ades ô rebus. *Imp.* Quæ monstra tuor!
O vince Draco! *Piet.* Belli finis
Nondum patuit. Vince Tonantis
Justior ales! *Impiet.* Vinco! triumpho!

Piet. Nondum patuit belli finis.

An mihi famulas pennas Aquila
Sponte ministras? Accipio omen.
Imp. Siccine? ludor? Draco quid nubes
Inter oberras? Euge? beate!
Piet. Fugit, at nondum cornua ponit:
Decussa semel sæpè resumit.
Anguis semper toxica nutrit,
Donec trito capite occumbat.
Erit alterius tempus arenæ,
Cùm supremus mucro peremptæ
Impietatis collo hærebit.
Fidite; quisquis per sua Numen
Bellua tuetur; per sua referet
Bella triumphos. Sunt pia cœlo
Prælia cordi, pronusque Deus
Sibi pugnantûm prosperat arma.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Larvæ Infernales Labaro Constantini enervatæ ad Orcum fugiunt.

Rex Inferorum. Larvæ Infernales. Ablavius. Valerius.

Larv. 1. Fuge turba nata Styge, fuge ultimam in Insulam
Torpentis orci: robur amittunt doli,
Sagittæ hebescunt; nulla vis acuit manus,

Vis nulla ferrum. Flavium postquam stetit
Signum inter arma, migrat ingestus pavor
Auctior in umbras. Fugite: nil orcus juvat,
Orcique fraudes.
Abl. Miles hâc propera gradum,
Hâc dira Averni monstra rimantur fugam.
Hâc signa præfer. *Larv.* 2. Nulla nos fidis satis
Umbris latebra condit. *Larv.* 1. In Avernum fuge
Secura nusquam.
Valer. Pertinax hostis malum,
Sparsumque toto milite timor, hæc fuit
Arte opprimendus.
Larv. 2. Pandite Acherontis lacus,
Et æstuantis sulphuris vivi rogos,
Piceasque Ditis stagna. *Larv.* 1. Sic tandem quies
Concessa trepidis. Magne Pallentûm arbiter
Et fulminator Inferûm, Regnum labat
Vincuntur arma, toxici vires jacent;
Occidimus omnes.
Rex. Infer. Quis timor mentem occupat?
Iterumnè præceps patrio è cœlo ruis?
Superi minantur inferis? & quod malum?
Larv. 1. Quod stagna Lethes horreant: nostro malum
Timore majus. *Rex. Inf.* Ede, quod tandem scelus
Fatale Averno est? Juro per flammeam mei
Capitis Tiaram; juro per sceptrum pice,
Sulphureque candens; victa si cecidit semel
Nostri potestas Imperî, in fractum prior
Virtus redibit. Sæpè majores solet

Animos ruina facere. Quod nostro incubat
Discrimen Orco? *Larv.* 1. Flaviæ gentis tumor.
Rex Inf. Hunc ego verebar semper, & nunquam stetit
Expers timoris animus, ex quo Cæsarem
Sylvester hinc, hinc veteris Antistes Myræ
Afflant veneno. Perge, quid tandem parat?
Larv. 1. Quid sit, quod urget, nescio; hoc solum scio;
Enervat omne toxicum cœli magus
Volante labaro; cujus aspectu tremor
In nostra migrat pectora, & gravior fibris
Ferocit ignis. Fugerat primam levis
Per arma miles Flavij, atque impos sui
Ceciderat animo. Labaro sed postquam globis
Stetêre medijs, omnis in nostrum caput
Ruina versa est. Stare non licuit loco,
Non tela jacere; non Avernali face
Terrere populum; quin reviviscens vigor
Majore nervo militum incessit fibras.
Quod licuit unum, fugimus: campum tenet
Victoriosus. *Rex Inf.* Prô capax scelerum dies!
Caligo, nubes, spissa nox cœlum obruat,
Omnemque tenebræ siderum extinguant facem
Adgemite nostro luctui, dum se furor
Ratione frænet. Mota mens œstro nequit
Consilia sana parere, dum sidat furor.
Cantus Inf. Heu! Artifex malorum
Dies, ferax dolorum!
Quid turba nos rebellis
Movemus astra bellis?

O lu-

O luctus Inferorum!
O dura sors reorum!
Animosa spes honores
Ambit: metit dolores.
Tentata in astra bella,
Hæc nostra sunt procella.
O luctus Inferorum!
O dura sors reorum!
Quàm sæva styx rebellat,
Tam pœna nos flagellat.
O luctus Inferorum!
O dura sors reorum!

Rex Inf. Satis est, redivit animus: & toto calet
Acheronte pectus. Prima si cecidit malè
Fortuna Martis; altera ereptum dabit
Diti triumphum. Nemo, si jacuit semel,
Desperet iterum surgere. A nostra stetit
Antæus undâ fortior, & ipso vigor
In membra lapsu fusus est. Victis solet
Furor redire, & perditam vasto impetu
Reparare laurum. Si semel miseri sumus,
Non sumus inulti. Si quid antiqui calet
In corde vobis ignis, ò nostrum decus
Animæ nocentes; ite quà cœlum venit
In signa pronum Flavia, & primæ probrum
Pugnæ, secundâ extinguite: aut saltem decus
Istud referte Patriæ; quòd si cadat,
Aliquando, nunquam Tartarus inultus cadat.

SCENA SECUNDA.

Dymas Magus refert Maxentio, quæ in castris Constantini egerit. Mittitur Perusium, ut Romulum filium Maxentij adducat.

Maxentius, Dymas.

Max Spectata castra Flavij?
Dym. Et trepido metu
Confusa castra. Nobilem in causam cohors
Acherontis ivit, & gravem solo dedit
Terrore stragem. Militis terror Duces
Traxit sequentes. Flavius clade ultimâ
Jacuisset hostis, obvius si quis fugæ
Miles stetisset. *Max.* Flavio quantus meret
Sub Marte miles? quantus in pugnam viris
Ducibusque fervor? *Dym.* Testor oculorum fi-
Vix iste segnem spiritus Martem decet. (dem,
Non multa turba est, quæque vix totis trahit
Ferrum lacertis: populus enervis, reses,
Fame sitique exhaustus.
Max. His nostris tamen
Est terror armis? Romulum hæc fregit manus?
Hæc omne Latium subigit? atque ipsam metu
Romam fatigat? Perge, quid tandem parat?
Dym. Hodie subactum premere Maxenti caput.
Max. Hac nempe segni militis inertis manu?
Dym. Victoriarum signa de cœlo canunt
Fulsisse. *Max.* Cœli signa refringam hac manu.

Dym.

Dym. Totum Gradivi pondus in Numen refert.
Hunc Flaviorum Præsidem armorum canit,
Victoriarum Phosphorum, Auroram suæ
Felicitatis auspicem acceptæ spei.
Nam quando certus Regna promittit Deus,
Nihil timendum censet.
Max Hoc addat quoque,
Si nostra dextra langueat; cujus furor
Ipsum Tonantem Christianorum opprimet.
Quibus Tribunis Martis hanc molem trahit?
Dym. Duces pares sunt militi. In Crispo tamen
Spes magna palmæ. *Max.* Filius Crispus Patrem
In arma sequitur? *Dym.* Romulo nuper tuo
Victor timendus. Cæsari si quis potest
Pavendus esse, Crispus, aut nullus potest.
Max. Didici parentem premere, sed natum opprimam.
Dym. In Juvene sæpè major est virtus.
Max. Minor
Sed esse vis prudentiæ solet. *Dym.* Pater
Juvenem reget prudentiâ; natus Patri
Præstabit iras. *Max.* Turbo, qui Regem petat,
Aliundè perflet. Montium obstantes minas
Quod fulmen urget, Numinum è dextra venit.
Dym Idemque terræ est vilis halantis vapor.
In vasta Regum vulnera cuivis manus
Armata satis est, corde si caleat furor.
Max. Quem sæpè domui. *Dym.* Sæpè qui domitus, tamen
Iterum resurgit. *Max.* Vulnere extremo ut cadat.
Dym. Hoc à regentum pendet arbitrio Deûm.

Patri reclude Genibus invictas manus
Aufer, meosque potiùs amplexus subi.
Crisp. O dulce Genitor nomen! ô magnæ inclita
Stirpis propago! tuque qui patriam trahis,
Dilecte Frater, indolem, Crispum sinu
Vestro fovete. Domita jam nostro jacet
Italia ferro. Jussa quæ Genitor dedit,
Exhausta sisto. Romulus fractus gemit;
Liguris ora paret, & validam instruit
In bella classem: jamque quà Tibris patent
Ostia triumphi certa decretam diem
Horamque anhelat prælii.
Con. I. Quod tu facis
Spacium per arma Crispe, generosæ est iter
Virtutis Illa tramitem durum terit;
Ibique palmas carpit, ubi gravi incubat
Torrente lethum. *Crisp.* Gloriæ optatus cibus
Periculorum pondus est. Indè emicat
Honoris Iris, undè discrimen tonat.
Sed totum honoris pondus in Patrem cadit.
Hic imperavit; impetum hic animis dedit,
Manibusque vires. Quidquid est actum meâ
Virtute, virtus Patris est. Huc respice,
Amate Frater, undè fons manat boni.
Const. P. Levis est honor jubere, sed jussa exequi,
Quantum laboris, Gloriæ tantum trahit.
Crisp. Non est honor parere, nisi quando est honor
Jubere. *Const. P.* Sæpè major est honor tamen
Parere, quàm jubere. *Crisp.* Sæpè etiam minor,
Imò jubere semper est major, minor

Parere jussis. Fontium laus est, decus
Quodcunque rivi est: Laureæ auspicijs tuis
Venere nostræ. *Con. P.* Sed tuis laboribus.
Crisp. Natura quos à sobole poscebat.
Con. P. Pater
Quos æstimare debet; & meritis pares
Grates referre. At digna quæ tantâ rear
Virtute dona? *Crisp.* Maximum virtus sibi
Est ipsa munus. Vera laus facto insita est,
Non æstimatione progenitum decus.
Quidquid alieno manat arbitrio, potest
Carere; verâ laude non potest tamen,
Laudanda quisquis egit. Est facti optima,
Fecisse, merces. Præmium si quod meo
Pater Gradivo destinas, calido novam
Concede arenam pectori. Hæc merces sat est
Laudanda posse facere.
Con. P. Quod poscis, dabit
Hic, Crispe, Phœbus. Prælio Augustum novo
Placet tueri? *Crisp.* Capite venali quoque,
Vitam dedisti, recipe tu vitam Pater. (est.
Hanc cùm repono; reddo quod Genitor tuum
Sed fœnerari genio; ut quidquid meo
Decedit ævo, gloriæ accedat tuæ.
Con. L. Nec ego remissus jussa detrecto Patris;
Tuis ut anni serviant sceptris mei.
Jube: obsequentem filium Genitor habes:
Seu me per alta mœnia ascensum velis
Moliri in urbem, sive famulantem Tibrin
Cum fratre premere; laudis hoc apicem reor;
Dignum videri, tanta cui præstas Pater.
Con.

Con.P. Hac prole nixus, nixus auspicijs poli
Quid anime vereat? quas lacessitus minas
Formidet æstus? Tota stet ferro & face
Armata Roma, Thessalas artes vocet
Mundi tyrannus; robur elidet manu
Animosa proles; Colchicas artes Deus.
Actum est, peristi sæve Maxenti, latro
Populi innocentis. Ibitis magnum Patris
Nati levamen, avida quo mentem vocat
Cupido famæ. Crispe, tu classem trahe,
Totumque tabula Tibrin, atque illa metus
Infunde parte: Nate tu parte alterâ
Per alta Romæ mœnia inscensum manu
Molire forti. Crastinus nobis dies
Regnum & triumphum, militi prædam dabit.

Scena Qvarta.

Dymas Magus per aera Perusium translatus, Romulo fortunam Patris videndam exhibet in Phaetonte, persuadetq; Romulo, ut secum se aeri committat, ac Patri sistat.

Romulus. Dymas. S. I. Phaeton. Magusius.

Dyn. Adeste nostro nubium ingens sinus
Voto obsequentes; meq; te Perusinâ procul
Locate arenâ. Statis affixæ polo
In jussa lentæ? Quin Gigantæo impetu

Inobsequentes nubium irrumpo in sinus,
Suâque totum sede devolvo polum?
Hodie sinistris nubibus inanes fero
Dymas labores. Erebe, dum in fraudes meas
Æther reluctans languet, ex antro ultimo
Piceum volumen exere, & fumo abditum
Dymanta siste Romulo. Ut soles celer
In vota properas. Rapite me obscœnæ stygis
Obsequia prompta. *Rom.* Nostra difficili natat
Carina ponto, seque post sortem asperam
Asperior urget. Bella tractamus diu,
Nec ulla nostram Laurus in frontem venit,
Aut palma dextram. Longa Perusinos premit
Obsidio muros, nec tamen palmam exprimit.
Et (quod malorum summa) tractamus manu
Trepidante bella. Primus exitij ultimi
Gradus est, timere. Quamdiu mentem incitat
Mavortialis flamma, nec trepidæ metu
Titubant cohortes, aliqua vincendi super
Spes nutrit animos: quando jam totas virûm
Timor phalanges occupat, pigræ fremunt
In arma dextræ. Nempè quà metus subit,
Hac palma migrat. At, quis adversus gradum
Tendit citatum. *Dym.* Romule agnoscis? *Rom.* Virum
Doli capacem nosco. Quo vento fluit
Fortuna Patris? *Dym.* Quo solet vento Ducum
Fortuna ferri; quando plus stimulat furor,
Quàm ratio mentem. *Rom.* Languido? *Dym.* Cœlum bonis
Votis repugnat. *Rom.* Forte jam magna stetit

De-

Decisa causa clade? *Dym.* Vicina imminet
Sors, quam timemus. Stant adhuc castris suis
Opposita signis signa. Spe tumidus Pater
Laurum reposcit, seque magnanimo rotat
In arma nisu, sortis ignarus suæ;
Quæ jam virentis laureæ augustum decus
Transferre in hostem nititur.
Rom. Sic tu Patri
Vates sinister? sic mihi infausti canis
Eventa belli? *Dym.* Veritas fucum fugit
Nescia timoris. Si lubet coram dabo
Videnda fata Patri, & quali rotet
Se sors iniqua turbine. *Rom.* Hoc nobis dabis,
Quod diu subhorret animus, & tortor sui
Pavor tyrannus pingit. Obsequijs tuis
Habes Avernum subditum. Patris juvat
Vel sic videre fata. *Dym.* Consiste hoc loco.
Phaëton, quid umbras inter & tetricas lates
Famæ tenebras? natus in lucem malè
Nocte tumularis, exere in apertum diem
Nominis avarum pectus, & Patrios age
Per astra currus. Gloriæ hàc iter patet.
Phaet. Satis umbrarum flammee Genitor,
Hactenus altum stemma oppressit.
Tædia noctis lucis amantem
Sobolem affligunt, da Pater aureos
Flectere currus, medioque polo
Spectare orbem. *Sol.* Tua damna petis,
Sunt stulta nimis vota juventæ:
Intima rerum dum non penetrat,
Exteriori specie capitur.

Non quæ placeant, sed quæ prosint,
Posce, ô Phaëton. *Pha.* Istud prodest:
Pectoris ignes non opprimere.

Sol. Nunquam prodest, tentare suo
Majora statu. *Pha.* Nunquam prodest
Nobilis animi vivacem ignem
Semper in arctâ claudere arenâ.
Publica quærit fama theatra.

Sol. Publica quærit Fama sepulchra,
Primus ad lapsum gradus est, altas
Tentare vias. *Pha.* Per prærupta
Gloria graditur nomiu s avida.

Sol. Funera quærit per prærupta
Gloria nimij nominis avida.

Phà. Annue nostris, Pater ô votis.

Sol. Nocitura petis *Pha.* Provida mihi mens
Oculusque sagax, pectusque capax,
Fortisque manus, totusque imo
In corde Pater. *Sol.* nimium nate
Tibi blandiris. *Phà.* Concede Pater.

Sol. Audi Patrem nate monentem.

Pha. Audi sobolem Phœbe precantem.

Sol. In tua celeras fata ruinam.

Pha. In mea cumulo stemmata famam.
Te Patre natus, Patris exemplo
Trahor in lucem. *Sol.* Sed tibi pariet
Lux ista graves, nate, tenebras.

Pha. Audi natum Phœbe precantem!
Si quis nostri est amor, exaudi!

Sol. Cedo roganti. Huc nate volatum
Tende, quadrigis succede meis.

Cedo jugales regē sternāces,
Breviore lupo, mediumque tene
Limitem Olympi *Pha.* Patris monita
Sunt una mei regula voti.
Tandem nostris serva ministrat
Gloria votis. Imus honoris
Iter auspiciis Phœbe secundis.
Ite jugales, ite quadrigæ,
Quà se nobis pandit aviti
Callis honoris; quà sublimis
Videamque orbem, videarque orbi.

Sol. Nate exerras: medio calle
Tutior ibis. Quò juvenilis
Te rapit æstus? quò nate furor?

Pha. Quò me pulchri gloria gustu
Ebria honoris provocat. Ite.
Ite jugales, qua se summi
Pandit Olympi semita nostris
Radianda rotis. Huc mortales
Luminis avidos vertite vultus.

Sol. Heu! cave lævum Phaëton callem.
Stulte peribis. *Pha.* Quò rapis Æthon,
Pyroisque manum? *Sol.* Frenum loro
Breviore tene. *Pha.* Pater heu! rapior.

Sol. O quanta dabis busta sepulto
Phaëton mundo! *Ph* Pater heu! rapior.

Sol. Heu flagrat orbis! *Pha.* Rapior. Pater heu!
Flammisque cremor! *Sol.* Stulta ambitio!
Sua damna petit. Discite, si quos
Nominis alti cremat ambitio,

Moderata ſequi. Sit ſua votis
Menſura :cadunt,quando excedunt.
Quæ quiſque poteſt,hæc quiſque petat.
Nunquam felix immoderatam
Ambitionem finis honeſtat.
Dym. Hæc ſors Parentis, Romule, eſt.
Rom. Ergo Patris
Fortuna noſtro Marte firmanda eſt.
Dym. Manus
Geminæ ictus eſt robuſtior. Quod non poteſt,
Sola una virtus,ſocia virtuti poteſt.
Rom. O totus,utinam! Romulus ſeſe ſuo
Siſtere Parenti poſſit! *Dy.* Haud dubita:Patri
Siſtêre totus. Nubis en vaſtum venit
Cælo volumen. *Ma.* Promptus obſequiis tuis
Adſum Maguſcus.
Dym. Romule, hunc mecum ſinum
Inſcende nubis, Perge,qua Romam eſt iter.
Mag Et ubi maguſcus? *Dym.* Perge.
Mag. Sed pergat ſimul
Maguſcus. Orco digna, & Acherontis lacum
Promerita nubes. Nolit infidus Dymas.
Tamen Dymantis umbra,quò perget,ſequar.

**
*

Scena qvinta.

Maximus Urbis Consul Maxentii Tyrannidem detestatus, mittit Selium servum suum (quem ignorabat suum esse filium) cum literis ad Constantinum, quibus deditionem Urbis, & Civium obsequia pollicetur.

Maximus. Selius.

O Roma, jam non Roma; sed Averni specus,
Tot innocentum Civium infamis nece,
Et tot nocentûm scelere confusum nemus!
Quæ tuta virtus publicam mundi potest
Spectare lucem? scilicet quondam scelus
Prodire puduit, seque claudebat suis
Timidum latebris. Quando jam Romam premit
Crudelitas Maxentii, quaquà patent
Compita, theatra funerum, & vastæ gemunt
Scenæ furoris. Nulla criminibus vacat
Ætas, vel ordo. Militis sævi calor,
Ducis libido, quæ licent, quæ non licent,
Unâ bilance ponderant. Nulli sua
Fortuna tuta est. Sed parum est. Nulli caput
Vacat periculo. Et hoc parum est. Nulli sua
Secura conjux: quamque commendat magis
Pudor, aut honestas, Conjugi minus suo
Secura vivit. Vidimus ferri metu
Raptum pudorem Virginum, Timidus tamen

Spo-

Sorte hanc Quirinus patitur. At felix ſcelus
Non longa ducit ſtamina. Ex alto Deus
Quiſpectat orbem, tolerat innocuos premi
Quandoque, ſed non opprimi. Atrocis videt
Furias Tyranni; at vindicem ſimul excitat.
Impunè nullus Imperi ſceptro impium
Jungit furorem. Nemo cum noctis tegit
Iniqua terras Umbra, rediturum diem
Deſperet orbi. Terminis conſtant ſuis
Adverſa. Conſtantinus in tanto mali
Turbine, benignum ſidus affulget tuis
O Roma lacrymis. Certa num ſemper fides
Tua mihi Seli?
Sel. Dubia quæ nunquam fuit.
Max. Cum ſors faveret. *Sel.* Proſperis rebus fidem
Tentare licuit, aſperis qualis foret.
Max. Parant amicos proſperæ.
Sel. Adverſæ probant.
Max. Et ſæpe frangunt. *Sel.* Melle nutritos. *Max.* Dapem
Proſpera vocabis melleam? *Sel.* Imò lacteam.
Max. Quid iſta diſtant? *Sel.* Plurimum: mellis ſapor
Eſt dulcis; at non nutrit. *Max.* Adſpondes? ſinum,
Grandia tenentem arcana recludam. *Sel.* Potes.
Si fallo temerè, medius invitis dies
Moriatur umbris; Jura diſtracti poli
Elementa rumpant; cuſpide intorta furens
Olympus iſtum verticem in flammas agat.

Max. Pridem tyranni sceptra, & obscœnum jugum
Excutere mens est. *Sel* Unde turbatis potes
Sperare rebus? *Max.* Unde vix ullam putas
Spem promicare Roma jam sentit graves
Duri secures Imperi, & semper novo
Sanguine tepentes Civium; jam que invocat
Legitima castra Flavii. Fidem tuam
Hic posco Seli. *Sel* Juro. *Max.* Mentitâ tege
Dolos lacernâ. Talis in fraudem places,
Ut castra penetres, finge palantes boves
Ab insolente militum abreptos manu.
At has tabellas occule, & fido tege
Crini involutas. Tela jam fraudis fluit,
Sic perge Seli. Tota Romanæ quies
In te recumbit Urbis, & Latii salus.
Sel. Sic mihi benigno faveat annutu dies.

Scena Sexta.

Dymas sistit Romulum Maxentio Parenti, cujus præsentiâ hic in spem erigitur.

Maxentius Romulus. Dymas.

Ma Adeslabantis una spes amplæ domus,
Levamen unum Romule, & partem gravis
Quod porto dudum ponderis, mecum subis?
Rom. Per tot Gradivi turbines, per tot vices
Servatus atræ sortis, auxilio patris
Adsum.

Adium superstes filius. Parvo stetit
Mihi vita morsque limite.
Maxen. At superes tamen.
Rom. Munere Deorum. *Dym.* Munere Dymantis magis;
Ego te per uda regna furialis freti,
Per operta tenebris nemora, per flammam & focos
Periclitantem sustuli. *Rom.* Verum est. Tibi
Producta vitæ stamina, & rogi ultima
Supplicia victa debeo. *Max* Quem tu mihi
Rogum renarras? *Rom.* Quem mihi nuper strui
Pater imperasti. *Max.* Filio rogum strui
Ego truculentus jusserim? *Rom.* Captus levis
Errore famæ. *Max* Fama te mendax neci
Datum canebat. *Rom* Vivo. Damnatus tamen
Errore Patris, ultimo vitæ steti
Cadentis apice. *Max.* Fabulam ignaro canis.
Rom. Pyra veritatem firmat. *Max.* Hac natum Pater
Indere parabam Cœlitum ordinibus, tubâ
Mendace famæ hujus, extinctum mihi
Quæ te ferebat. *Rom.* Ibat effigies mei
Sublimis humeris Civium, & clarum premens
Pulvinar ostro, ferculum busto sacrum
Diis inferendum; verus inferias Stygi
Ibam daturus Romulus. *Max.* Cujus dolo?
Rom. Furore patris. *Ma.* Mortuum sic te pyra
Cælo inferebam. *Rom* Mortuum nondum, mori
Pater jubebas. *Ma.* Submove errorem patri
Obliviosos, nate, *Rom.* Cum nostro frequens
Pom-

Pompâ rogali funeri extremos daret
Populus honores, adstiti, instantis necis
Non vanus augur. Namque dicebam, pater
Qui me Deorum miscet Indigetûm choris,
Obiisse jam me credit extremum Diem:
Ergô negabit vivere, & falsam ratus
Larvam negabit sidera, negabit solum:
Et actus irâ pandet Acherontem mihi.
Præsagus animus vera præcinuit, Steti
Ante ora, fassus sanguinem, & natum patris,
Qui sum, negabar esse; qui nunquam fui,
Credebar esse. Nempe sic me oris tenor,
Scripturá frontis, linea genarum. gravis
Tractus humerorum, gestus ac vocis sonus
Formavit olim; ut crederet, qui non fui,
Syllanus esse. Hinc omnis erroris, Pater,
Origo manat. Profugus hinc signis tuis
Sum judicatus, & sacramenti dati
Transgressor audax, Flavio Marti meas
Dicasse turmas; undique ad mortem tuo
Jussu petitus per salebrosas vias
Nemorumque saltus invios cœpi fugam;
Donec paterno vultui oblatus, Patris
Acerba retuli fulmina, accensam minis
Iráque frontem, & Romuli occisi reus
Damnabar illo Romulus verus rogo,
Quo ficta statua Romuli indigetes Deos
Auctura st*at.
Maxen. Romule, in natum Pater
Hoc crimen ausus? *Rom.* Error, & cædis meæ
Vulgata fama vindicem Patris manum

Au-

Armabat irâ *Max.* Parce, sum nocens pater;
Quod innocentem filium, fortem, probum,
Patri obsequentem, gentis Ausoniæ decus,
Stirpisque gemmam patris insanus furor
Temerârit irâ *Rom.* Culpa, quam ignarus patrat,
Veniam meretur: Error excusat nefas.
Max At quis furentis Romulum flammæ rogo
Eripuit? *Rom.* Arte Colchicâ instructus Dymas
Imbrem evocavit nubibus, quo se sitit
Perfusa flammas; turba spectatrix loco
Abacta fugit. Redit in pectus vigor
Amorque vitæ: ardente desilio pyra,
Celerique vitam redimo pretiosam fugâ.
Max Habe parentem Romule.
Rom. Et natum pater
Habe obsequentem. *Maxen.* Romulo vivo vetus
Spes mihi resurgit. *Rom* Filius vivo Patre
Animos resumit. *Dym.* Alteri alterius amor
Addit vigorem. *Ma* Flamma sic flammam juvat.
Rom. Sic fluvium adauget fluvius.
Max. Hac genitor manu
Subigam tumentem Flavium. *Rom.* Hoc natus patre
Romam triumphis augeo. *Max.* Addicis Dymas?
Dy Natus parentem fulcit, & natum pater.
Max. Sed ecce ad aras pompa sacrorum subit.
Assiste Patri nate, nolentes Deos
Cogam in favores, sponte venientes colam.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Maxentius Marti sacrificat sinistro omine.

Maxentius. Volumnus Sacerdos Martis. Veranus Mysta. Dymas. Salii. Praeco.

Instructa Martis ara consuetis calet
In vota flammis? *Vol.* Foribus assistit Deo
Bos victimandus, fronde redimitus caput,
Festoque flore cinctus, instructae foco
Calent acerrae. *Max.* Sacra Bellorum patri
Placando agantur. *Ram.* Illius nutu meat
Fortuna belli. Nullus invito Deo
Hostem subegit. *Vol.* Quisquis hic Marti facit
Lustretur unda. Coelites puras amant
Foventque dextras. *Ver.* Quisquis assistit Deo
Est expiatus. *Vol* Cinge verbenâ caput.
Mente evagari crimen est, quando Deo
Adstas sacerdos *Ver.* Tempora sacratâ virent
Redimita fronde. *Vol.* Vina, qui Marti facis,
Socio propina. Per merum in pugnas calet
Animosa virtus. *Ver.* Quisquis hic aras colit,
Bibit Gradivum. *Volum.* Victimae in tergum meri
Everge partem, tingatur focus.
Veran. Stupuit ad undam taurus, & flammae, sacro
Crepuêre latice. *Vol.* Praeco consuetum intona.

Prae.

Prae. Procul hinc profani. Martis interpres jubet.
Procul hinc profani abeste. Vos tacitis pii
Favete linguis.
Volum. Dexteram armatus Popa
Protrahat ad aras victimam *Ver.* Lento gradu
Invita sequitur. *Volum.* Flamine obducto sacram
Obvolve frontem. Vota bellorum Patri
Popæ vovete. Vota delectant Deos.
Popa Mars soli magnum decus ô Quirini!
Si tibi sanctis amor in medullis
Patriæ bullit, vigilasque Romæ;
Annue votis:
Nostra Romanis coque corda flammis;
Ut ferox mentem rapiat per arma
Spiritus; magni decus ô Quirini
Annue votis.
Vol. Jam bellicoso vota Maxenti potes
Concipere Pa ri, pronus in vota annuet.
Max. Bellorum Gradive pater, quem pulchra verentur
Agmina Romulidûm, cui magni pectoris ardor
Servit, & heroæ veniunt sub signa cohortes;
Cujus ad imperium sese victoria flectit,
Dispensatque decus famæ: tu Cæsaris arma
Dirige magne parens; exultantemque superbis
Latronem spoliis Tiberino immerge sepulchro.
Huc age Mars animum, & qua tempestate cadentes
Irruis in populos, quo fulmine conteris urbes,
Si

Si te Roma juvat, Romam defende Quirini
Progeniem,& domito pacem compone tyranno
Sic nos vota damus, sic dona rependimus aris.
Vol Tu cui terrifico riget inflammata metallo
Dextera, quem sequitur rapido discordia passu,
Utricesque minæ, qui laurum in tempora solus
Inclinas Gradive pater; si te juvat aris
Numen adorari, multoque altaria tabo
Diffluere, armatis in Flavia funera turmis
Suggere fulmineo flagrantem ardore calorem,
Et constantino trepidos infunde timores;
Ut cadat,& Romæ tandem Victoria cedat.
Exsuscitetur ignis *Ver*. Exarsit. *Vol* Sacris
Ingerite flammis thura *Ver*. Panchæum dedi
Jam munus aris *Vol* Qualis effulsit juba
Colorque acerris? *Ver*. Flamma vix micuit, petit.
Non unus illi fulsit aspectu color.
Non una facies mobili flammæ fuit.
Cærulea primum, deinde sanguineis notis
Permixta fulsit, ultimum in tenebras abiit.
Vol. Qua parte micuit?
Ver. Turbido ad lævam sinu
Prosiliit ignis? *Vol* Rectus an crinem extulit?
An latera circum serpsit incertus viæ?
Ver. Circumvolutus marginem in partes duas
Discessit & se flamma discordi scidit
Rixata luce. *Vol*. Parte qua fumus volat?
Ver. Pars nube densa dexterum in latus ruit,
Pars fluctuante verticem motu tuum
Involvit, inde tenuis in ventos abit.
Vol. Inter tumultus mentis incertos Dei

Ar-

Arcana nondum teneo. Quod vidi, malum est.
Sed unde, vel quod; Numen iratum tegit.
Patet ira certo Numinis signo; tamen
Quid illa nobis ira portendat mali,
Pudet profari Cœlites. Propiùs sacro
Igni admovete victimam. *Ver.* Attollit caput
Trepidusque pavidum taurus avertit gradum.
Vol. Iterate vota Numini, Eoo imbuo
Dum thure flammas, atque Achæmenius vapor
Manifesta belli signa subeundi rotat.
Popa. Mars soli magnum decus ô Quirini!
Si tibi sanctis, &c *ut supra.*
Ver. Stat ara segnis, & sacri trepidant foci.
Vol. Aræ admovete victimam.
Veran. Hæc sacros petit
Cornu ministros. *Vol.* Numini assuetum date
Plausum ministri, cassidc armati caput,
Clypeo sinistram, dexteram ferro graves.
Satis est Sacratas ingero dum igni dapes,
Geminato magno Numini cantus Popæ.
Popa. Mars soli magnum decus ô Quirini.!
Si tibi sanctis, &c. *ut supra.*
Vol. Imprimite cultos victimæ. Qualis sacram
Stetit ad securim? qualis in terram ruit?
Ver. Expavit ictum taurus, & quærens fugam
Et huc, & illuc dubius avertit gradum:
Et vix ad aras dextra pugnantem impulit.
Tamen securi cecidit, & spumâ solum
Infecit omne *Vol.* Viscerum certas mihi
Notas revela: *Ver.* Vulnere impacto cruor
Ater, pigroque lentus incessu fluit;

Agi-

Agitata trepidant exta; spumanti jecur
A felle tabet: viscera effugiunt manum:
Cor sede vulsum propriâ ac mersum latet,
Ægrumque penitùs marcet & tabo fluit.
Vol. Portenta rerum! *Max.* Signa quam tandem mihi
Sortem loquuntur? *Vol.* Nôsse, quæ Cæsar petis,
Nescire cupies. *Max.* Non satis sortem levat,
Nescire sortem Sive per tragicas mihi
Minetur iras, sive ridentes fluat
Sors in favores; iste constantis tenor
Animi triumphat. Ede: securos solet
Etiam supremùs facere fortunæ furor.
Vol. Odêre Reges dicta, quæ dici jubent.
Max. Odêre Mystas; quando, quæ dici jubent,
Proferre tardant. *Vol* Cæsar obsequium pete
Majus loquelâ. *Max.* Qui tacet jussus loqui,
Præstare quod debebat, obsequium negat.
Vol. Non magna posco: liceat hoc unum mihi
Silere. *Max.* Liceat Cæsarem atq; Urbem simul
Perimere. Tantum nempe quod poscis, nocet.
Vol. Siluisse nulli nocuit. *Max.* Evertit tamen
Vox pressa Amyclas. Quando per silentium
Tegitur minantis sortis incumbens furor,
Tacere scelus est. Exprime, aut ferro exprimam
Negata verba. *Vol.* Vocis invitæ jubes
Obsequia Cæsar. Parce si jussus loquor
Quæ forte mentem Regiam in fluctus agent.
Max. Veniam merentur verba, quæ jussus dedit.
Vol. Vel ludit æther vota, vel rigidus tuis

Bellis Olympus instat. & turpi exitu
Funestat arma Define. Irarum sat est,
Nolente quisquis numine inferrum ruit,
Demens ruinam vertici adsciscit suo.
Max. Audio minantem. Dexterâ invitos Deos
In arma cogam; quemque signavi, exitum.
Donabo bellis invido armorum Patre,
Nolente cœlo. *Vol.* Numina in nefas habent
Parata tela *Max* Cæsar adversas habet
Fulminibus iras. *Vol* Debiles jactas minas.
Max. Quibus in ruinam sidera & Divos traham,
Terrasque vertam. Sacra, non sacra impio
Sanguine natabunt: nullus inveniet suæ
Saluti asylum: fœminas mixtas viris,
Pueros, puellas, lacteum infantum gregem
Quadrupedis ungue proteram: nullus nece
Peribit unâ: mortuos cogam mori,
Perimam peremptos. Perge: me furor rapit.
Vol. Si sævientis laureæ starent minis,
Victor tyrannus astra calcaret pede,
Sed arma causa honesta, non furor regit.
Qui vult sinistra prælia, furore incitet
Invita sidera, & reluctantes Deos.

* *
*

SCE-

SCENA OCTAVA.

Selius interceptus cum literis, & Maximus Consul habita cum Constantino conspirationis reus Maxentio Tyranno sistitur: uterque morti adjudicatur. Maximus venit in cognitionem, quod Selius sit filius suus, quem hactenus servum habebat: Selius vicissim Maximum Patrem agnoscit, alter pro altero mori certat. Iubetur filius Patrem occidere. Hic pietate motus seipsum potius conficit. Pater super filii cadavere indolens, idem facturus erat, nisi prohibitus fuisset.

Maxentius. Maximus Consul, Selius.

Max. Probrum Quirinæ gentis, infandæ caput
Reum castate, Consul infamis, Stygis
Abominanda pestis, indignus die,
Indignus aurâ publicâ; hac Urbem fide
Civesque servas? *Maxi.* Roma qua solum potest
Immunis esse. *Maxe.* Roma qua solùm potest
Subdi tyranno, *Maxi.* Quem nimis tolerat diu
Gemente populo. *Maxe.* Rideor? in os hæc mihi
Obtrudis audax? *Maxi.* Consulem ut decet, *Max.* Decet
Ut proditorem patriæ, Juris, Deûm.
Maxi. Nec jura patriæ prodita, aut læsos Deos
Agnoscit animus; jura servare & Deos
Consul petebat. *Maxe.* Nempe testatur manus

Tuæ hoc characťer. *Flavia stirpis decus*
Iuste Imperator, Romula Gentis salus,
Latiique columen, Vrbis afflicta unica
Spes & levamen, generis Ausonii parens,
Amorque Constantine; si votum excipis
Populi Quirini, cura si patrum movet,
Si te Senatus fata suprema, & preces
Tangunt gementis Vrbis, & frontis nota
Injuste adempta verticis, & sceptrum manu
Gemens tyranni; jura si Patria æstimas.
Ne differ arma, Grande, quod patimur, malum.
Moram execratur. Si venis, magnum tibi
Cumulas honorem. Civibus pacem, necem
Certam tyranno. Stat sacramento tuis
Iurata Roma partibus fidus tuis
Studiu Senatus; Civis adjicit fidem,
Populusque vitam. Crastinus quando dies
Deterget astra, parte qua Tibris natat
Advolve Castra. Civis occursu hosticam
Simulabit iram: deinde complexus suam
Sinu Salutem, magna pars ibit tuo
Pravia triumpho, perque calcatum trucis
Caput tyranni Tarpium inscendet jugum
Hac vota Roma, Civium, Plebis, mea,
Latii, Deorum. Supplices Casar tuis
Cerne advolutos genibus; & qualis soles
Tuis benignum sidus auxilio veni.
Itane cruente consulis Patriæ bono,
Romæ saluti?
Maxi. Non nego, sed nec pudet.
Maxe. Sic tibi Quiritum, ac Romulæ gentis salu

Amor

Amorque Constantinus est? hoc Cæsare
Me crimen audes? sentiet quando hoc scelus
Cruore stabit Frontis injustè jubar
Egonè ademi, Marte quod fido mihi
Miles paravit? Stat sacramento alteri
Fidus senatus? Hostis est ergo mihi:
Juratus hosti in arma, perjurus mihi est.
Properate fida militis lecti cohors,
Per quam serenum teneo Regnorum jubar,
Et jura Romæ; vestra quod virtus mihi
Diadema peperit, vestra conservet quoque
Immune dextra; carcerum abstruso specu
Claudite senatum; plebis emotæ dolos
Opprimite ferro. Crastinus quando dies
Deterget astra, sentient lumen sibi
Ire in tenebras noctis. Occursu hosticam
Simulabit iram Civis? Occursu hosticam
Iram anteverte miles. In pœnas pari
Eant procella, qui scelus tantum pari
Furore tentant. Nullus est mihi innocens.
Communis urbis culpa communi quoque
Pœna expietur. *Maxim.* Nempe sic Civi probas
Mores tyranni. *Maxent.* Nempe sic urbis pium
Me probo parentem.
Maxim. Quando tot fora, & domos
Cædibus inundas. *Maxen.* Quando tot nocuos
neco,
Ut innocentes tuear. *Maxim.* At solùm innocens
Nocens tyranno est. *Maxent.* Maximus sui exhibet
Documenta verbi.

Maxim. Qui nocens visus tibi,
Quod studeat urbi. *Maxent.* Jura quod Regni impio
Transscribat hosti.
Maxim. Jura quod regni suo
Domino reponat Lege si hac jubes mori,
Quod te tyrannum Romulæ gentis querar;
Moriar libenter.
Maxent. Lege, qua ultricem vocant
Scelera securim: Lege, qua nunquam manu
Stant tuta sceptra, aut fronte securum jubar,
Dum spirat hostis; lege, quæ ingratum vetat
Agere inter homines. Quo lacessitus malo
Mihi hæc rependis? Cui Quirinalis dedi
Secunda Romæ jura: quem vulgus supra
Posui ad secures, quem Magistratus meo
Jussu audiebat; sic remetiris vicem?
O fœda semper mentis ingratæ lues!
Hoc ergò velles frontis augustæ jubar
Nostro revulsum vertice? hoc sceptrum meis
Manibus ademptum? lateris hoc ostrum suo
Perire Domino? Marmor in duro tibi
Tantum rigescit pectore? An tanti est tibi
Stravisse turpi columen augustum nece,
Cui nixa Romæ penitus incumbit salus?
Sed fraus aperta est. Semper à tergo imminet
Hæc pœna sceleri, quamlibet sese occulat,
Nunquam latere posse. Jam parta ultio est
Cum culpa patuit.
Maxim Culpa si mortem mea
Meruit, superstes Scelus facto meo

Vivere meretur.

Maxent. Par scelus pœnam parem
Trahit in utrumque Non minùs servus reus
Est exequendo scelera, quàm Dominus reus
Sit imperando.

Maxim. Pœnam in auctorem redit:
Si quid patratum credis, est crimen meum.
Supplicia subeat ille qui fecit nefas.
Hic imperanti fidus, obsequii sui
Munus meretur. *Maxent* Quale debetur tibi,
Qui scelera mandas.

Maxim. Sim reus; non est reus,
Sevire qui juravit, & servit. *Maxent.* Nisi
Quando imperata publico bono nocent.

Maxim. Si nocuit aliquid, quidquid id fuit, meum
est.
Ego imperavi crimen, ego sceleri modum
Viamque feci.

Maxent. Rapite sceleratum caput,
Membrisque membra avellite, & rabidis date
Epulanda canibus.

Selius. Proximum ò Divis caput
Invicte Cæsar! *Ma.* Aufer à genibus manum
Scelerose serpens. *Selius.* Cæsar hoc unum
precor.

Maxent. Precare; sed non vivere. *Sel.* In mortem
jube
Me Cæsar ire: vivere at patrem jube.

Max. Patrem? *Sel.* Benigne filii amplexum Pater
Admitte. Dubitas? sum tuus natus, pater,

 Quem

Quem tot per annos ſtemmati ereptum gemis.
Maxent. Tene ergò ſervum finxeras?
Sel. Servus fui
Nec eſſe ſoboles deſii. O duras vices!
Quod ante patrem noſcere negatum mihi,
Quàm cùm cadendum eſt!
Maxim. Fateor affectum patris
Merêre Seli, nec tamen fateor patrem,
Niſi ſigna prodas.
Maxent. Siſte dum natus patrem,
Paterque noſcat filium. *Sel.* Quondam patrẽ
Qua ſorte raptus, neſcio; Ægypti plagas
Peregrinus hoſpes, generis ignarus mei,
Exul ſubivi; quemque votivo colit
Apin Canopus thure, adoravi pari
Cultu Tonantem. Cana tum forſan meæ
Templi ſacerdos condolens ſorti, puer,
Ait, benigno ſolis aſpectu ſate,
Sed invidente ſortis agitate aleâ
Caſus per omnes, generis ignarus tui,
Aliis, tibique ignotus, hoc tandem ſolum
Peregrinus hoſpes debili cymbâ tenes.
Sed fata quam diverſa ſunt cœli! mare
Olim procellis æſtuans motis, ſinu
Te Patris amico avulſit, atque Euro dedit
Prædam rapaci. Te pater multâ Italum
Lachrymâ per orbem flevit, & multâ prece
Surdum rogavit Numen. At, fero licet,
Signata tandem ſideri adveniet dies,
Quæ tibi parentem, teque tot functum malis
Reddet parenti. Nempe cum pronum caput
Sub-

Subdes securi, fata ut avertat tua
Aliquis subire fata contendet. Tuus
Est ille genitor. Dixit; & Lunam dedit
Gemmis nitentem: Genitor hanc collo tibi
Suspendit, inquit, quando puerilem togam
Bullis parentum complet. Et similis tibi
Luna rubefactis cornibus pectus notat.
Gemmam tuere: sique adhuc dubitas pater,
Tuere pectus filii: *Maxim.* O fili, mihi
Sidere benigno reddite! O qualis redis?
Servus reusque: post tot exactas tuæ
Sortis procellas, post tot exilia, & gravis
Juga servitutis! Nempe deflendus redis,
Idemque amandus: gaudium & mœstos simul
Adfers dolores. Auctor ego mortis tuæ
Dum te recipio, perimo. Sed vives patris
Morientis hæres. Cæsar, immites fibras
Si flamma nondum deserit, & adhuc juvat
Sævire ferro, pectus hoc ultor pete,
Quod innocentem filium genitor nocens
Tuo furori victimam aptarim *Sel.* O pater
Tu vive potius; quosque mors adimet mihi
Annos, tibi reponat. *Maxi.* Hoc absit scelus
Pio à parente. *Sel.* Sicne crudelis pater
Vetas pium esse filium? Cæsar, ferum
Huc verte chalibem: cerne pœnarum capax
Divesque pectus sanguine; hic iræ graves
Extingue flammas. Vivat innocuus pater,
Romæ, tibique Vivat, & senio gravis
Tua jura multa Consul in lustra audiat.
Maxi. Fili parentis facilis ad nutum obsequi

Si quid merentur capitis hæ nostri nives,
Si quid parentis nomen! *Sel* O genitor diu
Mini negate, nunc Patrem demum proba
Te mihi. *Max.* Nihil ne nate concedis Patri?
Sel. Nihilnè genitor filio? *Max.* Possum Pater
Etiam imperare. *Sel* Filius possum preces
Patri admovere.
Max. Per Patris blandum precor
Te nate, amorem, quasque manare aspicis
Per ora lachrymas! nate! non aliquid Patri
Sperare fas est? *Sel.* Genitor ut vivas.
Max. Mori
Ut liceat. *Max.* Ensis vindicis flammas reus
Meruit uterque. Neuter alterius scelus
Suo expiabit sanguine. *Max* At majus nefas
Est imperare scelera, quàm scelera exequi.
Max, Et imperans & obsequens unam facit
Sceleris catenam, Nemo si jubeat nefas,
Nemo exequetur: nemo si paret quoque
Nemo jubebit mutuo hæc sese trahunt,
Jubere & exequi. Duplice tamen Pater
Se damnat ausu. Patriæ tractat suæ
Consul ruinam. Grandius an aliquid potest
Coquere vel hostis? Deinde non satur suo
Crimine, cruentum in facinus & natum trahit.
Max. Minus ille aberrat, jussa qui Domini facit
Seseque solum fingit imperiis parem.
Max Uterque justas ensis irritat faces,
Uterque mortem provocat. Nostri tamen
Benigna sceptri lenitas, mitis manus,
Blandumque ferrum tenuat urgentis necis

Sup

Supplicia merita, & pendit unius nece
Culpam duorum. Meta stet natus Patri
Paterque nato: missili armentur manus
Utriusque telo. Quisquis alterius prior
In cor sagittam fixerit, vivet. *Maxi.* Stygem
Audio jubentem. Viscera ut nato pater
Natusque Patri rumpat? ô Româ procul
Abacta pietas! *Maxe.* Sic volo & jubeo: manus
Aptate telis. *Maxi.* Ergò tu vives meæ
Pars magna vitæ, nate. Me satis est jugo
Voluisse patriam solvere, & tanti decus
Meruisse facti. Tædium vitæ meis
Jam sponte canis instat, & præceps trahit
Fatum senectus. Nate tu votum Patris,
Tu jussa Cæsaris expedi; & misso fibras
Transadige telo. Renuis? Hoc jubeo Pater,
Saltem supremum Patris imperium cape.
Sel. Ego ille, stygiâ vipera palude edita.
Ego ille, Averni fusus ex antris Draco.
Qui corda lacerem patris? ô tellus mihi
Dehiscat ante, perque radiantem æthera
Præceps agatur Phœbus. Eumenidum scelus
Pater imperasti *Maxi* Jussa non audis adhuc?
An stirpe Fabiâ genitus indignum meo
Nomine bibisti sanguinem? Vitam mihi
Si nate poscis, eneca: Vitam dabis
Feriendo pectus. Vita natorum recens
Est vita Patrum. *Maxent.* Terminus liti & modus
Sint nostra jussa. Tu prior Seli in patrem
Jaculare telum. *Sel.* Quando sic Cæsar jubes,
Habe obsequentem Selium. Quicquid jubes

Æquum facis jubendo *Max.* De rostris patrem
Statuite metam. *Sel.* Gravius hoc telum date.
Max Jam nate dignam patre te sobolem probas;
Fabiique generis indolem. En cordis patet.
Aperta scena *Maxe.* Dubia quid toties manus
Suspendit ictum? Cæsaris jussa expedi.
Sel. Telo hoc amanti debitum solvam patri.
Sic, sic juvat perire, quò vivat pater.
Maxi Heu nate! in uno vulnere occidis duos
Date mî cadentis filii exangues genas
Libare mœsto basio. Infelix pater!
Infauste nate! sic tuum invisis patrem?
Itane parentem diligis? letho tuo
Sic nostra fata redimis; At gemino patrem
Funere trucidas. Morior aspectu prius
Nati cadentis: deinde quid telum facit
Tam nobili haustum vulnere? invitat meam
In paria dextram vulnera, ut nati super
Funere recumbam funus, & mœstus tuam
Umbram requiram. Tantus in patrem tuum
Amor, meretur funere rependi pari.
Quæ te probarunt filium mihi, me tibi
Probent parentem spicula. Hoc nati fides,
Hoc lex amoris, fasque naturæ jubet.
Maxe. Prohibete famuli facinus, injectis manum
Tardate vinclis. Pereat, at qua non volet
Perire dextrâ. Sceleris exacti nota
Graviora tela provocat. Rapite ocyus
Procul hinc nefandi sceleris auctorem, & suæ
Patriæ inimicum, perque torquendi vias
Mille laniatum pabulum alitibus date.

CHORUS.

Pugna Pietatis & Impietatis in aere repræsentatur. Impietas accepto fatali vulnere prolabitur.

Pietas. Impietas.

Imp. Expulsâ prius Martis arenâ
Integra rursus sistor arenæ:
Gravior primâ est ira secunda,
Jam suprema est tentanda meo
Medicina malo. Vel cadet illa,
Vel ego. Litem hic dirimet campus.
Vincere, vinci; gloria par est.
Vincam? stabit nostrum Imperium.
Vincar? fuso Roma cruore
Fundata olim, nostro rursus
Sanguine stabit. Stare cadente
Patriâ, pulchrum est: pulchrum est patriâ
Moriente mori. Prodit en iterum
Æmula sceptri. *Piet.* Semel obtentæ
Campus arenæ patet alterius
Pugnæ arbitrio. Prius in turpem
Conversa fugam cruda Impietas,
Nunc perimenda est. Primum, alterius
Belli, bellum est omen. Facilè est
Hostem timidum vincere. *Imp.* Facilè est
Hostem timidum vincere? mene?
Timor ardentem est versus in iram:
Metu ab extremo furor extremus

Sæpè incaluit. *Piet.* Video monstrum?
Video spumam turpis Averni?
Imp. In tua natam funera cernis.
Bellua regnis excede meis.
Piet. Romæ exitium, Latij pestis,
Fax Imperij, Procerum latro,
Exosa polis, invisa solo
Bellua, regnis excede meis.
Imp. Quid ventosum furibunda moves
Ore Gradivum? confere dextram.
Age, supremos exere totis
Draco visceribus pectoris ignes.
Piet. Age, consuetas fulminis Aquila
Exere flammas. Hoc habet. Astra,
Vobis palmam refero Pietas.
Non ego; Numen vicit in isto
Prælia signo. Sic bona semper
Causa triumphat.

ACTVS IV.

SCENA PRIMA.

Pons ligneus Tyranni jussu Tyberi imponitur, malum omen præsagientibus Nymphis & Tritonibus.

Metellius. Consul. Opera. Tyberis. Chorus Najadum. Chorus Tritonum.

Met. Operis struendi Tyberis hic offert locum:
Pro-

Properate. Segnem Cæsares servi manum
Odêre. Primus gratiæ ad culmen gradus
Est, jussa facili Cæsarum dextrâ exequi.

Chorus Najadum. *Tritonum, & Operariorum.*

Geminas Tyberis sylvæ exuvijs
Jungite ripas; vastasque dolis
Nectite quercus. Lævo insidias
Omine struitis. Nullus fraudi
Locus est, quando Flavia cœlum
Arma tuetur. Non hæc homini
Bella tyrannus gerit: impetitur
Deus, æternos qui super orbes
Videt humanos, retegitque dolos.
Brevis est semper, nec tuta satis
Vita dolosis fraudibus. Alnos
Littore ab isto tendite in istud:
Labor est vanus, sudor inanis;
Quem pia cœlo non fovet astro
Meliore manus. Scelus ad tempus
Impunè meat. Sed tamen hora
Est sua pœnæ; quæ, quod latuit
Crimen, apertam trahit in lucem.
Caput auctoris plerumque doli
Repetunt. Sic qui tacitè muros
Subruit, ausu perit ipse suo,
Tumulumque sibi fodit, alterius
Cùm damna petit. Fraus scelerati
Animi est index. Hinc sibi semper
Habet infestam Numinis iram.
I Maxenti quà vocat irà,
Quà rapit œstrum, quà citat ardor:

Non

Non effugies Numinis iras.
Caput auctoris repetunt fraudes.
Quæ mala justo damna, pioque
Cæsari adornas, in tua structa
Fata dolebis. Jussu astrorum
Caput auctoris repetunt fraudes.
Mergere toto, crude tyranne,
Mergere Tyberi. Tantum crimen
Non parva potest unda piare.
Mergere toto bellua Tyberi:
Caput auctoris repetunt fraudes.
Mergere Romæ fatale probrum;
Lætusque tuo funere Cæsar
Pura reponat gaudia Romæ.

SCENA SECUNDA.

Vindicta divina armatur in Maxentium, ad quam clamat sanguis Martyrum. Inducit minacem Cometam, quem observans Dymas Magus, intelligit res Maxentij desperatas.

Vindicta divina. Sanguis Martyrum. Dymas. Maguscus.

Mart. Vindicta? vides impune scelus?
Pigrâque manu stringi cupida
Tela coërces? Meruit pridem
Impia sævi culpa tyranni
Pendere pœnas. Stringe volantis

Vindicta manu fulminis ignes?
Impunè scelus parcendo foves.
Stringe volantis fulminis ignes
Vindicta manu. *Vind.* Cruor innocuus
Me vocat astris. Noxia culpis
Est mora pœnæ. Toxica pestis
Latè effundit, nisi scintillam
Primam extinguas. Venio, passu
Lenta, sed ictu venio gravior.

Marty. Vindicta! manu stringe volantis
Fulminis ignes. *Vind.* Impunè scelus
Hactenus ivit. Jam venit hora
Suprema malis. Nunquam felix
Scelus in longum ducitur ævum.
Si quando tamen Deus indulget
Longius ævum, gravior sceleri
Pœna paratur. Crescit ab ipso
Tempore verber. Satis est: hora
Jam tibi venit summa tyranne.

Marty. Sic, Diva, manus urge: ut nunquam
Scelus in longos profluat annos.

Dym. Quid hic Cometes crine ferali nocens
Portendit orbi? Natus ex hydræ sinu
Per gemina Cancri brachia incedit. Viæ
Incertus indè oberrat; atque Ursam propè
Devexo itinere defluens sævo comam
Jungit Draconi. Tolle jam moras puer,
Tolle apparatum hunc.

Mag. Sidera infausto meant
Truculenta cursu? *Dym.* Non leve est Romæ
malum.

Quod

Suprema ? *Dym.* Belli Flavius palmam rapit
Volente cœlo. *Max.* Cæsare invito potest
Appetere palmam: Cæsare invito tamen
Nunquam obtinebit *Dym.* Cœlites vestram fidem!
In me minaci tela jactentur manu:
Parcant verendo Cæsari. *Max.* Indignans furor
Lupata rumpit. Pressa violentum impetum
Adaudet ira. Bubo quid mœstum canis?
Dym. Adversa Romæ fata, juratum tuæ
Cœlum ruinæ. *Max.* Siccine, infandum caput
Blanditus ante Cæsari laurum es meis
Pollicitus armis. *Dym.* Error hic Orci fuit.
Sic me docebat Erebus, & Averni data
Responsa Jacubus, *Max.* Errat & Avernus quoq;?
Dym. Quando futuros exitus rerum Dij
Pandere recusant. *Max.* Pandere recusent Dij;
Quodcunque velat diphthera, & cœlum, manu
Cæsar refringam.
Dym: Pone flammati minas
Cæsar caloris; quos petis, casso impetu
Deos lacessis. *Max.* Nullus est cœlo Deus,
Quem metuat ista dextra.
Dym. Quem metuis minus,
Magis ille sævit. *Max.* Veniat è cœlo Deus,
Si quis gubernat astra, vel flammâ solum
Terret Trisulcâ, conferat mecum manus?
Ut discat esse fortius telum mihi,
Quo frango terras, quo reluctantes polos
Ago in favillas.
Dym. Cæsar in cassum furis,

Minas

Minasque jactas: jura non franges poli,
Max Quæ jura? *Dym.* Quæ Maxentium & tumidos ligant (Deûm
Orbis Monarchas. *Max.* Cæsari an quisquam
Decreta statuat? *Dym.* Cæsarem & populum premit
Eadem potestas. *Max.* Vile, probrosum caput,
Mendaxque lava: si quis est cœlo Deus,
Qui fata mundi torquet, & belli vices
Pacisque flectit; umbra furialis tuo
Hunc repete casu: postque vel cœlo redux
Anima, vel Acheronte esse testetur Deos.
Cui flamma mentis ardet, hic sibi est Deus.
I, tristis umbra, mergere extremo lacu
Mœrentis orci. *Dym.* Morior; & pigræ stygis
Succedo larva, teque furiali sequar
Ardore semper, donec Acheronti cadas
Victima profundo.
Max Morere. Jam bubo tacet.
Nullumque Numen esse, quod Rege altius
Dominetur orbi, sanguine effuso probat.
Abripite terræ pondus, & Tybri date.

SCENA QUARTA.

Indignans Tyberis cadaver Magi in littus ejicit.

Tyberis. Tritones. Najades.

Tyb. Quæ mihi stygijs Eumenis antris
Eruta gelidas incendit aquas?

Quis

Quis mihi toto gremio serpit
Ignis Averni? Cremor in medijs
Tyberis undis. *Trit.* Non hic Tyberis
Natat in puris vitreus undis.
Stygius lacus est, amnis Averni est,
Orci est sulphur. Fuge Tritonum
Turba cavernis. *Trit.* Medijs (monstrum!)
Urimur undis. Undas fugimus.
Tyb. Quò Tritones? quò turba meis
Assueta vadis? *Trit.* Acherontæo
Igne calentes undas fugimus.
Najad. Tacito stygius lacus illapsu
Tiberine tuis miscetur aquis.
Pellimur udis Nymphæ regnis,
Tiberine tuis pellimur undis.
Non benè socius meat ignis aquæ.
Hinc sibi stygius rimatur iter
Terræ superos amnis in orbes.
Tyb. Mergere Triton, mergere Nais:
Quærite, nostras quà parte venit
Ardor in undas. Currite celeres,
Quærite faciles: Tyberis mandat.
Trit. & Najad. Celeres, faciles jussa paramus,
Tyb. Ardere undas, fervere gelu,
Frigus aduri, non leve monstrum est.
Trit. & Najad. O portentum! *Tyb.* Quodnam insolitum
Turba repertum stupet ad monstrum?
Trit. & Najad. O portentum! Larva Acherontis,
Mera Tisiphone, cruda Megæra
Medijs ardet Tyberis undis,

Tyb.

Tyb. Erue monſtrum, quodcunque latet
Amne ſepultum. Procul hinc, procul hinc
Toto monſtrum hoc evolve Tybri.
Procul à noſtris ſubmotus aquis
Titio hic ſtygios vomat ardores.
Trit. & Najad. Vivimus Io! Tiberine pater!
Vivimus Io! rurſumque gelu
Redit antiquum. Vivimus Io!
Tyb. Roma triumpha! Nulla per ævum
Tragicas ducit Fortuna vices.
Quæ preſſerunt mœſta, ſecundis
Tandem cedunt. *Omnes.* Roma triumpha!
Adverſa diu ſors nulla premit.
Si quando dies caput horrente
Condidit umbrâ, rurſus amœno
Surget in auro. Nunquam durant
Adverſa diu. *Tyb.* Roma triumpha!
Roma triumpha! ſors nulla premit
Adverſa diu. Roma triumpha!

SCENA QUINTA.

Turbatæ Larvæ corpus Dymantis ad Orcum deferunt.

Larva Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Larv. 1. Væ! væ! ſceleſto. ſcelera felici diu
Quicunque curſu protrahis, tandem tuâ
Claudêre metâ. Lenta ſi quando venit
Vindicta ſceleri; certa ſed tandem venit.
Silente ſemper urget à tergo pede
Neme-

Nemesis nocentes; fulminis semper manu
Inflammat ignes: quâque suspendit morâ
Iras trisulci fulminis, eâdem gravat
Pondus parati verberis. Simulat Deus
Nescire crimen improbi, & in annos tacet;
Sed igne tandem loquitur, excussæ facis
Tortique fulguris. Errat, ostensum minus
Quicunque credit, quod diu impunis trahat
Dies secundos, nec gravem telo manum
Sentiat in ictum erumpere. Est sceleri sua
Statuta meta: si nefas auges, tuam
Celeras ruinam. Meta quo posita est loco,
Illo stat ultrix Nemesis, & flagrum intonat.
Turbata per te Roma, lactatus spei
Inanis umbrâ Cæsar, eversus decor
Antiquus urbis, civium effusus cruor:
Nunc redde pœnas. Ibis Acherontis lacum
Turbare tristis Umbra, & ardentes stygis
Terrere Manes: Ibis infestas reis
Lassare Furias. Quisque quod crimen patrat.
Hoc pœna plectit. Parcit ad tempus polus,
Graviore ut instet verbere. O terræ probrum!
Mergare Averno. Criminum pondus grave est;
Premitque terram, donec immergat stygi.
Jussos labores carpite, profundi patent
Acherontis antra. *Omnes.* Victima ô Diti sacra
I stygiali debite flammæ
Funeste Dymas, lacerande avibus
Titij celeri raptande rotâ,
Urende siti Tantaleâ, igni
Urende stygis. Meta tuorum

Sce-

Scelerum posita est: nulla tuorum
Suppliciorum posita est meta.
Cœpisse semel stygio ardere
Igne, est semper sæva incipere
Tormenta pati. Perge æternis
Debite flammis; tua nobiscum
Tormenta subi; moriensque doce;
Quamvis veniat Nemesis clauda,
Sua criminibus tormenta dari.

SCENA SEXTA.

Committitur prælium. Narratur successus.

Achillas Dux. Metellus Consul.

Ach. O vana Regum gloria! ô falsæ spei
Retecta larva! Fuimus! ingentis capax
Materia cladis! Quantus in præceps agit
Excelsa casus! *Met.* Quam mihi tragici canis
Scenam doloris? *Ach.* Occidit Romæ status;
Eversa castra Regis; occumbunt Duces
Totusque miles cernitur: palmæ decus
Et sceptra rursus Flaviam in dextram meant.
Met. Exilit amœno gaudio pectus: tamen
Tegatur ore. Sæva quid tandem paras
Fortuna Romæ? Prome, quis cædis modus,
Seriesque cladis?
Ach. Esse quæ segetis solet,
Cùm gravis ab Arcto grandine Orion fremit;
Et omne latè sternit arvorum decus.
Steterat utrinque miles armatus pari

Vir-

Virtute pectus, ſpiritu ferrum pari,
Parique amore gloriæ incenſus manum.
Senuêre bellum claſſica; exſurgit fragor
Clamorque campo: mota tempeſtas coit
Geminæ phalangis, media decreſcit via
Inter cohortes; conſerunt ferro manus,
Pedemque pes adurget, & ſcutis ſonant
Inflicta ſcuta; fervor, irarum calor,
Rabieſque totis fulminat campis. Cadunt
Et hinc & indè funera, & mixtus fluit
Hoſtis utriuſque ſanguis. Ambiguis diu
Suſpenſa pennis conſtitit victoria;
Donec ſereno miles effuſus polo
Candidus amictu, candidus & equo, viam
Per noſtra caſtra raptus ingentem manu
Rutilante ſcripſit. Illicò magno impetu
Turbo inſecutus Flavij, noſtris gelu
Infundit armis. Cadimus; aut victi malo,
Pedem relicto prælio in fugam damus.
Met. Periimus ergò! Certa jam Romæ imminet
Ruina tectis. *Ach.* In tua dextra ſedet
Spes omnis urbis. *Met.* Gravius eſt medio malum.
Ach. Malum ſupremum remedium extremum vocat.
Met. Fruſtrà applicatur, quando vis major mali eſt.
Ach. Nil negligendum eſt, quando vis magna eſt mali.
Met. Quis hîc propinqui tollitur Martis fragor?
Ach. Fugiens ſalutem miles à pedibus petit.
Tu Conſul urbi conſule. *Met.* O tandem veni

Optate Flavi, & ultimo pressam malo
Exsolve Romam! in Flavio est urbis salus.

SCENA SEPTIMA.

Fugitivus Maxentius desperat. Occidi rogat à Romulo filio, fugam in urbem suadente.

Maxentius. Romulus.

Max. Ignave Cæsar! timide pro patria mori!
Quousque inertem spiritum animosâ fugâ
Vitæ reservas? Militi extremum probrum est
Fugisse campo, & Cæsar imbellis fugâ
Quæris salutem? Repete confusam tui
Militis arenam. Si cadit miles, cadet
Cum laude Cæsar: Gloriæ magnum est decus
Cadere cadente milite, & stragem suo
Funere gravare. Castra quo pereunt loco,
Illo cadamus. O probrum Regum! fugis?
Et sceptra inultus pateris Augustâ manu
Jubarque fronti deripi? Si quod, mihi
Semper inimica Numina, iratâ manu
Fulmen rotatis, verticem in nostrum, gravi
Librate tonitru. Jupiter, si quis tamen
Vivit sub astris Jupiter, toto increpa
Hoc pectus igne: frontis hæc tuo patet
Area furori: fulmina hoc cœlo caput,
Mori volenti gratia est mortem brevi
Subire posse funere. Infande, impie,
Crudelis, excors Jupiter mortem negas
Mortem petenti? Repete Maxenti feros
Campi furores; aliquod hic telum vacat

Tu

Tuo paratum funeri. *Rom.* Quo, quo Pater
Infauste properas? Flavius campum furor
Omnem cruentâ strage sepelivit. *Max.* Decet
Hic quoque perire Cæsarem *Rom.* Regem decet
Servare sese civibus. *Max* Quando interit
Cum Marte populus, Regis imperium perit.
Rom. Pars aliqua superest genitor: hanc serva tui
Regni columnam.
Max. Nulla mihi super est; ubi
Miles perivit. *Rom.* Roma supremum patet
Devicto asylum. *Max* Roma? quam nullus tenet
Miles superstes? Roma? qua nulli fides
Est certa civi? *Rom.* Sponte sed regnum truci
Concedis hosti. *Max.* Nempè Victori. *Rom.* Potest
Fortuna vertere aleam. *Max.* Sed non potest
Facere beatum, quem semel tanto malo
Attrivit. *Rom.* Istud genitor extremum cave,
Cumulare gravia gravibus ærumnis mala.
Max Suprema teneo. Nulla majori potest
Fortuna damno furere. *Rom.* Quod summum putas,
Majore adauges. *Max.* Nempè cogemur mori?
Hoc est, quod opto. Finis hic solus mali est,
Perire posse. *Rom.* Leviùs ut pereas, decet
Curare, genitor. *Max* Sive pereundum est gravi
Martis procellâ, sive pacato freto,
Quid Nate refert? *Rom.* Ne simul tecum trahas
Orbem in ruinam. *Max.* Major est laus cum suis
Perire bello, quàm diu vitam suis
Trahere peremptis.

Rom. Genitor extremas preces
Ne sperne nati. *Max.* Romule extremum malum
Ne posce patris. *Rom.* Vivat ut genitor, rogo.
Max Cum laude liceat emori, genitor rogo.
Rom Cum vita civi est utilis, probrum est mori.
Max. Cùm sola laus est emori, vita est probrum.
Max. Nate, redeamus, nostra quà campum fuga
Vacuavit. *Rom.* Urbem genitor ingressu tuo
Tege perituram.
Max Potius hoc crudo latus
Transadige ferro Nate. Mucronem cape
Feri volentem. *Rom.* Sæva mi genitor jubes,
Quæ nec sub Hæmo Tigrides natæ audeant,
Nec inter antra Caspia effusus leo.
Natura renuit. *Max* Obsequi Patri jubet.
Rom. Justa imperanti. *Max.* Justa, non justa, effici
Patria potestas. *Rom.* Quando non subest scelus
Cùm, quod jubetur, crimen est; nullam suo
Necessitatem patria potestas potest
Nato obsequendi ponere. *Max.* Hoc pater rogat
Patrem volentē perime. *Ro.* Quod possim jube
Natura quod non damnet, aut cœlum improbet
Max, Sum genitor, & sum Cæsar: ut genitor vo(lo
Ut Cæsar impero: totus in pectus patris
Incumbe ferro, & corde funestam excute
Vitam cadentis. *Rom.* Cæsar & Pater jubes
Quod prohibet æther. *Max.* Jussa num cœli ve-
tant
Coli parentem & Cæsarem? *Rom.* Coli jubent:
Perimere prohibent. *Max.* Per Patris nomen.
Rom. Sacrum est.

Max

Max. Per sancta generis vincula.
Rom. Hæc rumpi est nefas. (vovet.
Max Per Nati amorem. *Rom.* Vivere hic Patrem
Max Redeamus ergô, quà calet Martis furor,
Quà fervet ira Flavij, quà orbis ruit.
Quam mihi Tyrannus denegas mortem, pius
Impendet hostis. *Rom.* Siste, venturum Pater
Urgere fatum. Si peris genitor, jube
Tecum perire filium, atque urbem simul.

SCENA OCTAVA.

Constantinus Iunior terrâ urbem oppugnat.

Constantinus Iunior cum exercitu.

Const. I. Urgenda miles gloria est. Partem dedit
Ingente clade fusus hostilis cruor;
Cadaverumque vasta congeries putri
Tabo dehiscens: alteram partem dabit
Subacta Roma. Prosperis quando venit
Secunda Zephyris, insequi fortem decet.
Vicisse pulchrum est: alterâ palmam addere
Palmæ priori, pulchriùs. Dum aliqua super
Pars vivit hostis, semper ingenti potest
Nocere damno, Tempus hoc lauro favet,
Quò Roma trepidat. Hora quod præsens decus
Offert, premendum est: hora posterior rapit,
Quod prima spondet. Miles, huc age vineam
Muris propinquam. Gravior hîc aries premat.
Hinc tela miles jaciat, & muris gravem
Submoveat hostem; machina hinc ignes fre-
quens

Infundat urbi. Gloriam quiſquis petit,
Me, me ſequatur: primus in palmam ruo.

Oppugnatur urbs vineâ, ariete, teſtudine, telis, & ignibus.

1. Cuſt. ex. Huc arma cives, arma denſato impetu.
Mœnibus Superare tentat mœnia hoſtilis furor.
2. Cuſtos. Huc arma cives: hoſtis huc certam trahit (cem
Urbi ruinam. *Conſt. 1.* Sequere præeuntem Du-
Animoſe miles. Laurea in muris viret.

SCENA NONA.

Criſpus urbem claſſe oppugnat.

Criſpus. Artemius, Cuſtos.

Criſp. Conjuncta nondum claſſis algoſas Tibris
Tabulavit undas? *Art.* Tota jam ſpumis natat,
Avidumque pectus gloriæ in pugnas citat.
Criſp. Hinc tela miles, inde flammatos age
Globos in urbem. *Cuſt.* Civis huc vires age.
Criſp. Huc ad virentem lauream miles gradum
Victorem adurge. Turbinis nondum fragor
Reſedit omnis Mœnibus clauſum latet
Aliquid veneni, Flavio quamvis Patri
Jurata Chriſto turba conſtantes manus
Et arma pendat, aliquid eſt tamen mali,
Quod adhuc minatur. Reſtat exiguus labor,
Finis laborum. Prima laus fortis viri eſt,
Amare dura: proxima laborem ſubit
Quæſita palma, Mœnium obſtantes moras

Su-

Superate passu Martio. Hoc tirocinio placet
Decus virentis laureæ, quod non venit
Aut otioso, aut desidi. Somno potens
Esse generosus animus ignorat. Licet
Quiete laurum carpere, aut palmam quæri,
Mavult labore. Pergite: hac Romam via
Calcanda restat. Primus incedo. Cui
Mavortialis bullit in venis cruor,
Avidaque flamma nominis fibras movet,
Me, me sequatur: primus in laurum volo.

SCENA DECIMA.

Maxentius ex æstu prælij fugiens in urbē tendit per pontem, in quo Constantino insidias paraverat; pons collabitur, & ipse cum suis mergitur.

Maxentius. Romulus. Achillas. Miles.

Max. Invisa fata! Numinum invisus furor!
Invisa cœli sidera! invisæ faces,
Quotquot sinistro lumine aspicitis meæ
Sortis ruinam! tuque qui stygijs lates
Sepultus undis Pluto, Avernales Dij,
Deæque & Umbræ Manium invisæ mihi!
Rom. Parce, ô verende genitor, audaci Deos
Lacessere ore. Hoc unicum restat malis
Medium supremis; fortiter sortem ut feras.
Fortuna fortes metuit, imbelles premit.
Max. Fortuna fortes sternit, imbelles levat.

Infundat urbi. Gloriam quisquis petit,
Me, me sequatur: primus in palmam ruo.

Oppugnatur urbs vineâ, ariete, testudine, telis, & ignibus.

1. Cust ex. Huc arma cives, arma densato impetu.
Mœnibus Superare tentat mœnia hostilis furor.
2. Custos. Huc arma cives: hostis huc certam trahit
Urbi ruinam. *Const. I.* Sequere præeuntem Ducem
Animose miles. Laurea in muris viret.

SCENA NONA.

Crispus urbem classe oppugnat.

Crispus. Artemius, Custos.

Crisp. Conjuncta nondum classis algosas Tibris
Tabulavit undas? *Art.* Tota jam spumis natat,
Avidumque pectus gloriæ in pugnas citat.
Crisp. Hinc tela miles, inde flammatos age
Globos in urbem. *Cust.* Civis huc vires age.
Crisp. Huc ad virentem lauream miles gradum
Victorem adsurge. Turbinis nondum fragor
Resedit omnis Mœnibus clausum latet
Aliquid veneni, Flavio quamvis Patri
Jurata Christo turba constantes manus
Et arma pendat, aliquid est tamen mali,
Quod adhuc minatur. Restat exiguus labor,
Finis laborum. Prima laus fortis viri est,
Amare dura: proxima laborem subit
Quærita palma, Mœnium obstantes moras

Su-

Superate passu Martio. Hoc titulo placet
Decus virentis laureæ, quod non venit
Aut otioso, aut desidi. Somno potens
Esse generosus animus ignorat. Licet
Quiete laurum carpere, aut palmam queat,
Mavult labore. Pergite: hàc Romam via
Calcanda restat. Primus inscendo. Cui
Mavortialis bullit in venis cruór,
Avidaque flamma nominis fibras movet,
Me, me sequatur: primus in laurum volo.

SCENA DECIMA.

Maxentius ex æstu prælij fugiens in urbē tendit per pontem, in quo Constantino insidias paraverat; pons collabitur, & ipse cum suis mergitur.

Maxentius. Romulus. Achillas. Miles.

Max. Invisa fata! Numinum invisus furor!
Invisa cœli sidera! invisæ faces,
Quotquot sinistro lumine aspicitis meæ
Sortis ruinam! tuque qui stygijs lates
Sepultus undis Pluto, Avernales Dij,
Deæque & Umbræ Manium invisæ mihi!
Rom. Parce, ô verende genitor, audaci Deos
Lacessere ore. Hoc unicum restat malis
Medium supremis; fortiter sortem ut feras.
Fortuna fortes metuit, imbelles premit.
Max. Fortuna fortes sternit, imbelles levat.

Ach. Leviùs ferentem præterit. *Ma.* Gravius ferit
Ultrò ferentem. *Rom.* Quod grave est, fiet leve
Ferendo sponte. *Max.* Quod grave est, graviùs
facis,
Si non repellis. *Ach.* Frangitur fluctûs rumor,
Si quando scopulum verberat.
Max. Scopulum quoque
Pelagus procellis exedit. *Rom.* Centum fluet
Refluetque fluctus sæculis, nondum cadet
Allisa rupes. *Max.* Sed semel tandem cadet.
Ach. Hîc, Cæsar, ictus primus est. Nunquam so-
Nisi repetito premere fortuna impetu. (let
Max. Cûm vastat omnia impetu primò, nihil
Habet secundus. *Rom.* Hoc habes Cæsar: potes
Servare Romam, Roma te potest tibi
Servare. *Max.* Sera Nate consilia ingeris.
Rom. Sed sana Patri. *Max.* Flavius Romam tenet.
Ach. Pellatur urbe. *Max.* Robur, ut pellas, abest.
Ach. Numerosa turba Civium superest.
Max. Favet
Sed tota Marti Flavij. *Rom.* Affixum trabi
Quæ Christum adorat. *Max.* Patrios fuso Deos
Quæ thure adorat. Desine. Statutum est mori.
Ach. Si sic statutum est, morere: sed memor tuæ
Auguste famæ. Morere, sed fato ut tuo
Semper superîs. Ipsa mors vitæ est lucrum,
Si gloriosè moreris. Huc mentem rape,
Spes undè se victoriæ, aut famæ incitat.
Rom. Ibi quære vitam ponere, ubi lucrum facis
Laudis perennis. *Max.* Nemo laudandus perit,
Qui vincit absq; laude. *Rom.* Quod decoris abest

Vi-

Vitæ anteactæ, sæpè restaurat dies
Mortis supremus. Quis tubæ allapsus canor
Flagellat aures? *Mil.* Flavius in urbem furor
Accelerat iras. *Max.* Ibo, vel Româ premar
Cadente, vel cadens premam. Huc mecum gradum
Per pontis arcum miles: hinc salus patet.
Ach. Fugite: supremus ultor à tergo premit.
Omnes. Heu cruda fata!
Max. Crude, funeste, impie,
Quicunque mundi fata disponas Deus.
Morior. At Orci sulphure accensus, tibi
Semper rebellis, semper infestus traham
In odia cœli Tartarum, atque umbras stygis.

SCENA VNDECIMA.

Crispus & Constantinus Iunior proclamant è mœnibus urbem jam domitam.

Crispus. Constantinus Iunior. Ablavius.

Crisp. Residat ira milites, satis impij
Fusum est cruoris. Roma jam nostris dedit
Collum lupatis. Nemo jam ferrum movet.
Const. I. Nemo resistit: induunt cives jugum,
Frænumque mordent sponte. mutetur furor
Benignitate. Principis primum est decus,
Parcere subactis. *Abl.* Principis primum est decus
Sternere superbos. *Con. I.* Civium chara est salus.
Abl. Non perfidorum. *Const. I.* Perfidi addiscunt fidem.

Abl. Metu coacti. *Con. I.* Mollis attactus feros
Domat leones. *Abl.* Mollior at hostem manus
Reddit ferocem. *Con. I.* Belluas frænat metus;
Benigna Cives gratia. *Abl.* Rebellis parùm
A belluarum moribus distat. Ferant
Rigida lupata belluæ, quibus placent
Mores feroces. *Con. I.* Fræna non diu aspera
Tolerat jugalis. Primus inventor timor
Rebellionum est. *Abl.* Primus extinguit quoque.
Contempta res est, Principis mollis manus.
Con. I. Exosa res est Principis grandis furor.
Parcè bibendus Civium Regi est cruor.
Crisp. Parcite cruori. Displicet miti Patri
Sitis cruoris. *Con. I.* Audio: mollem petis
In urbe frater dexteram. Parce Ablavi
Urgere cædes. Barbarum hoc animum sapit,
Sævire post victoriam. En medium mei,
Frater propinquat. Nostra quo vento volat
Fortuna Crispe? *Crisp.* Quo solet semper Patrii
Jurata, facili. Victus inclinat suas
Consul secures: Tyberi absorptum natat
Corpus tyranni: quisquis adversos tulit
Patri furores, sanguini immersus vomit
Animam putentem: nemo jam ferrum rotat.
Civis parenti supplices tendit manus:
Plebs & Senatus Flavium ad sceptrum vocat.
Con. I. Nihil tonandum restat?
Crisp. Oppressus furor
Martis resedit: sponte subjectus luem
Sibi imminentem populus avertit. *Con. I.* Sapit.
Depone curas miles, & rigido manum

Ferro relaxa: nosque gratemur Patri.
Crisp. Eamus, ægrè læta patiuntur moram
Nuncia: serenum gaudium in plures amat
Prodire, quando plurium est emptum manu.

CHORVS.

Pietas Victrix triumphat, & in partem triumphi evocat Consilium & Industriam.

Pietas, Victoria. Pax. Consilium. Industria. Fama 1. Fama 2.

Vict. Vicit Pietas! Io triumphe!
Ultima Solis, seu nascentis,
Seu morientis domus, audite:
Vicit Pietas! Io triumphe!
Dira impietas rigido terram
Ore momordit, taboque suo
Confusa natat; nunquam posthac
Iterum Ausonias subitura domos.
Vicit Pietas! Io triumphe!
I fama citis provecta Notis:
Tu quà veniens aurora micat,
Tu quà fugiens Sol mergit equos:
Ite, extremis dicite populis,
Vicit Pietas! Io triumphe!
Fam. 1. Vicit Pietas! Io triumphe!
Fam. 2. Vicit Pietas! Io triumphe!
Vtraque Fama. Vicit Pietas! Io triumphe!
Conf. & Indust. Pax jam domito
Pulchra tumultu candida revehat
Sæcula Romæ. Martius ardor

Scelerum posita est: nulla tuorum
Suppliciorum posita est meta.
Cœpisse semel stygio ardere
Igne, est semper sæva incipere
Tormenta pati. Perge æternis
Debite flammis; tua nobiscum
Tormenta subi; moriensque doce;
Quamvis veniat Nemesis clauda,
Sua criminibus tormenta dari.

SCENA SEXTA.

Committitur prælium. Narratur successus.

Achillas Dux. Metellus Consul.

Ach. O vana Regum gloria! ô falsæ spei
Retecta larva! Fuimus! ingentis capax
Materia cladis! Quantus in præceps agit
Excelsa casus! *Met.* Quam mihi tragici canis
Scenam doloris? *Ach.* Occidit Romæ status;
Eversa castra Regis; occumbunt Duces
Totusque miles cernitur: palmæ decus
Et sceptra rursus Flaviam in dextram meant.
Met. Exilit amœno gaudio pectus: tamen
Tegatur ore. Sæva quid tandem paras
Fortuna Romæ? Prome, quis cædis modus,
Seriesque cladis?
Ach. Esse quæ segetis solet,
Cùm gravis ab Arcto grandine Orion fremit;
Et omne latè sternit arvorum decus.
Steterat utrinque miles armatus pari

Vir-

Virtute pectus, spiritu ferrum pari,
Parique amore gloriæ incensus manum.
Senuêre bellum classica; exsurgit fragor
Clamorque campo: mota tempestas coit
Geminæ phalangis, media decrescit via
Inter cohortes; conferunt ferro manus,
Pedemque pes adurget, & scutis sonant
Inflicta scuta; fervor, irarum calor,
Rabiesque totis fulminat campis. Cadunt
Et hinc & indè funera, & mixtus fluit
Hostis utriusque sanguis. Ambiguis diu
Suspensa pennis constitit victoria;
Donec sereno miles effusus polo
Candidus amictu, candidus & equo, viam
Per nostra castra raptus ingentem manu
Rutilante scripsit. Illicò magno impetu
Turbo insecutus Flavij, nostris gelu
Infundit armis. Cadimus; aut victi malo,
Pedem relicto prælio in fugam damus.
Met. Periimus ergò! Certa jam Romæ imminet
Ruina tectis. *Ach.* In tua dextra sedet
Spes omnis urbis. *Met.* Gravius est medio malum.
Ach. Malum supremum remedium extremum
vocat.
Met. Frustrà applicatur, quando vis major mali
est.
Ach. Nil negligendum est, quando vis magna
est mali.
Met. Quis hîc propinqui tollitur Martis fragor?
Ach. Fugiens salutem miles à pedibus petit.
Tu Consul urbi consule. *Met.* O tandem veni

Optate Flavi, & ultimo pressam malo
Exsolve Romam! in Flavio est urbis salus.

SCENA SEPTIMA.

Fugitivus Maxentius desperat. Occidi rogat à Romulo filio, fugam in urbem suadente.

Maxentius. Romulus.

Max. Ignave Caesar! timide pro patria mori!
Quousque inertem spiritum animosa fugâ
Vitae reservas? Militi extremum probrum est
Fugisse campo, & Caesar imbellis fugâ
Quaeris salutem? Repete confusam tui
Militis arenam. Si cadit miles, cadet
Cum laude Caesar: Gloriae magnum est decus
Cadere cadente milite, & stragem suo
Funere gravare. Castra quo pereunt loco,
Illo cadamus. O probrum Regum! fugis?
Et sceptra inultus pateris Augustâ manu
Jubarque fronti deripi? Si quod, mihi
Semper inimica Numina, iratâ manu
Fulmen rotatis, verticem in nostrum, gravi
Librate tonitru. Jupiter, si quis tamen
Vivit sub astris Jupiter, toto increpa
Hoc pectus igne: frontis haec tuo patet
Area furori: fulmina hoc coelo caput.
Mori volenti gratia est mortem brevi
Subire posse funere. Infande, impie,
Crudelis, excors Jupiter mortem negas
Mortem petenti? Repete Maxenti feros
Campi furores; aliquod hic telum vacat

Tuo paratum funeri. *Rom.*Quo,quo Pater
Infauste properas? Flavius campum furor
Omnem cruentâ strage sepelivit. *Max.* Decet
Hic quoque perire Cæsarem *Rom.*Regem decet
Servare sese civibus. *Max* Quando interit
Cum Marte populus, Regis imperium perit.
*Rom.*Pars aliqua superest genitor: hanc serva tui
Regni columnam.
*Max.*Nulla mihi super est; ubi
Miles perivit. *Rom.* Roma supremum patet
Devicto asylum. *Max* Roma? quam nullus tenet
Miles superstes? Roma? qua nulli fides
Est certa civi? *Rom.* Sponte sed regnum truci
Concedis hosti. *Max.*Nempè Victori. *Rom.* Potest
Fortuna vertere aleam. *Max.* Sed non potest
Facere beatum, quem semel tanto malo
Attrivit. *Rom.*Istud genitor extremum cave,
Cumulare gravia gravibus ærumnis mala.
Max Suprema teneo. Nulla majori potest
Fortuna damno furere. *Rom.* Quod summum putas,
Majore adauges. *Max.* Nempè cogemur mori?
Hoc est,quod opto. Finis hic solus mali est,
Perire posse. *Rom.* Leviùs ut pereas,decet
Curare,genitor. *Max* Sive pereundum est gravi
Martis procellâ,sive pacato freto,
Quid Nate refert? *Rom.* Ne simul tecum trahas
Orbem in ruinam. *Max.* Major est laus cum suis
Perire bello,quàm diu vitam suis
Trahere peremptis.

Rom. Genitor extremas preces
Ne sperne nati. *Max.* Romule extremum malum
Ne posce patris. *Rom.* Vivat ut genitor, rogo.
Max. Cum laude liceat emori, genitor rogo.
Rom. Cum vita civi est utilis, probrum est mori.
Max. Cùm sola laus est emori, vita est probrum.
Max. Nate, redeamus, nostra quâ campum fuga
Vacuavit. *Rom.* Urbem genitor ingressu tuo
Tege perituram.
Max. Potius hoc crudo latus
Transadige ferro Nate. Mucronem cape
Feri volentem. *Rom.* Sæva mi genitor jubes,
Quæ nec sub Hæmo Tigrides natæ audeant,
Nec inter antra Caspia effusus leo.
Natura renuit. *Max.* Obsequi Patri jubet.
Rom. Justa imperanti. *Max.* Justa, non justa, efficit
Patria potestas. *Rom.* Quando non subest scelus,
Cùm, quod jubetur, crimen est; nullam suo
Necessitatem patria potestas potest
Nato obsequendi ponere. *Max.* Hoc pater rogat:
Patrem volentē perime. *Ro.* Quod possim jube;
Natura quod non damnet, aut cœlum improbet.
Max. Sum genitor, & sum Cæsar: ut genitor vo-
Ut Cæsar impero: totus in pectus patris (lo:
Incumbe ferro, & corde funestam excute
Vitam cadentis. *Rom.* Cæsar & Pater jubes
Quod prohibet æther. *Max.* Jussa num cœli ve-
tant
Coli parentem & Cæsarem? *Rom.* Coli jubent:
Perimere prohibent. *Max.* Per Patris nomen.
Rom. Sacrum est.

Max

Max. Per sancta generis vincula,
Rom. Hæc rumpi est nefas. (vovet.
Max Per Nati amorem. *Rom.* Vivere hic Patrem
Max Redeamus ergô, quà calet Martis furor,
Quà fervet ira Flavij, quà orbis ruit.
Quam mihi Tyrannus denegas mortem, pius
Impendet hostis. *Rom.* Siste, venturum Pater
Urgere fatum. Si peris genitor, jube
Tecum perire filium, atque urbem simul.

SCENA OCTAVA.

Constantinus Iunior terrâ urbem oppugnat.

Constantinus Iunior cum exercitu.

Const. I. Urgenda miles gloria est. Partem dedit
Ingente clade fusus hostilis cruor;
Cadaverumque vasta congeries putri
Tabo dehiscens: alteram partem dabit
Subacta Roma. Prosperis quando venit
Secunda Zephyris, insequi sortem decet.
Vicisse pulchrum est: alterâ palmam addere
Palmæ priori, pulchriùs. Dum aliqua super
Pars vivit hostis, semper ingenti potest
Nocere damno. Tempus hoc lauro favet,
Quò Roma trepidat. Hora quod præsens decus
Offert, premendum est: hora posterior rapit,
Quod prima spondet. Miles, huc age vineam
Muris propinquam. Gravior hîc aries premat.
Hinc tela miles jaciat, & muris gravem
Submoveat hostem; machina hinc ignes frequens

Infundat urbi. Gloriam quiſquis petit,
Me, me ſequatur: primus in palmam ruo.

Oppugnatur urbs vineâ, ariete, teſtudine, telis, & ignibus.

1. Cuſt ex. Huc arma cives, arma denſato impetu.
Mœnibus Superare tentat mœnia hoſtilis furor.
2. Cuſtos. Huc arma cives: hoſtis huc certam trahit
Urbi ruinam. *Conſt. I.* Sequere præeuntem Ducem
Animoſe miles. Laurea in muris viret.

SCENA NONA.

Criſpus urbem claſſe oppugnat.

Criſpus. Artemius, Cuſtos.

Criſp. Conjuncta nondum claſſis algoſas Tibris
Tabulavit undas? *Art.* Tota jam ſpumis natat,
Avidumque pectus gloriæ in pugnas citat.
Criſp. Hinc tela miles, inde flammatos age
Globos in urbem. *Cuſt.* Civis huc vires age.
Criſp. Huc ad virentem lauream miles gradum
Victorem adurge. Turbinis nondum fragor
Reſedit omnis Mœnibus clauſum latet
Aliquid veneni, Flavio quâmvis Patri
Jurata Chriſto turba conſtantes manus
Et arma pendat, aliquid eſt tamen mali,
Quod adhuc minatur. Reſtat exiguus labor,
Finis laborum. Prima laus fortis viri eſt,
Amare dura: proxima laborem ſubit
Quærenda palma, Murorum obſtantes moras

Su-

Superate passu Martio. Hoc titulo placet
Decus virentis laureæ, quod non venit
Aut otioso, aut desidi. Somno potens
Esse generosus animus ignorat. Licet
Quiete laurum carpere, aut palmam queat,
Mavult labore. Pergite: hàc Romam via
Calcanda restat. Primus inscendo. Cui
Mavortialis bullit in venis cruor,
Avidaque flamma nominis fibras movet,
Me, me sequatur: primus in laurum volo.

SCENA DECIMA.

Maxentius ex æstu prælij fugiens in urbẽ tendit per pontem, in quo Constantino insidias paraverat; pons collabitur, & ipse cum suis mergitur.

Maxentius. Romulus. Achillas. Miles.

Max. Invisa fata! Numinum invisus furor!
Invisa cœli sidera! invisæ faces,
Quotquot sinistro lumine aspicitis meæ
Sortis ruinam! tuque qui stygijs lates
Sepultus undis Pluto, Avernales Dij,
Deæque & Umbræ Manium invisæ mihi!
Rom. Parce, ô verende genitor, audaci Deos
Lacessere ore. Hoc unicum restat malis
Medium supremis; fortiter sortem ut feras.
Fortuna fortes metuit, imbelles premit.
Max. Fortuna fortes sternit, imbelles levat.

Ach. Leviùs ferentem præterit. *Ma.* Gravius ferit
Ul rò ferentem. *Rom.* Quod grave est, fiet leve
Ferendo sponte. *Max.* Quod grave est, graviùs
facis,
Si non repellis. *Ach.* Frangitur fluctûs rumor,
Si quando scopulum verberat.
Max. Scopulum quoque
Pelagus procellis exedit. *Rom.* Centum fluet
Refluetque fluctus sæculis, nondum cadet
Allisa rupes. *Max.* Sed semel tandem cadet.
Ach. Hic, Cæsar, ictus primus est. Nunquam so-
Nisi repetito premere fortuna impetu. (let
Max. Cûm vastat omnia impetu primo, nihil
Habet secundus. *Rom.* Hoc habes Cæsar: potes
Servare Romam, Roma te potest tibi
Servare. *Max.* Sera Nate consilia ingeris.
Rom. Sed sana Patri. *Max* Flavius Romam tenet.
Ach Pellatur urbe. *Max*, Robur, ut pellas, abest.
Ach. Numerosa turba Civium superest.
Max. Favet
Sed tota Marti Flavij. *Rom* Affixum trabi
Quæ Christum adorat. *Max.* Patrios fuso Deos
Quæ thure adorat. Desine. Statutum est mori.
Ach. Si sic statutum est, morere: sed memor tuæ
Auguste famæ. Morere, sed fato ut tuo
Semper superlis. Ipsa mors vitæ est lucrum,
Si gloriosè moreris. Huc mentem rape,
Spes undè se victoriæ, aut famæ incitat.
Rom. Ibi quære vitam ponere, ubi lucrum facis
Laudis perennis. *Max.* Nemo laudandus perit,
Qui vincit absq; laude. *Rom* Quod decoris abest

Vi-

Vitæ anteactæ, ſæpè reſtaurat dies
Mortis ſupremus. Quis tubæ allapſus canor
Flagellat aures? *Mil.* Flavius in urbem furor
Accelerat iras. *Max.* Ibo, vel Româ premar
Cadente, vel cadens premam. Huc mecum gradum
Per pontis arcum miles: hinc ſalus patet.
Ach. Fugite: ſupremus ultor à tergo premit.
Omnes. Heu cruda fata!
Max. Crude, funeſte, impie,
Quiſcunque mundi fata diſponas Deus.
Morior. At Orci ſulphure accenſus, tibi
Semper rebellis, ſemper infeſtus traham
In odia cœli Tartarum, atque umbras ſtygis.

SCENA VNDECIMA.

Criſpus & Conſtantinus Iunior proclamant è mœnibus urbem jam domitam.

Criſpus. Conſtantinus Iunior. Ablavius.

Criſp. Reſidat ira milites, ſatis impij
Fuſum eſt cruoris. Roma jam noſtris dedit
Collum lupatis. Nemo jam ferrum movet.
Conſt. I. Nemo reſiſtit: induunt cives jugum,
Frænumque mordent ſponte. mutetur furor
Benignitate. Principis primum eſt decus,
Parcere ſubactis. *Abl.* Principis primum eſt decus
Sternere ſuperbos. *Con. I.* Civium chara eſt ſalus.
Abl. Non perfidorum. *Conſt. I.* Perfidi addiſcunt fidem.

Abl. Metu coacti. *Con. I.* Mollis attactus feros
Domat leones. *Abl.* Mollior at hostem manus
Reddit ferocem. *Con I.* Belluas frænat metus;
Benigna Cives gratia. *Abl.* Rebellis parùm
A belluarum moribus distat. Ferant
Rigida lupata belluæ, quibus placent
Mores feroces. *Con I.* Fræna non diu aspera
Tolerat jugalis. Primus inventor timor
Rebellionum est. *Abl.* Primus extinguit quoque.
Contempta res est, Principis mollis manus.
Con I Exosa res est Principis grandis furor.
Parcè bibendus Civium Regi est cruor.
Crisp Parcite cruori. Displicet miti Patri
Sitis cruoris. *Con. I.* Audio: mollem petis
In urbe frater dexteram. Parce Ablavi
Urgere cædes. Barbarum hoc animum sapit,
Sævire post victoriam. En medium mei,
Frater propinquat. Nostra quo vento volat
Fortuna Crispe? *Crisp.* Quo solet semper Patri
Jurata, facili. Victus inclinat suas
Consul secures: Tyberi absorptum natat
Corpus tyranni: quisquis adversos tulit
Patri furores, sanguini immersus vomit
Animam putentem: nemo jam ferrum rotat,
Civis parenti supplices tendit manus:
Plebs & Senatus Flavium ad sceptrum vocat.
Con. I. Nihil tonandum restat?
Crisp. Oppressus furor
Martis resedit: sponte subjectus luem
Sibi imminentem populus avertit. *Con. I.* Sapit.
Depone curas miles, & rigido manum
Fer-

Ferro relaxa: noſque gratemur Patri.
Criſp. Eamus, ægrè læta patiuntur moram
Nuncia: ſerenum gaudium in plures amat
Prodire, quando plurium eſt emptum manu.

CHORVS.

Pietas Victrix triumphat, & in partem triumphi evocat Conſilium & Induſtriam.

Pietas. Victoria. Pax. Conſilium. Induſtria.
Fama 1. Fama 2.

Vict. Vicit Pietas! Io triumphe!
Ultima Solis, ſeu naſcentis,
Seu morientis domus, audite:
Vicit Pietas! Io triumphe!
Dira impietas rigido terram
Ore momordit, taboque ſuo
Confuſa natat; nunquam poſthac
Iterum Auſonias ſubitura domos.
Vicit Pietas! Io triumphe!
I fama citis provecta Notis:
Tu quà veniens aurora micat,
Tu quà fugiens Sol mergit equos;
Ite, extremis dicite populis,
Vicit Pietas! Io triumphe!
Fam. 1. Vicit Pietas! Io triumphe!
Fam. 2. Vicit Pietas! Io triumphe!
Vtraque Fama. Vicit Pietas! Io triumphe!
Conſ. & Induſt. Pax jam domito
Pulchra tumultu candida revehat
Sæcula Romæ. Martius ardor

Jacet extinctus, bellique truces
Cecidere minæ. Vicit pietas!
Io triumphe!

Pax. Vicit Pietas! Io triumphe!
Jam grave litui siluit murmur,
Tutior orbi pax restituor!
Antè remotas pulsa in terras,
Nunc tibi reddor Roma quietis
Vecta quadrigis. Illud facilis
Subeo regnum, quo mite tenet
Pietas sceptrum. *Vict.* Vicit Pietas!

Cons. & Indust. Regnat Pietas, Io triumphe!

Piet. Adsum, magni filia cœli,
Risus olympi, mundique salus
Pietas, domito lætior hoste.

Co. In. Pa. Vi. Vicit Pietas! Io triumphe!

Piet. Vicit Pietas! sed *Consilio*
Socio vici; sed & *Industriâ*
Sociâ vici! Vicimus, Io!

Consil. Hæc Pietatis bella fuerunt:
Victrix Pietas sola triumphet.

Piet. Hæc Consilij bella fuerunt,
Bella fuerunt hæc industriæ.
Qui fuit æstûs pars magna mei,
Sit pars etiam magna triumphi.
Metat hic laurum, qui tulit arma.
Utraque vicit, nostras utraque
Scande quadrigas: quæque laborem
Ardua mecum in bella dedistis,
Meritas lætæ carpite lauros.
Hæc virtutem gloria sequitur:

Ut suâ sequitur Delion umbra.

Fa.1. Ultima mundi regna audite.

Fa.2. Ultima mundi regna audite.

Fa.3. Vicit Pietas! io triumphe!

Fa.2. Vicit Pietas! io triumphe!

Fa.1. Oriens audi! vicit Pietas.

Fa.2. Audi occasus! vicit Pietas.

Vtraque. Io triumphe! io! io! io! triumphe!

Omnes. Vicit Pietas! io triumphe!

Victor. Hic ego viridem porrigo laurum,
Ubi consilium suggerit artes,
Martemque calens movet Industriâ,
Jurata tibi milito, Pietas.
Quà te flectis, laurum inclino,
Sic astra jubent: semper Pietas
Unica vincat. Certa ibi palma est,
Ubi Consilio Pietas juncta
Movet arma manu. *Piet.* Vicimus! hoc est
Munus olympi. Certo veniunt
Ordine cœli. bellica palma, &
Pacis olivæ Dicite mecum:
Bellica palma est munus olympi,
Pacis oliva est munus olympi:
Statuente Deo hæc venit, ac illa.

Victo. Bellica palma est munus olympi.

Pax. Pacis oliva est munus olympi.

Pietas. Vicit Pietas, Deus at toto
Orbe triumphet.

Omnes. Vicit Pietas, Deus at toto
Orbe triumphet.

Præmia vincat. *Oper, 2.* Summa rependis
Præmia meritis si, plura velis
Pendere semper. Nunquam merita
Posse æquari, maxima laus est.
Par quoque laus est, semper merita
Æquare pari velle obsequio.
Quod virtuti satis est, etiam
Satis est Flavio; plurima velle,
Cum pauca potest. *Oper.* 4. Vivat Cæsar!
Amor Ausoniæ, gloria Romæ,
Decus Imperii, delicium orbis,
Vivat! vivat Constantinus!
Et prole suâ ventura beet
Sæcula mundi *Oper.* 2. Gloria patris in
Prole superstes, sceptra priora
Cumulet sceptris, regnaque regnis
Antiqua novis. *Oper* 1. Sic vovet orbis,
Sic Roma vovet! post sua vivat
Fata superstes Constantinus,
In prole novos inchoet annos.
Sic Roma vovet! sic vovet orbis.
Omnes, Sic Roma vovet! sic vovet orbis.

**
*

SCENA SECUNDA.

Constantinus triumphans Urbem ingreditur.

Constantinus Imperator. Crispus. Constantinus Iunior. Metellus. Artemius. Ablavius. Valerius. Senatus. Chorus Militum. Chorus Iuventutis.

Ablav. Romulææ flos Juventæ;
Martis ira, Pacis esca,
Præliorum per calores,
Martiosque per rigores
Sæpè ducta, sæpè duros
Passa Circii furores,
Æstuantis & Leonis
Passa fervidos calores;
Impedite nunc recenti
Fronde crines, laureasque
Implicate frontibus.

Valer. Parta palma per labores
Flaviorum in arma venit.
Hac emuntur arte magna:
Laureatas ut reportes
Fronte frondes; per feroces
Martis iras arma misce.
Palma constat sanguine.
Vicimus! sed per labores.
Semen hoc est gloriarum

Aspe-

Asperam subire sortem.
Seminare quem pigebit
Duriora, gloriosos
Nunquam honores demetet.

Artem. Vicimus! sed insolente
Sæpè sorte fulminati.
Palma vitat otiosos,
Diligit laboriosos,
Irrigatur sanguine,
Flavius sic in tyranni
Vectus arma, sortis atræ
Fregit iras, laureamque
Nundinatus sanguine est.

Met. Magne Imperator, Flaviæ augustum decus
Sidusque stirpis, sive tu dici pater,
Sive Imperator postulas; Romæ venis
Utroque charus nomine; & patriæ pater,
Et imperator. Cæsar, imperiis tuis
Habes paratos obsequi Cives: Pater
Civibus amores ingeris. Si quid tuæ
Restitimus iræ, parce: violentus fuit,
Non liber animis impetus. Jugum grave
Egit tyranni in arma, quæ nunquam velit
Sumpsisse Roma: mens tamen semper stetit
Constans amica Flavii. Non est scelus
Quod est coactum. Qua soles, Cæsar, leva
Pietate Romam: fusus ad tuos pedes
Civis veretur aureum Augusti jubar;
Urbisque claves, urbis imperium tuæ
Benignitati cedit. Hoc unum rogat,
Posthac subacta Roma, dicatur tua.

Non

Non postulamus levia. Nam quisquis tuus
Meruit vocari, gloriæ humanæ tenet
Apicem supremum.
Const. Facilis in Romæ preces
Descendo Cæsar. Quisquis annutu Dei
Imperia tractat, æmulus debet Dei
Facilem rogantûm precibus auditum dare.
Rogare verbum est arduum: si post preces
Nil impetretur, pectoris, vulnus grave est
Rogasse frustra. Sanguinis parcus, libens
Audio rogatus Civium; quin, si preces
Non admoveres, facilis è nostro sinu
Venia veniret. Non amo Cives pede
Calcare tumido, non superbifico gradu
Premere innocentes. Barbari Regis reor
Timenda gerere frena, & inviso metu
Terrere Cives. Non amo nostrum latus
Sanguine rubere Civium, aut rigidum manu
Torquere ferrum. Quando me jussit Deus
Terræ imperare Cæsarem, jussit quoque
Animum parentis sumere; & Cives, meam
Amare sobolem. Cæsaris nomen grave est:
Utere parentis nomine, & tutam scies
Ubi salutem. Quas datis claves, mei
Insigne juris, reddo: si voles, potes
His ipsa cordis viscera, atque imos sinus
Aperire mentis. Cæsarem foris vides,
Intus latere patris affectum scies.
Art. Procede pompa.
Chor Iuv. Magna depositi status
Fortuna, Cæsar, publicæ fulcrum rei,

Colu-

Columenque Romæ, quodque vis dici magis,
Pater labantis patriæ, fusa ad tuos
Pedes Juventus Romula, peractum polo
Favente bellum; quas minabatur furor
Cædes repressas, læta gratatur. Tuo
Stetit labore, Roma quod rursus levet
Mœrore frontem, seque jactante erigat
Fluctu doloris Candidæ per te dies
Pacis reductus, Civibus fides, tenor
Felicitatis urbibus Salve Imperî
Nutantis Atlas; Sique Romanos amas
Juvenum calores; cerno quâ dextrâ micant,
Quo spiritu ardent genibus affusæ tuis
Juvenum cohortes. Bella si rursus furor
Incendat hostis, & procellosâ tonet
Mars sævus irâ; stabimus clypeus, tua
Fata vetituri; maximum hoc decus rati,
Servare posse propriâ Augustum nece.

Const. Studia Juventæ, Cæsar, atque animos probo
Patriam tueri sanguine paratos. Vetus
Hæc est Quiritum gloria, aut agere, aut pati
Fortia. Parentum decora succrescens premit
Studiis Juventus paribus; à tenero arduam
Meditatur ungue gloriam, & inertes manus
Exosa, pulchris ausibus mentem applicat.
Juventa, prima ætatis aurora est: dies
Quis sit futurus, prodit auroræ color.
Juventa flos ætatis: in flore emicat
Dulcedo fructus. Ite Romanæ indoles
Generosa pubis, quò patrum virtus trahit

Foe-

Fœcunda laudum, quò Quirinalis vigor
Avida laboris pectora ad famam vocat.
Bene inchoasse, primus est laudis gradus.
Artem. Procede pompa.
Const. Quis chorus nostro obvius
Hic est triumpho? *Crisp.* Saxeo eductus specu est
Romæ senatus, innocens passus grave
Jugum tyranni: gemuit innocuas manus
Pedesque ferro vinctus: hunc turpi situ
Solvi imperavi, & liberam tandem diem
Subire Solis. *Const.* Principis, fili, decus
Assequeris animo. Cæsaris primum reor
Hoc esse punctum, solvere jacentes situ,
Metu timentes, dexteram afflictis dare,
Levare miseros.
Senator. Magna Dardanidûm salus
Invicte Cæsar: quando te cœlum nova
Lauro coronat, illud Augustis decus
Addit triumphis, Civis ut miser tuam
Benignitatem sentiat. Tuos facis
Belli labores; publicum fructum jubes
Manare in omnes.
Constant. Cæsarem, sortis bonæ
Scias ministrum. Principes cœlum vetat
Propriis studere commodis: quin nec sibi
Nascuntur ipsis. Solis exemplum sumus.
Hic lucis aurum publico impendit bono.
Fontem arbitrare Cæsarem. Hic gaudet suas
Undas rogari. Quin pigræ si fors manus
Haurire fugiant, obvias offert aquas

Trepidante rivo.

Metell. Vidimus ſemper bono
Noſtro ſtudentem Cæſarem,& patri parem
In noſtra natum commoda, hæredem patris
Venire prolem: quodque nos unum necat,
Meritis honores quærimus pares, tamen
Nec invenimus. Magna ſic virtus modum
Exceſſit omnem præmii Hoc unum eſt ſuper:
Criſpus in honores patris admiſſus, jubar
Nomenque geſtat Cæſaris,& æquat manu
Factiſque nomen: pariter Auguſtum jube
Natum minorem. *Co.* Tanta vix florens capit
Nomina Juventus.
Metel. Quando jam vaſtum dedit
Fructum ante florem.
Conſtant. Pondus Imperii grave eſt,
Cui ſæpè ceſſit Hercules; cui nunquam Atlas
Satis ferendo eſt. Machina hæc annis gravem
Virum repoſcit. *Met* Quod negant anni decus,
Matura virtus ſupplet. Animoſa indoles
Ad imperandum ſufficit, quando indolem
Conſilia adulta fulciunt,& ſe gravis
Induſtria animis ingerit. Lentâ nimis
Maturitatem conſilî inſequitur rotâ
Ætatis annus. Quod capit virtus, tuæ
Concede proli genitor.
Conſt. Hoc placet decus
Subire nate? *Con. Iun.* Gravius ætate,& meâ
Virtute regnum eſt,
Metel. Tota te Auguſti patris
Virtus coronat: illius mentem induis,

Cujus

Cujus bibisti sanguinem.
Con. Iun. Excedis modum
Metelle laudis Etsi in hæredem fluat
Sanguis parentum, sæpe non virtus meat.
Met. Specimen dedisti, quando non trepidus manum,
Aptasti in arma; quando molitus gradum
Per alta Romæ mænia exemplo tuo
Militem animasti; quando trepidantem ad manum
Bello recenti fervidam, patrio sinu
Complexus Urbem es, Cæsar, hoc Civis petit.
Hoc Roma anhelat; hæc merita nati exigunt;
Meritum coronâ verticem sacrâ indue.
Constant. Quid ad ista Crispe?
Crisp. Cæsar, applausu sequar
Fratris triumphos. Livor in viles cadit.
Ego invidere nescius, nostræ parem
Exopto fratrem gloriæ: quin & meos
Superet honores, merita qui excessit mea.
Const. Quid ad hæc Senatus?
Senat. Et probat, & optat. *Con.* Probat
Et ista miles? *Art.* Gloriæ partem suæ
Hôc censet ipsum.
Const. Quando sic Romæ placet,
Quando hoc probatur militi, & Crispus vovet,
Nihil repugno; Filium hæredem patris,
Nostræ coronam stirpis, ad sceptrum voco.
Tamen priusquam pompa festivis eat
Instructa ludis, Roma disjectos Deos
Erebique monstra proterat, & unam colat
Crit-

Crucem Tonantis, cujus auxilio mihi
Inter procellas animus invictus ftetit.
Reliquus amœno tranfeat plaufu dies.

SCENA TERTIA.

Plaufus Romanæ Iuventutis.

Eft breve regnum fortis amaræ.
Dicite læti. Flavia domuit
Dextra timores. Celerem fæpè
Agit in præceps fortuna rotam.
Non longa tamen concutienti
Deus indulget tempora forti.
Furit in fluctus mare commotum,
Fremit in fulmen polus accenfus;
Abit in tenebras fol Hefperias:
Sed mare rurfus mitigat iras;
Fulmina rurfus polus extinguit;
Rurfufque dies redit Eois
Novus ex undis. Gaudia pereunt,
Gaudia redeunt. Dicite læti
Flavia domuit dextra tyrannum,
Premit ad tempus quodcunque premit,
Nemo, ubi trifti fæva theatro
Fortuna fremit, non reditura
Candida mundo tempora credat.
Abit in luctus, redit in plaufus
Fortuna; cadit, furgitque iterum.
Sic quæ gemitu flevit amaro,
Roma triumpho plaudit amœno.
Dicite læti. Flavia domuit
Dextra tyrannum. Tu quæ flente

Pa-

Patria flebas; nunc quoque patriæ
Plaudente, novis plaude triumphis.
Dulce jocari est, cui fuit ante
Grave torqueri. Satis est. Alius
Redit ex alio plausus. Victor
Constantinus Constantinum
Vocat ad Romæ sceptra Quirinæ,
Huc verte tuas turba choreas.

SCENA QVARTA.

S. Helena cœlitùs intelligit victoriam Constantini, secuturamque brevi Crispi Majoris filii mortem, & pro Constantino imperaturum Constantinum Iuniorem: pòst Imperium ad Germanos transferendum, & demum in Austriacis perennaturum.

B. Virgo. S. Helena. Angeli duo.

S.Hel. O cura Matris nate! quàm Romam diu
Armis fatigas! sæpe mihi fusis tua
Fortuna lachrymis constitit, sæpe & prece
Rogatus æther. Rursus avulsa arbitris
Felicitati Flaviæ pronum voco
In vota olympum. Magne dominator poli,
Qui bella flectis, qui piam causam manu

Foves paterna, cura cui sobolis meæ est,
Hæc meæ peccatis aspice, & fusas pio
Lacrymas natatu. Causa qua bellum trahit
Justitia pietasque est. Tyrannorum premit
Utramque rabies. Utraque ultorem petit.
Utrique Constantinus affulsit pius
Per arma vindex. Facilis ex alto pater
Ades innocenti Cæsari, & gravi incitam
Turbine procellam prælii, in purum diem
Resolve Numen. Quæ polo nubes micat?
B. Virg. Cecidit procellæ fervor, & belli gravis
Repressa flamma est. Filius Romam tenet
Armis Nepotum, Crispus aggressus Tibri,
Minorque Constantinus aggressus solo,
Tenuêre muros: gemina progenies patris
Cum Patre triumphat: Jamque Romanis Jovem
Deturbat aris, Cruxque stat medio foro
Veneranda populis. *S. Hel.* Numen ô verè pium!
Suisque pronum semper, & nunquam diu
Favens tyrannis! Maximi ô Mater Dei
Augusta Virgo, nosse si per te licet
Ventura quondam gloriam nati mei
Aperi & nepotum. *B. Virg.* Flavius primus jubar
Sceptrumque Christo subdet, & Romæ pia
Delubra statuet: jamque se sacro parat
Latici abluendum: jam Sacerdotum impia
Cohors latebras quærit, & totâ ruit
Fugitiva Româ Crispus; ah! Crispus.
S. Hel. Siles?
Sed ipsa vox repressa mihi loquitur satis
Omen sinistrum. *B. V.* Melius hac telâ leges

Ventura quondam, Cœlitum inviolabili
Sancita lege. S. *Hel.* Raperis? O Virgo mali
Averte seriem! Primus intuitus gravi
Acerbat animum vulnere: hic ater color
Color sinistri est ominis:
Angel. Epigraphen lege!
S. H *Brevis rosarum vita.* Quid mœsti canit?
Angel. Vultum intuêre.
S. *Hel.* Crispus est. *Ang* Illum Deus
Ostendit orbi; non dedit. Lethi ultima
Propinquat hora. Fata sic cœli jubent.
S. *Hel.* Quamvis se in altum pectus insinuet dolor,
Sensusque nostri sanguinis; *Novit DEUS,*
Quid faciat. Helenam Numinis jussis decet
Parêre facilem, Tu mihi Crispum Deus
Dederas Nepotem, rursus ego Crispum tibi
Repono genitor, Iste quis blando genas
Illusus ostro, terga cûi subdit leo,
Cûi frons coronâ fulget? *Ang.* Epigraphen lege.
S Hel *Post fata fratris imperat.* Tristem fugat
Hæc scena nubem.
Ang. Frontis augustæ decus
Tuêre. S *Hel.* Constantinus est. *Ang.* Illum Deus
Tot post avorum funera, suorum dedit
Majorum Epitomen: *Consili*, ac *Industria*
Æquè capacem S. *Hel.* Magna, mens spondet gravis,
Industria acris, grande *Consilium*, tenor
Maturus oris, pectus insultu altius
Sortis sinistræ mellei nectar labri,
Ferocientis nescia furoris manus,

Con-

Conſcia fluentûm munerum, *Pietas* Patris,
Iuſtitia Avorum. Flavius totus ſua in
Sobole refuſus. *Ang.* Magna, quæ ſpondet, dabit:
Illo regente ſtertet infuſus pigris
Gradivus armis: alma pax, candor, fides
Orbem reviſet; aurei mores patrum
Themiſque nuper pulſa revocabunt polo
Felicitatis ſceptra.. *S. H.* Quæ ſedet hic Dea,
Alite Tonantis? *An.* Illa, quæ quondam dabit
Mundo obſequendi jura, quæ populos premet,
Germana tellus: illa poſt magnam Ducum
Regumque ductat lineam, Archiduces dabit
Vaſti potentes Imperi. *S. Hel.* Quanam hîc lego
Deam tiarâ fulgidam? *Ang.* Epigraphem lege.
S. Hel. Orbis tenebit ultimum Imperium Auſtria.
An. Hæc illa Nympha eſt, cujus ad genua accidet
Subactus orbis, cujus ad ſacros pedes
Domitus jacebit Boſphorus, cujus gravem
Uterque mundi cardo trepidabit manum.
S. Hel. Quænam iſta ſeries nominum?
Ang. Patent: lege
S. Hel. Rudolphus. *Ang.* Ille Habſpurgicæ gentis
pater
Auguſtus. *S. Hel.* Albertus. *Ang* Triumphator;
patris
Honoris hæres. *S. Hel.* Fridericus.
Ang. Florido
Vultu ſerenus.. *Hel.* Alter Albertus, *Ang.* Cui
Subeſſe mundus geſtiit, cujus caput
Pindus coronâ cinxit, & fronti dedit

 Apollo

Apollo laurum. S. *Hel.* Fridericus. *Angel.* Inclitus
Honore pacis. S. *Hel.* Maximilianus. *Ang.* Novus
Ad sceptra Salomon.
S *Hel.* Carolus Quintus. *Ang.* Cui
Subacta Mauri colla, depressus tumor
Lybiæ calentis, Martis Armenii furor,
Et Gaditani decolor fluctus maris,
Et Belgæ, & Angli, & detriumphati fuga
Cessit tyranni Thraciæ, & quidquid vago
Sinu Amphitrite amplectitur, quidquid dies
Utrinque puro pendulus cœlo videt.
S. *Hel.* Fernandus. *Ang* Æquus, & Pius, cœlo satus
S. *Hel* Maximilianus *An.* Generis humani lepor.
S. *Hel* Rudolphus alter. *An.* Ultimi mundi pavor,
Plenus senatu, Bistonum terror, manus
Victoriarum dextra.
S. *Hel* Matthias. *Angel.* Cui
Mera mella candor indidit, nectar merum
Natura. S. *Hel* Ferdinandus alter. *Ang.* Cœlitum
Pietate fervens. S. *Hel.* Ferdinandus Tertius.
Ang Justus, Piusque Cæsar, & mundi arduum
Fulcrum labantis.
S. *Hel.* Quartus, *Ang* Alemanno breve
Concessus orbi gaudium, Germaniæ
Medulla Amorque Principum, Europæ dolor,
S. *Hel.* Leopoldus: *Angel.* Unus, omnium compendium
Regum priorum: cujus in venas fluit
Omnis parentum gloria; ingenii vigor,
Matu-

Matura sceptris indoles, pectus capax,
Natura fortis, frontis innubis dies,
Animus benignus, aptus in Martem calor,
Et cura Themidis, cura pietatis, sacra
Religio Avorum, Consilî ac Industriæ
Fœcunda vena. *S. Hel.* Nemo consequitur?
Ang. Latent
Hoc involucro plurimi: sed quos dabit
Seris olympus sæculis: nec, si polus
Mihi vera loquitur, Imperi Alemanni jubar
Unquam recedet Austriâ, dum se dies
Cœlo rotabit. *S Hel.* Vivat! ô vivat meus
Post fata gentis Flaviæ, ad solium datus
Leopoldus orbis! sistite in cursum incitos
O astra Soles, serus ut sidus piis
Accedat astris. *Ang.* Annuit votis Deus.

SCENA QVINTA.

Idola jussu Constantini confringuntur, & Crucis effigies veneranda statuitur.

Artemius. Volumnius. Veranius. Metellus. Popa. 1 Popa. 2.

Vol. Succumbe magne Jupiter, nullæ tuo
Stat aræ honori, nullis accensis vapor
Fumat ab acerris. Flavius postquam tenet
Urbem, receptâ Numina fugantur Cruce.
Miles per omnes urbis infrenis vias
Antiqua Romæ decora, Dardanidum Deos
Pede violento proterit. Furias putes,

Aut editas Acheronte Furiarum nurus
Totis volare compitis. *Ver.* Latebras pater
Et antra Soli impervia, & tristes pete
Soli cavernas: crudus insequitur furor,
Et nec ruinis Numinum expletus, tuum
Letho requirit verticem. *Po. 1.* Fuge ô Pater,
Et innocentes conde speluncâ Deos.
Po. 2 Heu! quam malignis fata nos astris agunt!
Instant, sequuntur, fugite. *Art.* Sed nullus fugam
Tibi campus aperit; Caspiæ rupis genus,
Hircana tigris Furiarum & Stygis
Nutrita spumis vipera! ad noctis plagas,
Adoperta tenebris antra damnatum caput
Raptate. Dignus publico arceri est die,
Quisquis sceleribus publicum infestat diem.)
Vol. Verere sacros Numinum Mystas: Dii
Ferro Poparum jura violari vetant.
Art. Vetant? propinqua rupe decisi Dii?
Aut fabricati quercino è trunco? vetant?
Vol. Per astra! *Art.* Quæ tu scelere non uno inquinas.
Vol. Per magna Romæ Numina!
Art. In quorum ultimam
Jurat ruinam Flavius. *Vol.* Per Flavii
Victoriam! *Art.* Victoria hæc nulla est, nisi
Ficta eruantur Numina, & totâ Dii
Fugentur urbe. *Vol.* Cæsaris per clementiam!
Art. Severitatem meritus. Insonti nocet
Quisquis nocenti parcit.
Vol At quodnam scelus
Manum hanc notavit? *Art.* Seculi crimen tui.
Et-

Etiamne quæris? nemo non nocens fugit.
Fuga te nocentem comprobat.
Vol Fugio innocens.
Fugio nocentes. *Art.* Consciæ mentis timor
Fugam imperavit. *Vol.* Quando moriendi pavor
Etiam innocentes occupat. *Art* Nullam probus
Timet ad procellam. *Vol* Nec tamen solus timor
Probat nocentem. *Art.* Conscius quem non premit
Animus, pavere nescit. *Vol* Insontes quoque
Metus flagellat. *Art,* Et probat sontes quoque
Ferro expiatus vindice in Avernum rues.
Vol. Injudicatum perimis. *Art.* Ubi crimen patet,
Frustra est tribunal. *Vol.* Æquitas causam exigit
Art Vindicta justa supplet. *Vol.* Injusta est tamen
Nisi exigatur causa. *Art.* Quid frustra mores
Per verba nectis? Rapite despectum soli
Pestemque Romæ: nullus est precibus locus.

SCENA VLTIMA.

Constantinus Imperator poscente Roma filium suum Constantinum Iuniorem, Cæsarem renunciat.

Constantinus Imperator. Constantinus Iunior. Crispus, Artemius, Ablavius, Senatus.

Con. Victoriarum primus est fructus, Dei
Proferre fasces: alter est populi salus:
Tertius avitæ stirpis & generis honor.

Si Roma primum Numini pendas tibi
Pendam secundum Flavius. Pulso Jove
Marte exulante, Pallade extincta, grege
Fracto Deorum, Tartari oppressa luce,
Simul exulabunt capita vitiorum: Venus,
Calor impudicus, furta, sacrilegi doli,
Ambitio, rixæ Civium, alieno bono
Inhians cupido, propriis numquam satur
Hydrops, tumultus plebis, Impietas, furor,
Et quidquid Acheron lacubus eructat mali.
His faustitatis regna succedent; boni
Sincera vena, cana Majorum fides,
Secula refusa melle, relligio patrum,
Studium tuendi Numinis, justa Themis
Bilance facta ponderans; riguo polus
Fœcundus auro pacis, & nuper solo
Expulsa virtus. Inde qui reducem arceat
Gregem Deorum, quique Pietati semel
Collata sceptra foveat, & vero Deo
Afferat honores Flavius sanguis dabit.
Hoc Roma poscit, Crispus hoc frater vovet,
Hoc genitor ambit, bellica hoc virtus petit
Nati merentis. Filius solus Patris
Romæque votis abnuit. Vel sic tamen
Sceptrum meretur. Nemo regnare aptior,
Quam qui recusat. Ergo quod jubeat bene
Romæ evenire Numen, atque Orbis bono,
Decimusque nostri sanguinis nepos canat,
Postquam molesti ponderis pars in meum
Crispum recumbit, ponderis partem quoque
Natu minoris filii inclino in caput,

Ades

Ades probatum Flaviæ stirpis genus,
Et gemma Patris, robur Herculeum para
Oneri ferendo. At regna ne primo aspice
Obvia colore. Fallit occurrens decor,
Oculisque dum blanditur, internos sinus
Vulnere cruentat: blanda mentitur foris,
Acerba condit. Purpuram, rosam putes,
Non absque spinis. Quo sedent Reges thoro,
Sedent eodem pallor & trepidi metus,
Imperia edaces pectoris curas alunt.
Sic se boni sub fronte dissimulant mala.
Armanda mens est. Levius est illi jubar,
Cui corda virtus munit. *Con. Iu.* Hoc scuto pater
Armabo pectus. Nemo non fauste regit,
Virtute quisquis Imperi molem rotat.
Crispus. Virtutis expers Cæsar, est miles sine
Armis: nec hostes Imperi avertit satis,
Nec se tuetur; nec suos frenat satis.
Unum regendis civibus frenum grave est,
Virtus regentis. *C. I.* Mentis ingenuæ sinu
Reposta monita Patris, ac fratris geram.
Con. Hinc augurari Romulæ genti licet
Secunda semper regna, & innubes dies.
Hæc nate in humeros Regios chlamys fluat.
Ut ista Regem purpura involvit sinu,
Sic te tenere clausa consilia decet.
Arcana regni nesciat vulgus. Perit
Vigor imperandi, quando quod decuit tegi,
In vulgus exit. *Crisp.* Illa suspicimus magis,
Quæ non videmus. Perditur cultus rei,
Quæ tota patuit. Sic Deus quanto magis

Latet, magis honoratur. *C I.* Haud frustra
Natura cor reposuit abstruso sinu:
Consilia clausa Cæsarem faciunt suo
Populo verendum. *Con* Capitis augustum jubar
Frontem coronet. Cæsares servi sumus
Capite ligati: quodque spectandos facit
Diadema mundo, vinculo adstringit caput,
Ne quod libet, licere credamus. *Co I.* Miser
Rex est, agenda quisquis â libitu suo
Metitur. Illa velle ego tantum velim,
Quæ velle honestum est. *Cri.* Imperi augusti salus
Hac lege stabit. Nemo non eadem volet,
Cum volet honesta Cæsar *Co* Hunc mundi glo-(bum
Accipe gerendum. Dividit tecum suas
Curas Olympus. Sic rege, ut decet Dei
Vices gerentem. *Co.* Facilis ad motum globus
Forti tenendus est manu: impulsu levi
Perdit quietem. *C. I.* Quamdiu hac stabit manu,
Illud illudebo semper, ut constet suâ
Firmus quiete. Maximum Imperii bonum
Reor quietem *Co,* Turbine ut nullo quies
Turbetur Orbis, addo, quam nunquam tulit,
Crucem inquieto. Flecte quam in partem voles;
Crux eminebit semper. Huc verte: huc rota
Deprime resurget. *Cr.* Nēpe qui fidit cruci
Major procellis exstat, & nullo valet
Furore fortis opprimi. *Const* Sceptrum cruci
Adjungo. Mundi sceptra fundantur cruce.
Cri. Regnat beatè, quisquis imperium basi
Istâ locarit. *Co. Iu* Primus augustus Pater
Imperia fundas in cruce; secundus, Patris

Ima-

Imago Crispus, tertius pariter volo
Sic stare sceptra: Fratris exemplum & Patris,
Lex mihi regendi est C. Hinc pius manat rigor
Rigidaque Pietas. Dura nec nimium volo,
Nec blanda nimium sceptra: contemptum facis
Nimia facilitas Cæsarem, exosum timor.
Crisp. Multos timebit ille, quem multi timent.
Con. Ferro marita dexteram, Hoc forti tuos
Tuêre Cives: quodque me decet magis
Hodie precari, splendeat semper bonæ
Fulgore pacis ensis, & fugiat gravi
Sævire cæde, si tamen læsus Deus,
Aut læsa jubeat æquitas, forti tibi
Manu est tonandum. *Cri.* Sceptra defendit Deus,
Quæ vulnerari scelere non sinunt Deum.
Conservat idem regna, quæ forti Themin
Manu tuentur. *Con. I.* Fulminis legem meo
Præscribo ferro: parcit innocuis; face
Cremat nocentes. *Con.* Regio Augustum sub
Pulvinar ostro, ut inde specteris tuis,
Tuosque spectes. *Crisp.* Celsior quisquis loco est
Animo eminere studeat. Hoc magnum facit,
Quod plebis undis eximit. *Co. I.* Vilis jocus
Est Imperator, quando non populo altior
Mens est regentis: vilis est jocus quoque
Sublimitatem gloriæ non si pari
Virtute fulcit. Edito sic me loco
Sistam videndum, ut populus in nato Patrem
Videat regentem. Maximum hoc decus reor,
Exempla regere Patris; & vivum meis
Servare meritis. *Co.* Nate, sic mundum rege

Pietate Patris, atque *Iustitia*, tuâ
Industria, atque lege *Consilii*. Has tibi
Adjunge Comites, sive commoto fremat
Fortuna Marte; sive pacato meet
Pax almâ regno. Nemo non felix regit,
Qui jura lege *Consili* atque *Industria*
Decernit Orbi. Stringe complexu Patrem.

C.I. Ut ipsa Patris viscera, atque ipsum imp
mam
Mihi parentem, Patris exemplum sat est,
Ut quos reduxit gemmeos orbi dies;
Illi meatu perpeti semper fluant.

Con. Exacta pompa est. Sic Deus iniquos prem
Probos secundat. Nullus invito Deo
Scelerata longum in tempus Imperia trahit,
Nulli secunda sceptra non pietas facit.

Me. Si quis beatos Flaviæ genti dies,
Aut toqtte cusas ire olympiades vovet;
Istam sereno gaudio impendat diem,
Plausuque lucem transigat, noctem jocis.

Ad majorem DEI gloriam.

FIDES CONIUGALIS,

SIVE

ANSBERTA,

SUI CONIUGIS

BERTULPHI

E DURA CAPTIVITATE
LIBERATRIX.

ARGUMENTUM.

Bertulfus è Germania Princeps, in terram sanctam peregrinus Conjugem suam Ansbertam Ministris commendat. Peregrinus à Barbaris in captivitatem trahitur. Ærumnas suas è carcere ad Ansbertam perscribit: illa simulatam adventûs sui excusationem reponit: mutato tamen habitu, & fidicinem mentita se mari committit, & feliciter ad locum appellit, quo vinctus tenebatur Bertulfus.

Hic incipit Poësis.

Musica nomine insinuat se in aulam Tyranni; adsciscitur in Ephœbum; *arte sua lucratur Regis gratiam, & impetrat sibi Bertulfum donari. Nacta fugiendi occasionem, eripit se suumq; Bertulfum ulteriore periculo. Dum Bertulfus Ansberta sua, sed sub virili habitu sibi ignota, contra Ansbertam de fide non servata queritur, agnoscit tandem eam ipsam esse Ansbertam conjugem suam. Hinc quæ gaudia? qui affectus?* Biderm. lib. 2. Acroam. 2.

Data Viennæ August. Imperat. LEOPOLDO & MARGARITÆ, Ludis Nuptialibus, Anno 1667.

FABV-

FABVLAM *sic contexit Poëta.*

PROLOGVS.

Duo Amantes à Vulcano conflari petunt. Remittuntur ad Fidem Conjugalem. Hæc ex annulis à choro Amorum cœlitùs allatis molitur catenam. Interturbat laborem Discordia cum Furoribus. E media lucta Amorum chorus in auras evadit: Amantium alter captivus abstrahitur.

Vulcanus. Duo Amantes. Fides Conjugalis. Discordia.

Duo Amant. VUlcane! Amamus. Hinc satis
Tibi vota nostra con- (stant.
Amoris eloquentia (est:
Hoc toto clausa verbo
Amamus, Alto pectore
Sentire plura possum,
Non plura verbis eloqui.
Vulcane! nos amamus.

Vulc. Quæ vota sunt amantium!
Quæ postulata? *Duo A.* Amamus.

Vulc. Quid inde? quid me poscitis?

Duo A. Duo corda sunt cor unum!
Affectus unus; una mens
Amantium est duorum.

Fac & duorum amantium
Duo corda sint cor unum.

Vulc. Hoc majus est negotium,
Nostramque vincit artem.

Duo A. Tu fracta ferri fragmina
In integrum reponis;
Quid bina corda jungere
Amantium vetabit?

Vulc. Amoris hoc est mutui,
Fideique conjugalis.

Duo A. Amamus, & nos mutuis
Affectibus ligamus:
Sed bina nondum corda sunt
Unita cor in unum.

Vulc. Jam diximus: non possumus:
Aliena ab arte poscis.
Hoc Conjugali à Numine
Negotium petendum est.

Duo A. Dij Conjugales! jungite
O Dij duos amantes.
Amamus. O quis vinculet
Duos in unum Amantes!

Vulc. En, Conjugale huc advolat
In vestra vota Numen.
Huc lacrymas convertite:
Hoc Numen invocate.
Ego hinc recedo.
Tibi annuentibus,
Tibi faventibus
Amoribus,
Favoribus

Lo-

Locum concedo.

Duo A. Fides! amamus! ô Dea!
O cordium catena!

Fid. Quæ sunt preces amantium?
Quæ vox lacrymarum?

Duo A. Amamus! *Fid.* Hoc & lumina,
Et lacrymæ loquuntur.

Duo A. Amamus Unum; poscimus
In cor duo migrare.

Fid. Ego catenas moliar,
Queî corda vinculentur.
Huc Hymen, focum instrue:
Huc annulos Amores.
Quæ bina stringat pectora,
Catena fabricanda est.

Duo A. Commissione Amorum
Unum cor est duorum.
Affectuum communio
Est ipsa cordium unio.
Huc annulos Amores,
Eamus in labores:
Ut hoc fluat divortium
Amoris in consortium.
Huc annulos Amores,
Eamus in labores,

Omn. O confluat catena,
Amœna
Cordis voluptas!
Quæ bina corda nexu,
Et mutuo reflexu
Connectat.

Constringat,
Complectat,
Compingat.
Duo A. Dum in me moriar,
In te exoriare.
Hæc est beata vita,
Tot lacrymis petita:
Sese amare,
Cor conflare,
Se complecti,
Duo connecti.
Disc. Ego Discordia
Ira, furore,
Suspecto amore
Scindo præcordia
Quid hîc laboris?
Fid. Quod est amoris.
Disc. Mihi est dolori.
Fid. Mihi est honori:
Amoris est catena.
Disc. Sunt pectorum venena.
Ego confringam.
Fid. Ego compingam.
Disc. Ego difflabo.
Fid. Ego conflabo.
Disc. Huc huc Furores.
Fid. Huc huc Amores.
Disc. Instate.
Fid. Obstate.
Disc. Vastate, truncate.
Fid. Arcete, terrete.

Disc. Raptate, mactate.
Fid. Urgete, delete.
Disc. Urgete furores,
Densate fragores.
Haurite cruores:
Nostra sit victoria,
Victoriæque gloria.
Fid. Leves volate Amores.
Disc. Leves ligate Amores.
Amans. Heu! præda barbarorum
Captius. Relinquimur furorum!
Ut tela jacta,
Sic fuga facta.
Fugêre Amores,
Restant dolores.
Heu! præda barbarorum
Relinquimur furorum!
Disc. Antra, carceres, catenæ,
Funus, igniumque pœnæ
Te cingent,
Te stringent,
Te dejicient,
Te conficient,
Antra, carceres, catenæ.
Disc. Sunt minores | labe pœnæ,
Amans. Sunt majores |

* *
*

SCE-

ACTUS I.

SCENA PRIMA.

Bertulfus in carcere relegit Ansbertæ litteras, seque ab ea desertum lamentatur.

Bertulfus solus.

HOc est amare? caute Rhodopæâ magis,
Et inhospitali Caucaso durus rigor!
Fidei mulieris crede, qui falli voles.
Si verba tigris, verba si immitis leo
Nostra audijsset, pectore innatus furor
Cecidisset omnis, perque mollitas fibras
Pietas ijsset. Jura sic servas thori
Ansberta? sic tu conjugi conjux ades?
Hoc est amare? Scripsimus, quæ nos tegat
Spelunca nocte; quis catenarum rigor
Involvat artus; quanta tempestas sonet
In terga flagris, quanta me esuries premat,
Macieque adesoquantus incumbat labor;
Et duriorem morte mihi vitam trahi.
Et precibus actum est: Quod potes, conjux, rogo,
Per quidquid astris, quidquid est charum solo,
Per illum amorem, quem maritalis thori
Fides spopondit, quem recedenti mihi es
Testata lacrymis, Conjugi auxilio veni.

In

In te recumbit vita Bertu'fi tui.
Innata quædam fœminæ illecebra est, feros
Ut rumpat animos lacrymâ, aut blandâ prece.
Ansberta, si non falsa mentiti dabas
Indicia amoris, conjugi auxilio veni.
Quid impetratum est? *Quantus incessat dolor*
Amantis animum, penna conceptus nequit
Signare verbis. Atra mihi Lachesis prius
Vita scidisset fila, quàm lacrymabilem
Tua, amate conjux, sortis acciperem statum.
Venire properè mens fuit, teq; è tuis
Solvere catenis; colla vel tecum pares
Dare in catenas. Hactenus amorem putes:
Sed qualis esse fœminæ instabilis solet;
Qui multa spondet, pauca in effectum trahit.
Sed parce conjux: ista meditantem vetant
Abire amici; certa, quæ castus pudor
Pericla adiret; sexus imbellis, res
Impar petita robur. At veniet tamen,
Veniet levamen aliquod extremis malis.
Infida mulier! nempè sic ludis virum?
Spirant amorem verba, quem factis tamen
Probare renuis. *Qualis adversa impetum*
Semper tulisti sortis, & nunquam tibi
Ipse excidisti; talis instantem quoque
Molem malorum perfer. Hoc unum est super,
Cùm spes adempta est omnis, & nusquam patet
Auxilia, firmo stare rationis jugo. (opes,
Bertulfe! quid non perditum est? Domus &
Patria, & potestas Principis; quodque unicum
Erat levamen ultimum, uxoris fides

Amor-

Amorque perijt. Quidquid est reliquum super,
Bertulfus ipse es, vinctus, afflictus, miser,
Tuique tenuis umbra. Quid de te queas
Sperare, statue; quando nil superest, nisi
Miserè perire. Fœminæ ò fallax fides!
Quot illa scopulos mente, quot fluctus habet!

Scena Secunda.

Ansberta appropinquat portui: mutat habitum & nomen: praoccupat musicâ Barbarorum animos.

Ansberta. Brunellus.

Ansb. Hìc sunt potentis Regiæ inamœni lares
Simul & amœni; scena mœroris mei,
Et scena amoris. Deme, quod reliquum est stolæ
Muliebris: ille, qui procellosum impulit
Sulcare pelagus, quique me huc retulit amor,
Virum reposcit. Sparge resolutam comam
Decente luxu. Martio ferro latus
Accinge. nube plumeâ crinem tege.
Schemate sub isto tutior prodit pudor.
Qualem virili fœminam ornatu vides?
Brun. Ansberta es ipsa.
Ansb Fateor, hæc semper velim
Esse: at videri non velim. Ingenuus honor
Periclitatur Barbaros inter, mei
Si quod vel oris forma, vel frontis color,
Vel tractus humeri, aut gestus indicium facit.
Brun. Ansberta es ipsa; nec tamen quidquam tu

Pro

Prodit serenæ frontis illustris tenor.
Ansb. Sic est latendum. Cauta, quâ possem capi,
Capiam tyrannum. *Brun.* Domina, quod nomen geres?
Ansb. Quod convenire tempori, & loco putas?
Brun. Non aliud esse dignius tantâ potest
Virtute, quàm quod hactenus fuerat tuum. (gis?
Ansb. Ansberta? quo me proderem indicio magis?
Brun. Quodcunque nomen barbaro ignotum est.
Ansb. Meo
Sed non amori. *Brun.* Quem tamen quæris. *Ansb.* Volo (Volo.
Et hunc latere. *Brun.* Ansberta Bertulfum? *Ans.*
Brun. Quid ergò tantos Nerei emensa es sinus,
Si vis latere? melius hoc absens potes.
Ansb. Et esse præsens gaudeo, & pariter amo
Absens videri. *Brun.* Nempè non felix diu
Vis esse, felix esse cùm possis citò.
Ansb. Felicitatis portio magna est amor.
Brun. Amare, grande mentis est vulnus, nisi
Amor ab amato redeat in amantem. Integram
Felicitatem non tenes, nisi sic ames,
Simul ut ameris. Tecta sed quamdiû lates,
Non potes amari.
Ansb. Quam negat præsens dies
Felicitatem, fœnore ingenti sequens
Dies rependit. Nebula, quæ ad modicum tegit,
Cùm dissipata fuerit, innocuum diem
Sereniore luce recludet. Volo
Horâ ut latenti serviat, at horâ alterâ
Amâsse noscar. *Brun.* Ergò si mens est, piâ

Te-

Amorque perijt. Quidquid est reliquum super,
Bertulfus ipse es, vinctus, afflictus, miser,
Tuique tenuis umbra. Quid de te queas
Sperare, statue; quando nil superest, nisi
Miserè perire. Fœminæ ò fallax fides!
Quot illa scopulos mente, quot fluctus habet!

Scena Secunda.

Ansberta appropinquat portui: mutat habitum & nomen: praeoccupat musicâ Barbarorum animos.

Ansberta. Brunellus.

Ansb. Hìc sunt potentis Regiæ inamœni lares
Simul & amœni; scena mœroris mei,
Et scena amoris. Deme, quod reliquum est stolæ
Muliebris: ille, qui procellosum impulit
Sulcare pelagus, quique me huc retulit amor,
Virum reposcit. Sparge resolutam comam
Decente luxu. Martio ferro latus
Accinge. nube plumeâ crinem tege.
Schemate sub isto tutior prodit pudor.
Qualem virili fœminam ornatu vides?
Brun. Ansberta es ipsa.
Ansb Fateor, hæc semper velim
Esse: at videri non velim Ingenuus honor
Periclitatur Barbaros inter, mei
Si quod vel oris forma, vel frontis color,
Vel tractus humeri, aut gestus indicium facit.
Brun. Ansberta es ipsa; nec tamen quidquam tui

Pro-

Prodit serenæ frontis illustris tenor.
Ansb. Sic est latendum. Cauta, quâ possem capi,
Capiam tyrannum. *Brun.* Domina, quod nomen geres?
Ansb. Quod convenire tempori, & loco putas?
Brun. Non aliud esse dignius tantâ potest
Virtute, quàm quod hactenus fuerat tuum. (gis?
Ansb. Ansberta? quo me proderem indicio magis?
Brun. Quodcunque nomen barbaro ignotum est.
Ansb. Meo
Sed non amori. *Brun.* Quem tamen quæris. *Ansb.*
Volo (Volo.
Et hunc latere. *Brun.* Ansberta Bertulfum? *Ans.*
Brun. Quid ergò tantos Nerei emensa es sinus,
Si vis latere? melius hoc absens potes.
Ansb. Et esse præsens gaudeo, & pariter amo
Absens videri. *Brun.* Nempè non felix diu
Vis esse, felix esse cùm possis citò.
Ansb. Felicitatis portio magna est amor.
Brun. Amare, grande mentis est vulnus, nisi
Amor ab amato redeat in amantem. Integram
Felicitatem non tenes, nisi sic ames,
Simul ut ameris. Tecta sed quamdiû lates,
Non potes amari.
Ansb. Quam negat præsens dies
Felicitatem, fœnore ingenti sequens
Dies rependit. Nebula, quæ ad modicum tegit,
Cùm dissipata fuerit, innocuum diem
Sereniore luce recludet. Volo
Horâ ut latenti serviat, at horâ alterâ
Amâsse noscar. *Brun.* Ergò si mens est, piâ

Tenere amantem fraude, securè potes
Videri Ephœbus. Frontis ut tectum est jubar,
Sic nomen ipsum contege: ut forma est tua,
Peregrina quamvis esse credatur, tuum
Sic esse nomen suadeo, atque aliud tamen.
Ansb. Non sic, ut ora, fallere & nomen potest.
Brun. Anagramma finge: nomen invenies idem
Aliudque. *Ansb.* Finge.
Brun. Ansberta: Bartenas. *Ansb.* Placet.
Sic me vocabis. Patriam, sexum, genus,
Nomen mariti, nomen Ansbertæ cave
Pronunciare. *Brun.* Teneo, Bartenas, tua
Mandata. *Ansb.* Mundus iste muliebris, cy-
clas,
Armilla, peplum, lunulæ, tricæ ferâ
Fide occulantur: veniet illecebræ sua
Hora retegendæ. Da chelym, & plectrum in
manus:
Cicurare melle barbaram gentem placet.
Tu stamina ungue, voce tu auras increpa,
Et saxa quondam fidibus, & rabidæ tigres
Cessere: in animos Musica imperium gerit.
O læta sors!
Elusa mors,
Ira maris Æolique.
Et strata vis,
Dirempta lis
Navisque Nereique,
Nunc unda nos
Quieta in os
Portûs agit patentis.

S

Serena pax,
Tranquilla fax
Renidet ore gentis.
Salvete flos,
Primusque ros
Amabilis juventæ.
Tu nostra spes,
Quod quæro, des,
Amabilis Juventa.

Scena Tertia.

Ansberta in portum admittitur: ad cujus melos Barbari in choreas aguntur.

Barbari. Ansberta. Custos portûs.

Barb. 1. Quæ gratia aures mulcet?
Barb. 2. O nunquam prius
Audita mundo suavitas! *Ansb.* Portum licet
Subire amici? *Cust. P.* Parte qua mundi venis?
Ans. Glacialis ursæ. *Cust* Causa quæ suasit viam?
Ansb Loci videndi mira, quæ totum canit
Didita per orbem fama.
Cust. Quod nomen tibi est?
Qua stirpe natus? unde deducis genus?
Ansb. Bartenam amici nuncupant. Sanguis meus
Nec plebe ab ima ductus est; sed nec patre
Avoque Rege. *Cust* Quas opes tecum vehis?
Ansb. Quæ sunt necessitatis, & tenui capit
Hæc arca gremio, Maximæ sed sunt opes

Plectrum fidesque. Si qua spes animos alit,
Hinc mihi petenda est. *Cust.* Fila pertenta: audiã
Quid arte possis. Orpheum credam suo
Redisse tumulo.
Bub. 2 Jam mihi faciles salit
Pes in choreas. *Cust.* Quisquis es, placeat levi
Servire turbæ, dum choros miscet
Ansb. Placet.
Quod arte possum, gratiæ pono in locum
Vobis probâsse. Pergat in choreas chorus.

Saltus Barbarorum.

Cust. Satis est: fruemur sæpius gratâ vice.
Jam licet apertos ingredi portûs sinus.

SCENA QUARTA.

Florillus Regis Ephœbus occultè Catholicus barbaram detestatur crudelitatem: optat sortem animæ suæ meliorem.

Florillus solus.

Rex in propinquo est. Scena reseratur jocis.
Joci vocantur; meliùs immanem leæ
Crudelitatem nomines. Quidquid vocant
Ludum tyranni; vulnera, & fusus cruor
Sunt innocentûm. Quando se tandem mea
In vota cœlo melior evolvet dies!
Ter Phœbus igne baltheum emensus poli
Obivit, ex quo barbarum collo jugum
Fero innocente. quodque miserandum est magis
Sit tuta quamvis vita, non tuta est fides,

Cum lacte primo combibi Christi fidem:
Sed quò, sinistrà sorte jactatus, fluo?
Sum, quà patentis expl co frontis jubar,
Utcunque felix: tortor interiùs agit
Cruciatque mentem. Patria erepta est, Deus,
Pietatis ignis cinere tumulatus latet:
Pereat necesse est: quando fomentum negat
Hæc aula flammæ Numen, hanc sortem meam
Vides ab alto! Si tibi curæ est tuus
Florillus, aperi candidæ rimam spei.

SCENA QUINTA.

Ansberta intelligit luctatures jussu Regis cum feris captivos. panes coëmi jubet, exploratura, an eos sinatur in captivos distribuere.

Ansberta Brunellus.

Ansb. Audio sonantes compedes! quò se trahet
Captiva turba? *Brun.* Fama fert stratam feris
Patere arenam Regio jussu, quibus
Captiva turba prælium indi at. *Ansb.* Meus
Bertulfus etiam conferet bello manus?
Brun. A nesciente quæris.
Ansb. O mentis trucis
Crudelis æstus! sanguinem innocuum dare
Feris vorandum. Cœlites! si vos piæ
Lacrymæ, precesque & vota Bartenæ movent,
Servate vivum mortis in arena mei.

Animi levamen. *Brun.* Proprior auditur sonus
Ferri rigentis. *Ansb.* Proprior & mentem subit
Amor, dolorque. Dubito, quo sævum feram
Spectaculum animo.
Brun Ferre quo pietas solet,
Et spes sequentis fortis. *Ansb.* Experiar priùs,
Quid fraude possim: Frusta num Cereris fami
Suggerere liceat. I citò, panes eme
Brunelle. Flagris terga concussis sonant.
O misera turba victima furoris, licet
Nullo impiata scelere! si vitam tamen
Referas arenâ, durior vita est nece.

SCENA SEXTA.

Ansberta distribuit captivis transeuntibus panes: viso Bertulfo animo liquitur: sibi reddita simulat se captivorum ærumnis tactam defecisse.

Præfectus Prætorij. Ansberta. Bertulfus.

Præf. Pr. Pergite scelesta capita, quô ludi vocant
Feræque rabido dente spirantem famem.
Ansb. Licetne modicâ Cerere solari reos.
Præf Licet: immerenti porrigas quamvis choro.
Ansb. Amica capita! *Præf.* Tu scelera amicos vocas?
Ansb. Parce tenero animo, mite qui verbum meo
Dictavit ori. *Præf.* Stolide, quid trepidas? manum
Subjice cadenti.

Ansb

Ansb. Heu dolor! sine me mori. (Aquâ
Beri. In ore pallor, frigus in membris. *Brun.*
Perfunde frontem. *Bert.* Vultui color redit,
Calorque membris. *Ansb.* Acrior ferro sonat
Vox hæc in aures.
Praef. At quid exemptum tibi (hi
Revulsit animum? *Ansb* Parce: non unquam mi-
Tam dira species visa. Nam quot hic putas
Natos vetusto sanguine, & clarâ patrum
Venire stirpe; quos & illuvie, & situ
Obscurat antrum carceris. Quot sunt, quibus
Opulenta ab auro steterat in patria domus,
Quos nunc egestas nudat? Hunc vultus docet
Non humilis esse sortis. Hunc oris decor,
Lineaque frontis monstrat assuetum dape
Meliore pasci: pœdor at nunc & fames
Absumit artus, aliquid & pejus fame.
Praef. Dura patiendo pectus assuescit pati.
Ansb. Felicitatis pristinæ nunquam excidit
Omnis memoria. Cogitent, matres, patres,
Fratres, sorores, conjuges fortè & suas
Numerare spatia temporis lapsi, & moras
Voto increpare: quis animum tanget dolor!
Quis lancinabit pectora affectus! mihi
Hæc cogitanti spiritum eripuit dolor.
Praef. Assuetus oculus mollibus tristem pavet
Spectare Scenam. *Ansb.* Visa si tantum potest
Scena hæc dolorem parere, quid faciet, cui
Persona agenda est?
Praef. Desine; morarum est satis.
Vos in theatrum pergite, & vestræ neci

Præludite armis. Fortè si stratus leo,
Ursusve victis indolem, & robur probet,
Vos eximetis lege promeritæ necis.

SCENA SEPTIMA.

Ansberta, ubi etiam Bertulfum ad luctam cum feris deduci advertit, dubitat, an adesse se spectaculo conveniat: adesse tamen decernit.

Ansberta. Brunellus.

Ansb. Brunelle, quo me credis affectu rapi?
Brun Quo solet amans. *Ansb.* Vel quo dolens.
Brun. Amor magis
Te torquet. *Ansb* Inde sed meus crescit dolor.
Brun. Si non amares, mitius mentem dolor
Feriret. Unâ lege procedunt amor,
Dolorque. Quidquid vulnerum infligit dolor,
Armis amoris perficit. Inermis dolor
Est, nisi amor armet.
Ansb Sentio: quidquid mihi
Laniat medullas, est amor. sed quid juvat
Dolere tantum? pectore infracto, & manu
Res est agenda. Finge Bertulfum necis
Stare in theatro: finge laniari à feris,
Et jam fluente sanguine ardentem sitim
Explere tigridis: fronte quâ cernes mori?
Sed adhuc theatro finge luctantem; modò
Feras fugantem; moxque cedentem feris;

Vi-

Victoriamque hærere suspensam, cui
Palmam resignet: quanta spes corda eriget?
Sed quantus eadem corda prosternet metus?
In pectore uno bella discordes agent,
Sensus, ratio, amor, & dolor, spes & timor.
Brunelle, quid agam? Prælio an tragico decet
Adesse. *Brun.* Poteris ferre feritatem loci?
Ansb. Obdurui sse videor. *Brun.* At sensus solet
Redire. *Ansb.* Ratio diriget.
Brun. Quando est potens
Affectus animi, facilè rationem opprimit.
Ansb. Minus lacessit corda meditatum malum.
Brun. Inopina sese sæpè meditato ingerunt.
Ans. Nihil inopinum est, quãdo præcipio omnia.
Brun. Quæ cogitamus, pectus afficiunt minus,
Quàm quæ videmus. *Ansb.* Muniunt animum tamen,
Dum cogitamus. Adero; vel spes ut meas
Firmem, dolores ipsa vel plangem meos.

SCENA OCTAVA.

Editur spectaculum lucta captivorum cum feris. Virtus Bertulfi dilaudatur.

Rex. Ansberta.

Hoc ad triumphos adjici hodiernos decet,
Ut pascat oculos scena lætitiæ Rei
Subeant arenam. Sive victores ferant
Palmam ex arena; sive devicti cadant,
Utroque nostros gaudia in plausus dabunt.

Armate ferro dexteras. Si quis feram
Vel perimat hastâ, vel agat in timidam fugam,
Servata vitâ prælij merces erit.
Ans. An etiam amata pulchra libertas? *Rex.* Quis hic
Clamore vetito turbat orchestram? Jube
Silere populum, quando Rex loquitur. Feris
Aperite caveam, Classico animentur viri
Feræque in arma. Funge! quid retrò pedem
Revolvis. *Ansb.* Insta vulneri. O superi hoc caput
Servate! *Rex.* Arenam vacuat imbellis chorus,
Unus superstes inter illæsas feras.
Ansb. Unus superstes robur atq; animum proba.
Virtute macte! *Rex.* Strenuus geminum latus
Undique tuetur. Areâ expulsæ fugam
Feræ dederunt. Solis opprobrium facis
Alijs, tibique laudis accumulas decus.
Tibi ipse plaude, quando non alius potest
Æquare merita. Nil humile virtus sapit,
Et expedita dextera, & constans tenor,
Animusque præsens rebus in dubijs. Virum
Servate nobis: sæpius plausum dabit.

SCENA NONA.

Ansberta sua gaudia explicat, quæ de spectaculo hausit.

Ansberta. Brunellus.

Ansb. Liquescit animus gaudio, & radius spei
Affulget aliquis. Vita servata est viri,

Ho-

Honorque vitæ magnus accessit. Dij!
Rictum leonis quantus invasit! stetit
Ut firma rupes; egit in turpem fugam.
O quanta mentem, quanta secretos sinus
Subit voluptas! Pulchra libertas tibi
Bertulfe deest. Illa debetur tuis
Meritis. Nec illa est dubia, nisi fallat fidem
Qui loquitur intus genius, atque animum jubet
Sperare. Concepta peragam: mœsto dabo
Aliquod levamen. Discet affectum meum,
Sed fraude tectum amoris, & sancto dolo:
Et esse discet, esse quàm credit minus.
Brunelle sequere; sepiam & chartam para.

CHORUS.

Amans Amatum captivum quærit. A Consilio & Industria assumitur, & in viam deducitur.

Duo Amantes. Consilium. Industria.

Amantes curri. Quousque luctus,
Cordisque fluctus
Hic in latebris,
His in tenebris,
In hoc exilio
Carens auxilio
Cogar sepultus ducere?
Est missa spes,
Sed lenta res;
Hic vel gemendum,
Vel moriendum,

In exilio,
Sine auxilio
Claudenda vitæ linea.
Amans quær. Trepido timore,
Crucior ardore,
Laceror angore,
Pereo dolore.
Amo. Quæ crux amare,
Nec obtinere amatum!
Hoc est cor asperare,
Concremare,
Sic amare.
Per tesqua & antra oberro,
Et nescius locorum,
Sed conscius meorum
Cordis amorum,
Quos diligo,
Quos ambio,
Per tesqua & antra quæro.
Inclamo. *Am.* 2. Clamo. *Am.* 1.
(Clamo. *Am.* 2. Amo.
Am. 1. Amas? *Am.* 2. Amas?
(*Am.* 1. Amo, sed
Amare non amare est,
Amore dum careo.
(*Am.* 2. Areo.
Am. 1. Areo: medullas intimas
Constans fav lla adurit.
(*Am.* 2. Urit,
Am. 1. Uror: nec ante incendia
Amoris opprimentur,

Quàm

Quàm ad me venias.

Am. 2. Veniam. *Am.* 1. Veniam,

Quà me jubes venire.

Am. 2. Ire

Ire, ire, nec venire,

Quid hoc juvat rogantem?

Jubesnè obire terras? *Am.* 2. Erras.

Am. 1. Quid error ergò proderit? *A.* 2 Erit.

Am. 1. Erit; sed opus inutile. *Am.* 2. Utile.

Am. 1. Errare res est futilis. *Am.* 2. Utilis.

Am. 1. Quæ cura mî primaria? *A.* 2. Maria.

Am. 1. Mari jubes venire? *Am* 2. Ire.

Am. 1. Quid me dubia voce fatigas? (tis.

Et spem verbis alis incertis? *A.* 2 Cer-

Am. 1. Possum sperare? *A.* 2. Errare. *Am.* 1.

Et certa sunt, & error est; (Tace.

Quid consilij hîc legendum?

O Cœlites favete!

Quâ teneam amores,

Quâ perimam dolores,

Me semitam docete.

Con. Ego Consilium: me sine nemo

Mascula rerum ducit initia.

Ind. Industria ego: me sine nemo

Optima rerum principia bonum

Trahit ad finem (mentis

Con. Quidquid agendum est, prius ad

Exige lancem.

Ind. Quidquid dederit mens consilij,

Impigra fini manus admoveat.

Con. Sine Consilio labor est vanus,

Ind. Absque labore

Infirma cadunt bona consilia,

Con. & Ne vota sint deliria,

Ind. Vel pura imaginatio,

Ne vana sint suspiria,

Et pectoris jactatio

Strictis amplexibus

Conspiremus;

Arctisque nexibus

Laboremus.

Sic labores

Incitamus:

Sic errores

Evitamus.

Am. 1. O Cœlites favete!

Quâ teneam amores,

Quâ perimam dolores,

Me semitam docete,

Ut icta cerva telo

Volat inquieta ad flumina,

Sic quæro corde anhelo

Videre amoris lumina.

Obstant cacumina

Nostris laboribus;

Negantque Numina

Vires doloribus,

Egeo consilio,

Egeo & auxilio.

O Cœlites favete!

Quâ teneam amores,

Quâ perimam dolores,

Me

Me semitam docere.

Conf. Huc, huc: consilium
Dictabo Amanti.

Ind. Huc, huc: auxilium
Dabo labanti.

Am. 1. Quis mentis ardor?
Cur ire tardor?
Quò me trahetis
Jam membra fessum?
Aut quo jubetis
Movere gressum?
Cordis ut dilectum
Pectorisque electum
Amplexu cingam,
Affectu stringam,

Conf. Ego dabo consilia.

Ind. Ego suggeram auxilia.

Conf. Ego semitam docebo.

Ind. Ego robur admovebo
Ut dilecto,
Ut electo
Potiaris,
Et fruaris.

Am. 1. Inveni favores
Detergo dolores,
Nova spes capit;
Nova spes rapit;
Ubi suaviter quiescam,
Et amore colliquescam.

Conf. Nostra sume specula,
Per quæ se nubecula

Dissolvat in serenum,
Diemque sole plenum.

Ind. Nostra sume spicula,
Ut te per pericula
Agas calentis
Ad vota mentis.
Ubi conspirant
Industria & Consilium
Simul in labores
Itur ad amores;
Est evidens auxilium,
Vota respirant.

ACTVS II.

SCENA PRIMA.

Ansberta parat literas pani inclusas Bertulfo dandas.

Ansberta. Brunellus.

Brunelle, res in apice versatur. Dies
Hic me beatum faciet, aut miserum. Metus
Pejora, spes meliora persuadet mihi.
Nec cedo metui, nec spei credo nimis:
Sed utrumque medius inter incedo, timens
Sperансque cautè. Fama captivos refert
Compelli ad aulam: tempus hoc votis favet.
Mea sensa fida pagina excepit. Sciat

Ber-

Bertulfus, esse, qui recordetur sui.
Brunelle, sanctam socius in fraudem veni.
Bru Prodesse cùm vis, ne magis noceas, cave,
Redire sæpè fraus in auctorem solet.
Ans. Cùm scelera texit.
Bru Sancta cum statuit, Pia
Deprensa fraus supplicia sceleratæ luit.
Satis est doli ipsum nomen, ut fiat scelus.
Ans. Non te scelesti complicem facti peto:
mea sensa nôsti. *Bru.* Sancta meditaris, tamen
Dubius timendus exitus; si te tuus
Prodat character. *Ans.* Mentis incautæ nihil
Habet character: nec mei sum tàm impotens
Lege rationis flectere ut nequeam impetum.
Bru. Rarus amor animi providum imperium tenet
Ans. Si peccat, ipse venia peccati est sui.
Strepunt catenæ; regium ad limen cohors
Captiva trahitur. Jussa Brunelle expedi.
Da, quò recondam literas, panem. Pii
Superi secundent ausa! Cùm stabit propè
Quem scis amari, manibus hunc panem exhibe.
Gradum huc reflecte, donec in scenam chorus
Prodeat apertam. Sequere præeuntis gradum.

* *
*

Sce-

SCENA SECUNDA.

Captivi lamentantes aulam everrunt, spectante ex occulto Ansberta.

Chorus Captivorum.

Quò nos miseros fortuna trahis
Aureâ ejectos sede bonorum!
Quoties lapsi temporis aura
Redit in mentem, toties gravior
Sauciat imas plaga medullas.
Bis miser ille est, qui nunquam ante
Fuit infelix. Fuimus quondam,
Fuimus sortis schema secundæ!
Quò nos miseros fortuna trahis
Aureâ ejectos sede bonorum!
Cecidit magni nomen honoris,
Cecidit domini gloria sceptri;
Et quò cecidit? quò non potuit
Etiam abjectus verna timere.
Quò nos miseros fortuna trahis
Aureâ ejectos sede bonorum!
Quam sit miserum cadere à sortis
Ubere faustæ, nemo credit,
Cui non fuit meliore comâ
Pulchra benignæ gratia sortis.
Levior foret hæc fortuna bonam
Nunquam expertis. O grande malum!
Semel excelso sedisse loco,

Post

Pôst miserando squalore premi.
Quò nos miseros &c.
Quid juvat auro timidè aggesto
Stupuisse domos, nisi ut affligat
Gravius mentem turpis egestas?
Augusta domus malè pensatur
Antro angusto; malè libertas
Vincula tolerat: malè pensantur
Epulæ esurie, fœlixque status
Infœlici carceris antro.
Quo nos miseros &c.
Mitius urget quodcunque malum
Semel expertos. Mitior esset
Sors ista reis, si superesset
Spes melioris. Fuit hæc nuper,
Jam quoque adempta est. Hoc super unum est,
Quod nulla potest vis eripere,
Fidere cœlo. Cùm res & spes
Periêre omnes, sola hæc miseris
Anchora restat, fidere cœlo.
Quo nos miseros, &c.

* *
*

SCE-

SCENA TERTIA.

Ansberta viso Bertulfo propè erat, ut se proderet; sed cautè Brunellus ejus verba in alium sensum detorquet. Dat Bertulfo in pane literas.

Præfectus Prætorii. Ansberta, Brunellus. Bertulfus.

Satis est laboris. Ite funereos specus,
Et destinatum sontibus turris cavum
Repetite. *Ansb.* Misera res, amor tectus *Br.* Tace.
Præf. 1. Quid est? Subactâ Cerere solari famem
Si liceat, orat. *Ansb.* Impotens animus *Bru.* Sile.
Præf. 1. Suggerere parcam liceat, ut vitam trahant,
Non ut latrantem ventris extinguant famem.
Ansb. Disrumpit animus vincula *Brun.* At stringi decet.
Ansb. Quis premere flammam possit?
Brun. Et flammam quoque
Meruit, mereri scelere qui volvit suo.
Ansb. O Crudel! *Præf.* In iras agitur?
Brun. Et cui non scelus
Æquum furorem moveat. *Pr.* Exardet bene,
Cui scelera in iras pectus inflammant *Ans.* Ferox,
Cruente! *Br.* Talis optimo regi hic chorus
Visus reorum est. *Pr.* Talis Imperii ultima
Ruina, regni proditor. *Ber.* Nosti ô Deus

Ani-

Animum innocentem!

Ansb Quale mihi telum intimas
Penetrat medullas! *Br*. Nempe dum superos suâ
Testatur innocentiam, quem Rex reum
Nocte tenebrosâ damnat obscuri specus.

Ansb. Tigris, Medæa, Ditis inferni cavo
Monstrum evolutum!

Praf. Cujus in probrum hæc jacit?

Br Qui probra fecit *Pr* Devoves diris reos,
Et liberali Cerere solaris tamen:
Idem videris impius simul, & pius.

Ansb. Pietate si quid liceat.

Brun. Offendis, tace.

Pr. Aliquid licere crede, quid statues? *Ans*. Idem
Quod ago. *Praf*. Licebit istud.

Ansb Et semper? *Praf* Licet.

Ans. Est hic, profundi voveo quem baratri vadis,
Est, quem serenis inferi vellem plagis.

Br Iterum ad priora? Nempe te velles Deûm
Choris amœnis inferi: at scelerum reos
Ad opaca Lethes antra damnari voves.

Pr. Abite, quò vos hora sub tenebras vocat.

Br. Grates beneficæ dexteræ impendat Deus.

Ans. O si videres, ista quem larvas obtegat!

**
*

Sce-

SCENA QUARTA.

Brunellus exprobrat Ansbertæ data impotentis amoris signa, & docet vincendam naturam, ut meditata procedant.

Brunellus Ansberta.

In arcta pectus anxium egisti vada,
Incaute nimium! Vix bene errores tuos
Illinere licuit fraude. *Ans.* Quis possit satis
Frenare amorem? *Bru.* Frena qui prudentiæ
Tradit regenda. *Ans* Nullus est prudens amor.
Fateor, amantis penitùs optabam faces
Cælare; sed vis dura me eripuit mihi,
Et æstuantis flamma violento impetu
Linguam occupavit.
Bru. Plura, Bartenas, super
Agenda restant, donec optatum doli
Portum occupemus. Mente nisi cautâ trahis
Meditata, grande vertici acceleras tuo
Malum tuique conjugis Fac, te semel
Prodi, utriusque conjugis fracta est salus.
Res est periclo proxima imprudens amor,
Frenare amorem si potes, magno potes
Carere luctu. *Ans.* Magna non uno impetu
Discuntur. *Bru.* Uno sed ruunt sæpe impetu.
Ratione mens firmanda.
Ans. Quam affectu prior
Hora eliquavit, hora firmabit sequens.

Bru

Bru. Victæ severa jura naturæ impera,
Ne vincat illa. *Ans.* prima successit doli
Textura; restat altera. Initium stetit
Anceps, futuris pectus aptabo magis.
Bru. Qui ferre casum potuit, hic prudens cavet.

Scena Quinta.

Venatores ad augendum festi Genethliaci luxum feras insequuntur.

Chorus Venatorum.

Venationem buccina indixit: feræ
Sensère cornu; jamque de vallis cavo
In celsa sese montium cursu ferunt,
Sequitur latratu multa fugientes canis,
Omnemque pressâ nare scrutatur viam.
Properate Regis jussa. Nil lentè imperant,
Qui sceptra torquent. Verba vix edunt, volunt
Videre facta; vixque patiuntur moram,
Quæ facta dictis ipsa distinguat satis.
Properate: nostra studia natalis dies
Regis reposcit: ducite in prædam canes:
Illuc molossos, densiùs quà se nemus
Contrahit in umbras, seque subductis agunt
Feræ paventes gradibus. Hic Cressas tene
Propiore nodo. Retia & casses strue,
Ubi rariore ab arbore umbratur nemus.
Iterum boatus cornuum oppugnet nemus,
Suisque timidas exciat latebris feras.

Hinc

Hinc se pavente cervus effundit gradu,
Trepidaque nostros aure venatur sonos.
Laxate lora canibus, ut timidas agant
Feras sub ictum. Dente fulmineo hic aper
Per rupta senticeta sibi pandit viam.
Hinc in latebras intimas sylvæ pares
Curas feramus, unde spes prædæ micat.

SCENA SEXTA.

Terrentur Satyri auditô venationis signô.

Chorus Satyrorum.

Pri Quis nostra sonus gaudia turbat,
Terretque animos? *Sec.* Vidi in latebras
Præpete cursu volitare feras:
Retroque canum turba secuta
Ore volantûm terga premebat.
Ter. Grande examen vidimus hominum
Ferro armatum rigidaque manu
Funera spirans. *Pri.* Heu malè nostris
Agitur rebus! Perit antiquæ
Gloria sylvæ, pereunt veteris
Gaudia luci. Secreta loci
Antra petamus. *Qua.* Quis male terror
Vos exagitat? *Pri.* Tristia sylvis
Bella moventur. *Quar.* Bello pejor
Urgente timor belli affligit.
Sistite; non est, quem male timidi

Fin-

Fingitis horror, bellique fragor.
Prim Vidi, audivi. *Qua* Timor invasit
Oculos; aures timor obsedit.
Quam triste malum est, suspicio mali!
Pergite, quidquid per lustra sonat,
Sua cum nostris gaudia miscet.
Trepidi nimium, quos vel frondis
Murmur cogit celerare fugam.
Pergat cœpta in gaudia fervor.

Chorea Satyrorum & Nympharum.

SCENA SEPTIMA.

Venatores tenui prædâ captâ, in novam incidunt.

Chorus Venatorum

Pri Medius utrinque dividit olympum dies,
Sed bene locatus Præda compensat satis
Modicum laborem. Nemo non dives suo
Sudore gaudet. Quod fuit in aditu grave,
In fine recreat. 2, Sistite; ut figat pedem
Avis superba phasidis. Bardum caput!
1. Absiste, tractu rursus inverso redit.
Pedem quiete fixit. O felix dies!
Optata præda! 2. Sic cane triumphum 1. O-
mine
Hodie sinistro canna mihi servit. Duo
Hausêre cervi vulnus, & spumans aper,
Sed non perempti. Redditi rursum sibi

Ce-

Celeres fugacem in lustra retulerunt gradum
2 Quiesce: præda rursus in votum venit.
1. Indigna Rege est. 2 Hoc habet. Tandem favet
Fortuna votis Ire, fors prædis adhuc
Accedet aliquid, antequam vastum nemus
Emetiamur.

SCENA OCTAVA.

Tyrannus statuit captivos in sui natalis diei spectaculum ferro immolare.

Rex. Præfectus Aulæ.

Hodie litandum sanguine est. Quantum Dii
Populo probati principis vitam fovent,
Tantum perire, regna qui produnt, volunt.
Qui proditorem ferre funestum potest.
Et solio, & ostro cedere, & vitâ potest,
Sibi suisque dextera inimica est, cui
Hostem catena vincit, & ferrum tepet,
Ut magna laus est Principis, ferro, & manu
Tegere innocentes; magna sic laus est, luem
Perdere nocentûm. Mente stat fixâ, reis
Demetere capita, vivat ut nostrum caput.
Secura nunquam Principis vita est, suus
Quamdiu superstes proditor vitam trahit.
Præf. Quid possit antro clausus, & multo pedes
Ferro gravatus? *Rex.* Quod potest ignis latens.
Præf. Perit latendo. *Rex.* Gravius erumpit que-
que.

Pr

Praef. Scintilla forsan. *Rex.* Una dum superest, time

Regni ruinam. *Praef.* Grande nocumentum nequit

Favillâ ab unâ surgere. *Rex* Periit Ilion

Scintillâ ab unâ. Nemo non iras habet

Manumque Regum ad funera valentem; si alit

In pectore odium *Praef* Devorant iræ suo

Semet veneno, quando nil ultra queunt.

Rex Dum vivit ira, quo tonet, semper coquit.

Et causa poscit sanguinem, & noster dies

Natalis urget victimas: Si non suo

Cadunt nocentes scelere, natalis mei

Cadant honori victimæ. Mitis tamen

Erit ira nostra, sanguinis parcus furor.

Nondum profundo turris extracti sinu

Subeunt theatrum?

Scena Nona.

Iussu tyranni tres è captivis destinantur in victimam. In delectum jubentur ludere. Spectat ex occulto Ansberta. Sors sinistra cadit in Bertulfum.

Præfectus Prætorii. Rex. Ansberta Bertulfus.

Sisto quos Princeps petis,

Tuos sub oculos. *Rex.* Digna jampridem stygis

N Palu-

Palude monstra; digna, quæ Ixion rotâ
Volvat perenni, quæ Scynis laceret, quibus
Cedat Prometheûs vulturem ; & totum alveum
Explicet Avernus *Ans.* Jam tonat, fulmen ruet.
Rex Hodie c[illegible]dendum est
Bert. Mitis ô Princeps. *Rex.* Meis;
Non proditori. *Bert* Mitis ô Princeps! Meæ
Nil postulo in[illegible]o[illegible]entiæ. Fac sim nocens,
Quem nulla damnat culpa: sim nocuus tamen.
Benignitati campus hic magnus tuæ est.
Si nemo peccet, nullus est veniæ locus.
Nomen benigni culpa peccantis facit.
Rex. Quicunque parcit improbis, probis nocet.
Bert. Nulli potest nocere, qui parcit reo.
Rex. Indulta sceleri venia in exemplum migrat
Scelerum sequentûm. *Bert.* Non habent; quô se trahant
Exempla scelerum, populus ubi Regem colit
Fidelitate *Rex* Quamlibet nostrum vacet
Regnum sceleribus, exteri tamen haud vacant,
Parcatur uni, paria mox alter feret
Nocumenta regno. Quod quis est ausus semel
Impune crimen, alterum invitat. Malum
Radice totâ præstat evelli, metu
Quàm semper angi Ne tamen crudâ ferar
Sævire dextrâ, parciùs vestris bibam
Venis cruorem. Sæviam, & parcam. Cui
Me sors benignum jusserit, parcam: cui
Demetere collum jusserit, ferro metam.
Quam quisque jecerit aleam, hanc sortem feret
Ternos ad orcum destino: ternos su[illegible]s

Ite-

Iterum ad catenas.
Bert. Vulneri en collum patet,
Occide potius. Vita cui periit, mori
Non horret. *Rex.* Ite ad aleam. Vivat, cui
Eſt morte vita gravior: Occumbat, cui
Mors eſt timori.
Ansb. Spes meo nondum cadit
Evulſa corde: vita dum ſpirat, ſpei
Supereſſe poſſum. *Praf.* Mappa jam ſtratra eſt;
jube
Jubenda Princeps. *Rex.* Aleæ imperio dabo
Vitam, necemque. *Bert.* Sorte moriendum eſt?
Pudet
Precariò vixiſſe. *Praf.* Tu primus manu
Tua fata verſa. Decimus hic numerus ſtetit,
Felice ſorte. Tu tuam ſortem expedi.
Sors expedita eſt: vita cum talis cadit.
Ternus notatur calculus. Senus tibi.
Tibi denus. Uno tibi minor. *Bert.* Si non faves
Fortuna venerem: ſi faves, canem exhibe
Mori volenti. *Praf.* Vota, quæ voves, habes.
Rex Ergo moriendum. Victimas noſtræ hic dies
Debet ſaluti.

* *
*

SCENA DECIMA.

Erumpit ex latebris Ansberta; se pro Bertulfo in mortem offert. Miratur amorem tyrannus. Iubetur uterque carceri mancipari.

Brunell u. Ansberta. Rex. Bertulfus.

Marmore hic animi est opus.
Ansb. Stat mente marmor. Magne terrarum arbiter,
Fraterque solis, pectus hoc ultro pete,
Amante dives sanguine: hic ferri graves
Extingue flammas: iste non nocuus agat
Vitam superstes. *Rex* Iste non nocuus? Mea
Judicia damnas? *An* Alea nocentem facit,
Rex. Alea nocentem prodit, at crimen facit.
Ans. Sit reus; at isto sanguine reatum expia.
Rex. Malè expiatur sanguine alieno scelus,
Quem culpa fecit improbum, pœna expiet.
Ansb. Et ipsa placat astra, succedanea
Victima. *Rex.* Ubi Divis prima non placuit. *Bert.* Sine
Mori rogantis verticem ferro dari.
Tu vive porrò. *Ans.* Vive tu potius, meo
Sanguine redemptus.
Bertul. Majus hoc precium est meâ
Virtute. *Rex.* Fateor, hic amor nostrum tenet

Fra-

Fræno furorem.

Ansb. Viscera ac animam tibi
Lubens dicabo. *Bert.* Viscera, ac animam meam
Tu promereris *Ans.* Hoc magis totum tibi
Debeo cruorem. Magne Rex, jube hoc caput
Subire pœnas mortis. *Rex.* Hoc jubeo caput
Subdi securi, culpa quod fecit reum.

Ansb Me crede facinoris reum.

Rex. Non es tamen.

Ans. Ut innocentem facere decreto potes,
Potes & nocentem.

Rex Nemo decreto est nocens;
Nemo innocens sententiâ. Quemvis sua
Vel culpa damnat, vel probus vitæ tenor
Absolvit. *Ansb.* O Rex magne, si justè reum
Hunc ad securim protrahis, letho quoquè
Me perime eodem. Liceat aut unà mori,
Aut vivere unà.

Rex Credat hoc quisquam? notas
Tantas amoris posse reperiri? Mori,
Ut vivat alter, alter efflictim rogat.

Ans. Nihil'ne Rex concedis? *Bert.* Astrorum faces
Divosque testor, nullius culpæ reum
Rex magne perimes.

Rex. O potens Juvenis Amor!
Aut monstra amoris seculum hoc nostrum parit
Aut fraus, amoris fronte simulatâ, latet.
Tentabo, si quis subsit huic larvæ dolus,
Et iste, & ille vivat: at neuter suo
Voto beatus. Ille claudatur specu
Latente turris: iste speluncâ alterâ

Tectus diei ignoret, & noctis vices.
Bert. Nox nulla amanti est.
Ansb. Suus amor amanti est dies.

SCENA UNDECIMA.

Brunellus, abductâ in carcerem Ansberta, quid sibi agendum spem inter & metum deliberat.

Brunellus solus.

In hoc furentis prælia evasi maris
Portu receptus, debitum ut fatis caput
Prius videret ista, quam caderet suo
Collo revulsum! O si procellosis prius
Absorptus undis Nerei ingluviem meâ
Nece saturassem, quam reservarer jocus
Ludusque sorti tam asperæ. Mens uni erat
Solvere catenas alteri, & puro die
Beare; ab uno vincula ivêre in duos,
Duosque pariter squalidus carcer tegit,
Quid misero agendum est? Dolor ubi mentem occupat,
Ingenium, & omne lucis extinguit jubar.
Caligo mentem, noctis insolitum chaos
Confundit animum, spemque conceptam eripit.
Sperare nam quid liceat, ubi spei quoque
Spes est adempta: Socius in tetrum specum
Ibo, & catenas socius extremam in necem:

Decet perire servum, ubi dominus perit.
At fortè poteris ferre captivis opem
Quam ludis ipse, aut luderis. Nullus spei
Locus est, ubi spes ipsa sperandi perit.
Quæ periit hodie, non in æternum perit.
Quam prima rapuit, hora restituit sequens.
Cautè silendum est,

Scena Duodecima

Occurrit Florillus; Catholicum se fatetur, & in se recipit Ansbertam commendare ab arte plecti.

Florillus Brunellus

Sortè, qua premeris, premor;
Quique laniatu cordi tibi scia fit dolor,
In me redundat.
Brun. Unde? quâ causâ meo
Animum dolore tangeris? *Flor.* Vera an mihi,
An falsa dictet sensus, ambiguo hæreo
Suspensus animo. *Br.* Vera dictari puta.
Quid inde? *Flor.* Magnam gaudii messem dabis.
Brun. Eloquere. *Flor.* Pandes vera?
Brun. Quæ fari licet.
Flor. Credes amico? *Brun.* Quidquid in apertam potest
Prodire lucem. *Flor.* Nil doli, fraudis nihil
Subesse crede. *Brun.* Credo. *Flor*, Nisi fallor meâ.

Opinione, sacra tu Christi colis.
Brun. Hoc, quod timebam, est. Non licet vero peplum
Induere. Vitam, & sanguinem Christo obligo.
Tibi quid inde gaudii? *Fl.* O charum caput!
Cui vel profuso sanguine obsequium dare
Nihil morabor. *Br* Indigo, indigno licet,
Offers amores. Causa quæ tanti tamen
Amoris in me? *Fl* Christus est, idem tibi
Mihique Numen unicum. *Br.* Hâc mundi plagâ?
Hac Regis aula? *Fl* Christus est Numen mihi.
Br. Floriale, mea lux magna pars cordis mei!
Fl Brunelle, vita charior, votum meum!
Br. Tu mihi cadenti subjice patronam manum.
Fl. Tu mihi jacenti *Br.* Eget alter alterius ope.
Fl. Potes juvare. *Br.* Tu quoque afflictum potes.
Fl Quæ cura mordet? *Br.* Juvenis externi salus.
Fl Qui per furorem regium obscuro gemit
Antro revinctus? *Br.* Illius;
Fl. Quà me putas
Prodesse posse? *Br.* Quà tui affectu tenes
Regem benignum. *Fl.* Quid petis?
Br. Solvi suis
Juvenem catenis. *Fl.* Arduum votum: putas
Regum furores facile molliri prece?
Br. Ubi precantis gratia accedit, Morâ
Etiam leones mitigat: Nullum malum est
Tam pervicacis indolis, frangi ut morâ
Non possit. *Fl.* Orpheus potuit immanes lyrâ
Frenare tigres Ira regnantum est gravis
Nec facile calidos impetus mentis regit.

Br. Si

Br. Si potuit Orpheus, poterit adolescens ferum
Animum domare. *Fl.* Quâ arte?
Br. Quâ potuit tigres
Orpheus tenere. *Fl.* Barbito?
Br. Hic Apollinem
Adæquat ipsum. *Fl.* Cymba meliore hic natat
Impulsa vento. Vesper hic festum dabit
Natale Regi: Juvenem ut accersat, meâ
Id arte faciam: mentis emotæ furor
Tunc facile fidet. Sed meas etiam preces
Benignus audi. *Br.* Loquere. *Fl.* Me gravior premit
Mali catena. Servio, ut cernis meis
Procul remotus, nuper ereptus patri,
Patriæ, Deoque. Servio, & pereo magis,
A Christianis impiè avulsus sacris.
O si daretur eripi hac gentis lue,
Patrioque rursus exulem reddi solo!
Br. Si detur aurâ liberâ rursus frui
Bartenæ, & atra carceris nocte exui,
Spes potes acuere. *Fl.* Sternis audenti viam.
Spes addit animos. *Br.* Fronte spem clausa tegê.
Nocet, ubi aperta prodit. *Fl.* Hoc munus meum est,
Sperare & agere. *Br.* Cùm spei servit manus,
A spe nihil sperare non amplum potes.

**
*

Ber. Heu! monstra. *Ans.* Monstra!
Ber. Juvenis infelix! peris!
Ans. Bertulfe, si in te monstra conspirant, peris!
Chorea monstrorum.
Ber. O dura facies. *Ans.* Pereat hæc species mali.

CHORVS.

Duo Amantes paria subeunt pericula.

Duo Amantes Tyrannis, Discordia, Furores.

Tyr. Silentium! Silentium!
Disc. Res est sub ictu. In retia
Se fert amata præda.
D. Am. Amamus. Arcta vinculo
Fides utrumque nectit.
Am 1. Me nulla vis amplexibus
Amor tuis resolvet.
Am. 2. Sed nec tuis amplexibus
Vis ulla me revellet.
Fur. Urget hora: quid moramur?
Arma comites furores.
Aman. Non revellar *Fur.* In catenas
Stringite.
Cogite,
Compingite.
Aman. Vel sic in unum stringimur.
Hi sunt favores
Inter dolo es:

Compingimur.

Eur. In mortarium

Inferni victimas

Conjicite:

In pulverem

Contundite,

Confundite:

Membra discerpite,

Ossa conterite:

Nec hic, nec ille vivat.

Contundite,

Confundite,

Sic imperat Tyrannis.

Jam vicimus;

In pulverem

Sunt ossa comminuta.

Spargantur in auras.

Quæ pestis halat?

Quæ flamma lumina

Confundit?

Am. Vivo! vivo!

Eur. Discordia! Tyrannis!

Am. Eheu! eheu!

Tyr. Moriere.

Am. 1. Dummodo vivat, per quem vivo.

Disc. Moriere.

Am. 2. Dummodo vivat, per quem vivo.

Tyr. Moriatur uterque.

Am. Si non licuit vivere, liceat

Unà letho perimi utrumque.

1. Pro te morior 2. Pro te morior.

Tyr.

Tyr. Vivat uterque;
Disc. Sed sit fortè
Vita asperior.
Ad vulnera,
Ad funera;
Ad duram sortem,
Sævamque mortem.

ACTVS III.

Scena Prima.

Bertulfus inter serviles labores meminit cũ solatio literarum in pane acceptarum, doletque illum (ut rebatur) adolescentem sui causâ periclitari.

Bertulfus.

Bertulfe, quô recidimus! Hoc tanto tibi
De principatu restat! O dulcis soli
Memoria patrij! patrij ô nimium soli
Memoria acerba! affligis & recreas; beas
Et perimis; imum pectoris laceras sinum,
Iterumque reficis. Patria, heu! quo me rapis?
Odisse nec te valeo, nec amores meos
Mereris: à te me fugas, ad te rapis.
Ego quoque te repello, te simul insequor.
Amare quòd te cogor, est virtus mea:
Odisse quòd te debeo, est crimen tuum.

Portum salutis. *Ber.* Nempè quem pandet mihi
Mors capite secto. *Fl.* Quem tibi aperiet tui
Amans. *Ber.* Amare sordidum quisquam potest?
Fl. Pius adolescens. *Ber.* Prodimur! Quid me jocum
Ludibriumque sortis affligis? satis
Laceratur animus sorte præsenti; novos
Ne mihi dolores adde conficto joco.
Fl. Bertulfe crede. *Ber* Nolo. *Fl.* Successus dabit.

SCENA TERTIA.

Rex in horto recentem auram capit: recreatur ab Ephœbis. Florillus ex occasione commendat Bartenam (Ansbertam) ab arte chelys.

Rex. Gratullus. Florillus. Chlorinus.

Aspirat aura melior, & blando meant
Zephyri volatu; perque digestum ordine
Florum senatum basijs ludunt. Juvat
Laxare curis pectus. Hanc poscit dies
Præsens quietem. Rara sine curis dies
Reges ab astris aspicit. Semper novo
Regale nomen turbinum affluxu tumet.
Fruamur horâ, quam sinunt curæ; sequens
Pensabit istam mole graviori dies.
Delectat oculos gratia jocantis poli,
Et amœna florum prælia, atque auræ favor.
Quid vos paratis Regium in gustum.

Grat.

Grat. Jube
Rex magno. *Rex.* Jussa prævenit, quisquis studet
Regi placere. *Gr.* Pace si Regis licet,
Joci parata est scena. *Rex.* Quod cuivis placet,
Regi placebit. *Chl.* Saxa modulatu excita
Gratille, & ipsos Orphêi ad invidiam move
Lapides per artem barbiti. *Rex.* Superi quid hoc?
Gratille perge, plura spectandi tenet
Animum voluptas.

Saltus Statuarum.

Multa disposui diem
In hunc videnda; vestra sed studium ferunt
Palmam. *Gr.* Voluptas maxima est, Regi suo
Placuisse. *Fl.* Princeps digne sideribus latus
Utrumque cingi, placuit artifice lyra
Tentata digito? *Rex.* Placuit & avaram modi
Aurem occupârunt. *Fl.* *Laude sit dignus suâ*
Gratillus; arte pellicis superat tamen
Peregrinus hospes. *Rex* Nec subit nostros lares?
Fl. Non audet. *Rex.* Et quid metuit?
Fl. Obtutus tuos.
Rex Nulli negatos. *Fl.* Ferre quos nequit sine
Timore. *Rex.* Timidum placidus animabit fa-
Fl. Sperare si possit. *Rex* Potest. (vor.
Fl At non potest
Adesse *Rex.* Quisnam Regis accessu vetat?
Fl. Rex ipse. *Rex* Jubeo.
Fl. Sed simul prohibes quoque.
Rex. Quomodo? *Fl.* Catenis. *Rex.* Quis ligat?
Fl. Tu Rex *Rex.* Ego?
Fl. Turris profundæ ad antra damnâsti reum.

Rex.

Rex. Quis ille? *Fl.* Qui se victimam morti dab...
Ut à nocentis vertice arceret necem.
Rex. O quanta, Superi! nescios Reges latent,
Cœcâ rotamur sorte, sed cœcâ simul
Sceptrum rotamus sorte, nec veri integram
Frontem videre, seu Ministrorum dolo,
Seu nocte cœli finimur. Huc adsit mei
Pars magna plausûs. Liberum ferro volo,
Antrique tenebris liberum. *Fl.* Rex, ut jubes.
Benignitatem sentiat, qui se tuis
Votis probabit.
Rex Sentiet. Non sum tigris,
Sed nec Leænæ ab ubere pependi puer,
Ut cùm sceleſtos ferio, non parcam probis.

SCENA QUARTA.

Gratillus odium concipit in Florillum, ... prælatum sibi in arte plectri Bartenam (Ansbertam.)

Gratillus solus.

Et patiar usquè? *Laude sit dignus suâ*
Gratillus; arte pollicis superat tamen
Peregrinus hospes. Fuimus! in nostrum locum
Peregrinus hospes fraude Florilli subit.
Hanc mihi parabas aleam? hoc encomium
Florille fratri? *Laude sit dignus suâ*
Gratillus; arte pollicis superat tamen
Peregrinus hospes. Superat? Hoc in me necat
Regis favorem; meque destituit prior

Amo

Amoris aura. Superat? Hoc unum rapit,
Totumque solus possidet amoris sinum.
Non alia jam fortuna Gratillum manet,
Quàm tabe lentâ, & peste rabiosâ mori.
Excidere Regum gratiâ bis, non licet.
Semel excidisse gravius est letho malum.
Florille! qualem belluam? qualem stygis
Compello Furiam? vel luem Acheronte editam?
Florille! tenè hoc decuit? externum tuo
Fratri anteferre? Generis inimicus tui,
Hostis paterni sanguinis, vultur domûs!
In limine malum est: antequam toto ruat
Impete, medendum est. Levior initijs labor
Occurrit igni; fræna cùm rupit, gravem
Trahit ruinam. Quod manus mea non potest,
Manus valebit plurium; accersam in dolum
Fidos sodales; nec venenati faces
Ponam furoris, hospitem donec novum
Perisse videam.

SCENA QUINTA.

Educitur ex carcere Ansberta, ut chely Regem recreet.

Ansberta, Florillus.

Carceris quò me vocas?
Sede è profunda? Nunquid extremus dies
Libitinæ amatam victimam, innocuam tamen,
In fata poscit? *Fl.* Causa te melior petit.
An. Paratum in omnes sortis aspectus, ferox

Non

Non terret animum. *Fl.* Lætior amœnam die
Scenam reducit *An.* Parte sed mediâ mei
Sepelior antro. *Fl.* Totus optatam in diem
Carcere vocaris. *An.* Totus optato die
Careo, tenebris quando confusis mei
Tenentur oculi. *Fl.* Regis affectu bonam
Fortuna frontem retegit.
Ansb. Haud facilè cadunt
Iræ potentûm. *Fl.* Sed cadunt: ægrè licet.
Ansb. Cecidisse needum credo: nec causa est r
Simulare potius crede. Sic aulæ solent,
Sub fronte amoris odia velare. *Fl.* Et solent
Veros amores promere. *An.* Id nunquam ever
Postquam occupavit Regium pectus furor.
Decreta Regum sancta sunt; *Fl.* Et veritas
Sancta est in aulâ. *An.* Veritas locum obtinet
Postremum in aulâ.
Fl Perfidâ. *An.* Sanctam quoque
Falsi colores illiti rebus movent.
Fl. Tempore patescit falsitas. Animum potes
Aptare dictis credulum. Regem tui
Amor ligavit; scena successum paret
Datura votis. Principum affectus fluit;
Usu anteverte. *An.* Quâ licet?
Fl. Quà tu chely
Lucraris animos. *An.* Cœlites! quàm vos pij
Meditata promovetis! At quis me chely
Aliquid valere prodidit? *Fl* Qui te tuis
Votis potiri candido affectu vovet.
Festo daturus gratiam in Regis lares
Vocaris: hic se prima meditatæ rei.

Semita recludit. Inde constanti potes
Tua vota gressu urgere.
An. Quæ credis meæ
Meditata mentis? vota quæ urgeri putas?
Fl. Quæ prodidisti.
An. Quando? *Fl* Cùm compos tui
Non satis, amorem proderes.
An. In quem? *Fl.* In reum
Jam lege Regis capite damnatum. *An.* Fuit
Affectus animi subitus.
Fl. Et constans. *An.* Deus!
In arcta cogor *Fl* Nil metue: me alium putas,
Alium videbis. Arte quid possis, proba:
Artem sequetur gratia; & disces meum
Animum dolosæ fraudis immunem. Fidem
Habe obligatam. Cardo concussus sonat;
Initia læta fine felice exeant.

Scena Sexta.

Sistitur Ansberta Regi; coram eo ludit: Placet. Optare jubetur. Optat Bertulfum liberum: datur ei in servum; ipsa inter Ephœbos adlegitur.

Floridus. Ansberta. Rex.

Venerare magnum Regis Augusti jubar.
An. Sol magne mundi, Maximi Jovis nepos,
Fraterq; Lunæ; quem jubes, præsentem habes
Tuo paratum nutui. *Rex.* Quæ te dedit
Regio? *An.* Alemanna. *Rex.* Causa quæ avulsum
lare

Pa-

Tectus diei ignoret, & noctis vices.
Bert. Nox nulla amori est.
Ansb. Suus amor amanti est dies.

SCENA VNDECIMA.

Brunellus, abducta in carcerem Ansberta, quid sibi agendum spem inter & metum deliberat.

Brunellus solus.

In hoc furentis prælia evasi maris
Portu receptus, debitum ut fatis caput
Prius videret ista, quam caderet suo
Collo revulsum! O si procellosis prius
Absorptus undis Nerei ingluviem meâ
Nece saturassem, quam reservarer jocus
Ludusque sorti tam asperæ. Mens uni erat
Solvere catenas alteri, & puro die
Beare; ab uno vincula ivêre in duos,
Duosque pariter squalidus carcer tegit,
Quid misero agendum est? Dolor ubi mentem occupat,
Ingenium, & omne lucis extinguit jubar.
Caligo mentem, noctis insolitum chaos
Confundit animum, spemque conceptam eripit.
Sperare nam quid liceat, ubi spei quoque
Spes est adempta. Socius in tetrum specum
Ibo, & catenas socius extremam in necem:

Do-

Decet perire servum, ubi dominus perit.
At fortè poteris ferre captivis opem
Quam?ludis ipse, aut luderis. Nullus spei
Locus est, ubi spes ipsa sperandi perit.
Quæ periit hodie, non in æternum perit.
Quam prima rapuit, hora restituit sequens.
Cautè silendum est,

Scena Duodecima

Occurrit Florillus; Catholicum se fatetur, & in se recipit Ansbertam commendare ab arte plectri.

Florillus Brunellus

Sortè, qua premeris, premor;
Quique laniatu cordi tibi scia sit dolor,
In me redundat.
Brun. Unde? quâ causâ meo
Animum dolore tangeris? *Flor.* Vera an mihi,
An falsa dictet sensus, ambiguo hæreo
Suspensus animo. *Br.* Vera dictari puta.
Quid inde? *Flor.* Magnam gaudii messem dabis.
Brun. Eloquere. *Flor.* Pandes vera?
Brun. Quæ fari licet.
Flor. Credes amico? *Brun.* Quidquid in apertam potest
Prodire lucem. *Flor.* Nil doli, fraudis nihil
Subesse crede. *Brun.* Credo. *Flor.* Nisi fallor meâ.

Opinione, sacra tu Christi colis.
Brun. Hoc, quod timebam, est. Non licet vero peplum
Induere. Vitam, & sanguinem Christo obligo.
Tibi quid inde gaudii? *Fl.* O charum caput!
Cui vel profuso sanguine obsequium dare
Nihil morabor. *Br* Indigo, indigno licet,
Offers amores. Causa quæ tanti tamen
Amoris in me? *Fl* Christus est, idem tibi
Mihique Numen unicum. *Br.* Hâc mundi plagâ?
Hac Regis aula? *Fl* Christus est Numen mihi.
Br. Floribile, mea lux magna pars cordis mei!
Fl Brunelle, vita charior, votum meum!
Br. Tu mihi cadenti subjice patronam manum.
Fl. Tu mihi jacenti. *Br.* Eget alter alterius ope.
Fl. Potes juvare. *Br.* Tu quoque afflictum potes.
Fl Quæ cura mordet? *Br.* Juvenis externi salus.
Fl Qui per furorem regium obscuro gemit
Antro revinctus? *Br.* Illius.
Fl. Quà me putas
Prodesse posse? *Br.* Quà tui affectu tenes
Regem benignum. *Fl.* Quid petis?
Br. Solvi suis
Juvenem catenis. *Fl.* Arduum votum: putas
Regum furores facile molliri prece?
Br. Ubi precantis gratia accedit, Morâ
Etiam leones mitigat: Nullum malum est
Tam pervicacis indolis, frangi ut morâ
Non possit. *Fl.* Orpheus potuit immanes lyrâ
Frenare tigres. Ira regnantûm est gravis
Nec facile calidos impetus mentis regit.
Br. Si

Br. Si potuit Orpheûs, poterit adolescens ferum
Animum domare. *Fl.* Quâ arte?
Br. Quâ potuit tigres
Orpheûs tenere. *Fl.* Barbito?
Br. Hic Apollinem
Adæquat ipsum. *Fl.* Cymba meliore hic natat
Impulsa vento Vesper hic festum dabit
Natale Regi: Juvenem ut accersat, meâ
Id arte faciam: mentis emotæ furor
Tunc facile fidet. Sed meas etiam preces
Benignus audi. *Br.* Loquere. *Fl.* Me gravior premit
Mali catena: Servio, ut cernis meis
Procul remotus, nuper ereptus patri,
Patriæ, Deoque. Servio, & pereo magis,
A Christianis impiè avulsus sacris.
O si daretur eripi hac gentis lue,
Patrioque rursus exulem reddi solo!
Br. Si detur aurâ libera rursus frui
Bartenæ, & atra carceris nocte exui,
Spes potes acuere. *Fl.* Sternis audenti viam.
Spes addit animos. *Br.* Fronte spem clausa tegē:
Nocet, ubi aperta prodit. *Fl.* Hoc munus meum est,
Sperare & agere. *Br.* Cùm spei servit manus.
A spe nihil sperare non amplum potes.

**
*

Ber. Heu! monstra. *Ans.* Monstra!
Ber. Juvenis infelix! peris!
Ans. Bertulfe, si in te monstra conspirant, peris!
Chorea monstrorum.
Ber. O dura facies. *Ans.* Pereat hæc species mali.

CHORUS.

Duo Amantes paria subeunt pericula.

Duo Amantes Tyrannis, Discordia, Furores.

Tyr. Silentium! Silentium!
Disc. Res est sub ictu. In retia
Se fert amata præda.
D. Am. Amamus. Arcta vinculo
Fides utrumque nectit.
Am 1. Me nulla vis amplexibus
Amor tuis resolvet.
Am. 2. Sed nec tuis amplexibus
Vis ulla me revellet.
Fur. Urget hora: quid moramur?
Arma comites furores.
Aman. Non revellar *Fur.* In catenas
Stringite.
Cogite,
Compingite,
Aman. Vel sic in unum stringimur:
Hi sunt favores
Inter dolores:

Comping mur.

Fur. In mortarium
Inferni victimas
Co-jicite:
In pulverem
Contundite,
Confundite:
Membra dilcerpite,
Ossa conterite:
Nec hic, nec ille vivat.
Contund te,
Confundite,
Sic imperat Tyrannis.
Jam vicimus:
In pulverem
Sunt ossa comminuta.
Spargantur in auras.
Quæ pestis halat?
Quæ flamma lumina
Confundit?

Am. Vivo! vivo!
Fur. Discordia! Tyrannis!
Am. Eheu! eheu!
Tyr. Moriere.
Am. I. Dummodo vivat, per quem vivo.
Disc. Moriere.
Am. 2. Dummodo vivat, per quem vivo.
Tyr. Moriatur uterque.
Am. Si non licuit vivere, liceat
Una letho perimi utrumque.
1. Pro te morior. 2. Pro te morior.

Tyr.

Tyr. Vivat uterque;
Disc. Sed sit morte
Vita asperior.
Ad vulnera,
Ad funera;
Ad duram sortem;
Sævamque mortem.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Bertulfus inter serviles labores meminit cũ solatio literarum in pane acceptarum, doletque illum (ut rebatur) adolescentem sui causâ periclitari.

Bertulfus.

Bertulfe, quô recidimus! Hoc tanto tibi
De principatu restat! O dulcis soli
Memoria patrij! patrij ô nimium soli
Memoria acerba! affligis & recreas; beas
Et perimis; imum pectoris laceras sinum,
Iterumque reficis. Patria, heu! quo me rapis?
Odisse nec te valeo, nec amores meos
Mereris: à te me fugas, ad te rapis.
Ego quoque te repello, te simul insequor.
Amare quòd te cogor, est virtus mea:
Odisse quòd te debeo, est crimen tuum.

Primam dedisse lucis usuram; hinc amor;
Miserum in supremo deseris vitæ statu,
Hinc odia. Pudeat te tui, Ansberta (ô grave
Simulque suave nomen Ansbertæ) tui
Pudeat te amoris! Juvenis ignotus mihi,
Nec visus unquam, nec merito adactus meo,
In me profusos explicat amoris sinus.
O manus amata? ô paginæ charus tenor!
Nescio quis animum tangit affectus tui,
Rapitq; totum suavis illecebra: te ego
Vt vidi, amavi. si qua spes superest tuæ
Salutis, illam dextera hac pandet tibi.
Ne quære quis sim; sufficit; Christum colo.
Ejusq; lege debitum auxilium paro.
Quæ nostra tantum merita peregrino trahunt
E corde amorem? non es humano satu
Proditus in orbem; Cœlitem, adolescens, sapit
Tuus ille mentis integræ affectus. *Te ego*
Vt vidi, amavi. Lacrymans illud lego.
Nam vis amoris illa mihi rumpit sinus;
Paremque amorem provocat. Fallax tuis
Ansberta verbis! Mille te titulis mihi
Fax conjugalis obligat, nullum exhibes:
Ingrata misero conjugi, in Deum impia,
Oblita fœderis, & sacramenti immemor.
Sed pia rependunt astra peregrini manu,
Quod tua negavit impiè. O nunquam satis
Amande Juvenis! seu feras, seu non feras
Opem patronam, gratiæ nomen tuus
Amor meretur. Gratiam non res facit,
Sed mens volentis. Ferre vis opem: id mihi est
Satis,

Satis ut ameris; gratiam ut noscam, est satis.
Optima voluntas prima beneficij est nota,
Sed vota durus abscidit sortis rigor.
Gemis in catenis, Juvenis infelix! mei
Causâ sepultus carcere. O liceat tuo
Amori amorem reddere, & pro te mori!
Aliâ rependi merce non potest amor,
Pari quàm amore. Perge Bertulfe, & tuos
Gemina dolores; quando non tantum tua,
Sed & alienâ sorte lacerantur fibræ.

SCENA SECUNDA.

Florillus aperit Bertulfo, rimam melioris spei per adolescentem peregrinum aperiri. Hic se neque scire, neque credere simulat.

Florillus. Bertulfus.

Bertulfe! *Ber* Quis me? *Fl.* Nullus observat! Brevi
Sermone vitæ grande solamen cape.
Ber, Fortuna nostra limites ultra bonæ
Spei est reposita. *Fl.* Nulla tam sævum imprimis
Vulnus, medelam ut nesciat.
Ber. Leve est malum,
Si cui patrona dextera mederi potest.
Funesta nullam vulnera admittunt opem.
Fl. Imò requirunt. Pauca Bertulfe accipe:
Tua res secundo Numine propinquum aspicit

Grat. Jube

Rex magno. *Rex.* Justa prævenit, quisquis studet

Regi placere. *Gr.* Pace si Regis licet,

Joci parata est scena. *Rex.* Quod cuivis placet,

Regi placebit. *Chl.* Saxa modulatu excita

Gratille, & ipsos Orphêi ad invidiam move

Lapides per artem barbiti. *Rex.* Superi quid hoc?

Gratille perge; plura spectandi tenet

Animum voluptas.

Saltus Statuarum:

Multa disposui diem

In hunc videnda; vestra sed studium ferunt

Palmam. *Gr.* Voluptas maxima est, Regi suo

Placuisse. *Fl.* Princeps digne sideribus latus

Utrumque cingi, placuit artifice lyra

Tentata digito? *Rex.* Placuit & avaram modi

Aurem occupârunt. *Fl.* *Laude sit dignus suâ*

Gratillus; arte pellicis superat tamen

Peregrinus hospes. *Rex* Nec subit nostros lares?

Fl Non audet. *Rex.* Et quid metuit?

Fl. Obtutus tuos,

Rex Nulli negatos. *Fl.* Ferre quos nequit sine

Timore. *Rex.* Timidum placidus animabit favor.

Fl Sperare si possit. *Rex* Potest.

Fl At non potest

Adesse *Rex.* Quisnam Regis accessu vetat?

Fl. Rex ipse. *Rex* Jubeo.

Fl. Sed simul prohibes quoque.

Rex. Quomodo? *Fl.* Catenis. *Rex.* Quis ligat?

Fl. Tu Rex *Rex.* Ego?

Fl. Turris profundæ ad antra damnâsti reum.

Rex.

Rex. Quis ille? *Fl.* Qui se victimam morti dabat,
Ut à nocentis vertice arceret necem.
Rex. O quanta, Superi! nescios Reges latent,
Cœcâ rotamur sorte, sed cœcâ simul
Sceptrum rotamus sorte, nec veri integram
Frontem videre, seu Ministrorum dolo,
Seu nocte cœli sinimur. Huc adsit mei
Pars magna plausûs. Liberum ferro volo,
Antrique tenebris liberum *Fl.* Rex, ut jubes,
Benignitatem sentiat, qui se tuis
Votis probabit.
Rex Sentiet. Non sum tigris,
Sed nec Leænæ ab ubere pependi puer,
Ut cùm scelestos ferio, non parcam probis.

SCENA QUARTA.

Gratillus odium concipit in Florillum, ob prælatum sibi in arte plectri Bartenam (Ansbertam.)

Gratillus solus.

Et patiar usquè? *Laude sit dignus suâ*
Gratillus; arte pollicis superat tamen
Peregrinus hospes. Fuimus! in nostrum locum
Peregrinus hospes fraude Florilli subit.
Hanc mihi parabas aleam? hoc encomium
Florille fratri? *Laude sit dignus suâ*
Gratillus; arte pollicis superat tamen
Peregrinus hospes. Superat? Hoc in me necat
Regis favorem; meque destituit prior

Amoris aura. Superat ?Hóc unum rapit,
Totumque solus possidet amoris sinum.
Non alia jam fortuna Gratillum manet,
Quàm tabe lentâ,& peste rabiosâ mori.
Excidere Regum gratiâ bis,non licet.
Semel excidisse gravius est letho malum.
Florille ! qualem belluam ? qualem stygis
Compello Furiam ? vel luem Acheronte editam ?
Florille ! tene hoc decuit? externum tuo
Fratri anteferre ? Generis inimicus tui,
Hostis paterni sanguinis,vultur domûs !
In limine malum est: antequam toto ruat
Impete,medendum est. Levior initijs labor
Occurrit igni;fræna cùm rupit,gravem
Trahit ruinam.Quod manus mea non potest,
Manus valebit plurium:accersam in dolum
Fidos sodales; nec venenati faces
Ponam furoris,hospitem donec novum
Perisse videam.

SCENA QUINTA.

Educitur ex carcere Ansberta, ut chely Regem recreet.

Ansberta. Florillus.

Carceris quò me vocas
Sede è profunda ? Nunquid extremus dies
Libitinæ amatam victimam, innocuam tamen,
In fata poscit ? *Fl.* Causa te melior petit.
An. Paratum in omnes sortis aspectus,ferox

Non terret animum. *Fl.* Lætior amœnam dies
Scenam reducit *An.* Parte sed mediâ mei
Sepelior antro. *Fl.* Totus optatam in diem
Carcere vocaris. *An.* Totus optato die
Careo, tenebris quando confusis mei
Tenentur oculi. *Fl.* Regis affectu bonam
Fortuna frontem retegit.
Ansb. Haud facilè cadunt
Iræ potentûm. *Fl.* Sed cadunt ægrè licet.
Ansb. Cecidisse needum credo: nec causa est no-
Simulare potius crede. Sic aulæ solent, (va,
Sub fronte amoris odia velare. *Fl* Et solent
Veros amores promere. *An.* Id nunquam evenit,
Postquam occupavit Regium pectus furor.
Decreta Regum sancta sunt. *Fl.* Et veritas
Sancta est in aulâ. *An.* Veritas locum obtinet
Postremum in aulâ.
Fl Perfidâ. *An.* Sanctam quoque
Falsi colores illiti rebus movent.
Fl. Tempore patescit falsitas. Animum potes
Aptare dictis credulum. Regem tui
Amor ligavit; scena successum paret
Datura votis. Principum affectus fluit;
Usu anteverte. *An.* Quâ licet?
Fl. Quà tu chely
Lucraris animos. *An.* Cœlites! quàm vos pij
Meditata promovetis! At quis me chely
Aliquid valere prodidit? *Fl* Qui te tuis
Votis potiri candido affectu vovet.
Festo daturus gratiam in Regis lares
Vocaris: hic se prima meditatæ rei

Se

Semita recludit. Inde constanti potes
Tua vota gressu urgere.
An. Quæ credis meæ
Meditata mentis? vota quæ urgeri putas?
Fl. Quæ prodidisti.
An. Quando? *Fl.* Cùm compos tui
Non satis, amorem proderes.
An. In quem? *Fl.* In reum
Jam lege Regis capite damnatum. *An.* Fuit
Affectus animi subitus.
Fl. Et constans. *An.* Deus!
In arcta cogor. *Fl.* Nil metue: me alium putas,
Alium videbis. Arte quid possis, proba:
Artem sequetur gratia; & disces meum
Animum dolosæ fraudis immunem. Fidem
Habe obligatam. Cardo concussus sonat;
Initia læta fine felice exeant.

SCENA SEXTA.

Sistitur Ansberta Regi; coram eo ludit: Placet. Optare jubetur. Optat Bertulfum liberum: datur ei in servum; ipsa inter Ephœbos adlegitur.

Florillus. Ansberta. Rex.

Venerare magnum Regis Augusti jubar.
An. Sol magne mundi, Maximi Jovis nepos,
Fraterq; Lunæ; quem jubes, præsentem habes
Tuo paratum nutui. *Rex.* Quæ te dedit
Regio? *An.* Alemanna. *Rex.* Causa quæ avulsum

Patrio in remotas orbis adduxit plagas?
An. Tuam ut merear gratiam.
Rex Hanc facilem putas?
An. Qualem fatetur indoles. *Rex* Sed quò tibi
Nostri favores? *An* Principum in terris favor
Pars magna cœli est. *Rex.* Nominis nostri jubar
Illuc vibravit lumen, & radium sui?
An. Nunquam latere fama magnorum potest.
Rex Nec ubique spargi.
An. Limites illos habet,
Quos Solis ignis. Quò diem Phœbus trahit
Illuc benigni Principis fama evolat.
Rex. Et quâ favores arte venari putas?
An. Placuisse quâ me gratiæ mandas tuæ.
Rex. Quid arte plectri, barbito quidnam vales?
An Potes experiri. *Rex* Chorda si digiti benè
Respondet arti, gratiæ affectum tenes.
Tenta, quod auri Regiæ illudat melos.
Vos in choreas flexiles plausum date.

Chorea Ephœborum.

Mellea voluptas auribus amœnum dedit
Nectar bibendum. vincis artifices tuâ
Sirenas arte. Si prius nosse id mihi
Licuisset, antro liber, & liber metu
Poteras subire Regiæ nostræ lares.
Sed jam licebit. Gratiam, si quam voles,
Ars tua meretur. Venia poscendi est tibi,
Dandi voluntas est mihi. Opta, quod libet.
An. Superi secundo sæculo cursum tibi
Vehant beatum: quoque non melius queam
Regi vovere, serò te jubeant novum

Ac-

Accedere astris sidus, & stratum polo
Calcare Achatem; gratiæ est omnis loco
Optima voluntas. *Rex.* At voluntatis decet
Adjicere signa. Parcus affectus Ducum est,
Munifica nisi dextra indices addat notas.
Hæc est amoris indoles, semet datis
Probare donis. Posce, quod Regem dare,
A Rege quod te poscere Augusto decet.
Habes volentem. *An.* Magne terrarum arbiter,
Nec influenti subtraham amplexum bono,
Nec abutar aurâ Regij affectûs. Tuo
Jussu lincitatus, liberum vinclis dari
Unum vovebo, cujus ærumnis mihi
Cor vulneratur.
Rex Regis opprobrium est, darè
Tam vile munus. *An.* Vile, preciosum facit
Dantis voluntas. *Rex.* Populus à precio dati
Affectum amantis æstimat. *An.* At errat quoque,
Quod quisque pro se diligit, magni æstimat.
Rex At quem catenis liberum mitti petis?
An. Qui solus hodie victor in turpem fugam
Egit feroces belluas. *Rex.* Undè hic amor?
An. Principium amoris nullus explorat satis.
Ignota sæpè gratia in amores rapit,
Et nota in odium.
Rex Quando tibi non noti amor
Animum occupavit? *An.* Quando damnari au- (dij
Sævam ad securim, viscera moveri pio
Ardore sensi. Nam aleæ lethum stetit
Jactu sinistro, non viri scelere. At ubi
Fugare arenâ visus immites feras,

Spe-

Spectata virtus placuit, & crevit prior
Affectus animo, meque correptum tenet.
Rex. Virtutis hæc est indoles: Etiam suo
Amatur hosti. Quod petis, donum feras,
Solutus antri nocte Bertulfus, tibi
Vitam dieíque debeat, & atræ necis
Demptos timores: nutui servus tuo
Post obsequatur: præmium hoc constans amor
Meretur. *At tu Regios inter choros,*
Interq; Ephœbos primus uteris meo
Favore. Gratum faciet artifice chelys
Sonitura plectro. *An.* Phœbe terrarum, tuos
Adoro vultus; gratiam amplector Dijs
Affine quiddam detegis. Superas preces,
Et plura votis ingeris. Magni hoc habent
Animi, Deorum more, majores dare,
Quàm postulentur, gratias. Unam prece
Supplice petivi; Regis affectu duæ
Veniunt petenti. Discet immenso mari
Seposita tellus, Regiæ mentis sinus
Patere miseris; neminem votis suis
Fraudari; abire neminem cassâ prece,
Audaciamque supplicis vincitu â
Benignitate. Quòd tuos inter jubes
Bartenam Ephœbos vivere, optatum dabo
Fidelitatis specimen. *Rex.* Et tanto dabo
Specimini amores. Vade, quem poscis, sui
Nocte evolutum carceris servum accipe.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Florillus Brunello prodit, quæ cum Ansberta apud Regem sunt acta, & spem facit melioris eventûs.

Florillus. Brunellus.

Res vota superat, primus ingressus favet,
Paremque spondet exitum. *Br.* Quem res locum
Tenet inchoata? *Fl.* Quem pius voluit dolus.
Br. Solutus antri peste Bartenas? *Fl.* Diem
Liber catenis spectat, & puram trahit
Securus auram. At minima pars isthæc boni est.
Br. Sperare majus vota non poterant. *Fl.* Potes
Spectare majus. Quem semel faustô bona
Fortuna cepit ducere afflatu gradum
Ad altiora promovet. *Br.* Regis datum
Subire vultus? *Fl* Amplius. *Br.* Blandi joco
Exceptus oris? *Fl.* Amplius.
Br. Plectro datum (los?
Tentare chordas? *Fl* Amplius *Br* Placuit me-
Fl Faciliq́ue bibitum est aure. Sed nondum satis.
Br Effare cuncta. Qui diu ambiguum tenet,
Diu cruciat animum. Fare.
Fl Bertulfus *Br* Spei
Affulget aliquid? *Fl.* Jam nihil debes spei,
Cùm res tenetur. *Br* Fallis? an ludis joco?
Fl. Bertulfus arcto carcere, & ferri jugo
Liber, peritis fidibus in munus datus.

Neque hic favoris positus est limes: suos
Bartenam Ephœbos inter adscribi jubet.
Br. Quò me beati Cœlites! uno impe tu
Fortuna faciles tota in amplexus ruit.
En ipse.

SCENA OCTAVA.

Ansbertæ sub Bartenæ nomine latenti devovet se in servum Bertulfus : cui illa spem sortis melioris facit.

Brunellus. Ansberta. Bertulfus.

Br. Superi! video Bartenam meum?
An. Vides: & unà carcere exemptum vides,
Rigidâque ferri mole Bertulfum erutum. (num,
Br. Teneone dominum! Exosculor dulcem ma-
Avidamque toto saturo Bartenâ sitim.
An Bertulfe! *Bert.* Bartenas!
An Meus posthac eris.
Bert. Et esse par est. Quidquid hic superest mei,
In te recedit. *An.* Quidquid hîc superest mei,
In te reflectit. *Bert.* Sanguinem, & vitam tibi
Debeo, salutis unice assertor meæ.
An. Quod est Tonanti proprium, hoc illi refer,
Sortem ille utramque gestit, & versat vices;
Oculisque noctem offundit, & reddit diem.
Bert. Numen colendum, cujus in dextrâ salus
Optata vivit; cujus in levâ tonant
Sinistra fata: Video, quò mundum ordine,
Quâ lege fata temperas; noctem & diem;

Tragica & amœna; prælia,& pacem; metus,
Et festa; nubes,& serenum; Etesias, (brum,
Et Circium, æstatem,& hyemem; laudē, & pro-
Damna,& levamina,unus in nostrum caput
Decernis auctor. Gratias primas Deo,
Tibi secundas debeo. Per te stetit,
Nos & catenis eximi,& letho erui.
Sed unde pronus ille, totumque occupans
Affectus animum,merita quem nunquam valent
Emisse nostra? *An.* Lege non certâ venit
Amor,& recedit. Genius interior rapit,
Nec causa aperta est Causa,quæ miserum facit,
Me facit amantem. *Bert.* Primus aspectus mei,
(Testatur istud paginæ tenor: *Te ego*
Vt vidi,amavi) primus aspectus mei
Te flammâ amoris corripit: sed & te ego
Ut vidi,amavi. Me tamen superas tuo
Bartena amore. Namque non meritum tu amas,
Ego merentem. Purior nempè est amor
Non provocatus. Cui bona in gremium fluunt,
Necessitate diligit; sed qui bona
Confert,amore libero. *An.* Liber potest
Amor vocari; qui mihi mentem tenet,
Necessitate stringit. *Bert.* At nullas habet
Amor catenas, sponte qui venit suâ,
Et ante merita.
An. Cùm semel mentem occupat,
Necessitate ferreâ abreptum trahit.
Hoc ipse testor. *Bert.* Testor & sensu meo.
Leges amoris indoles nescit pati:
Sibi tamen indit ferreas leges amor.

Servit amor unus, alter imperium tenet.
Imperat amanti, qui ſine meritis amat;
Servit at amanti, qui merita amantis videt.
Tua mihi pectus occupant. En ſervum habes?
Rex imperavit. *An.* Facere quem ſervum valent
Mandata Regis, liberum pulcher ſibi
Jubet amor eſſe. *Ber.* Servitus grata eſt tibi
Servire. *An.* Servum nolo, quem lege eximit
Amor obſequendi. *Ber.* Lege qui ſtringi meas
Sentio medullas. *An.* Quam tibi imponis.
Ber. Tuus (cus,
Quam ſcribit imo in pectore affectus. *An.* Lo-
Tempuſque præſens, legis imperium, facit
Te ſervum; at hora ſubſequens, melior locus
Dominum probabit.
Ber. Fuimus hoc olim! & pudet
Fuiſſe; & eſſe rurſus inferior fugit
Conditio. Servum patere; quod præſens jubet
Fortuna, juſſa Regis, & amoris tui
Imperia. *An.* Non ſi premere fortuna incipit,
Impete perenni degravat. Tragicam aſperat
Quandoque frontem, frontis at rurſum exerit
Innube cœlum. *Ber.* Innube jam cœlum tulit,
Summoque, quem ſperare fortunæ queo,
Repoſuit apice. *An.* Reſtat at melior adhuc
Quo te reponat. *Ber.* Sorte contentus meâ,
Majora fugio. *An.* Sorte contentus tuâ
Merere plura. Sequere: qui votis Deus
Huc uſque favit, vota complebit quoque.

CHO-

CHORVS.

Amoris Victoria.

Tyrannis. Fides Conjugalis.
Duo Amantes.

Arma Furores
Arma levate:
Hoſtis in armis
Funeta ſpirat.
Fid. Ignea Amores,
Arma movete:
Hoſtis apertas
Surgit in iras.
Tyran. Huc, huc Furores.
Fid. Huc, huc Amores.
Quæ cauſa belli?
Tyran. Ut à rebelli
Tollam nocentem.
Fid. Con. Iræ, & furori,
Certæque morti
Dare innocentem
Natura vetat.
Tyran. Mori nocentem
Natura jubet.
Fid. Ajo innocentem,
Quiſquis agente
Peccat amore.
Tyran. Vis perire?
Fid. Vis ferire?
Tyran. Teque, tuoſque

	Uno absumptos
	Funere mergam.
Fid.	Teque tuosque
	Sua peremptos
	Ira necabit.
Tyran.	Arma furores.
Fid.	Arma & Amores.

Congreditur in auris duplex exercitus.

Vincunt Amores.

Fides cum choro.	Ite bella: parta palma est;
	Aura pacis adfluit.
	Ite bella; pax amico
	Spargit ore gratias.
Fides.	Vos amantes in beata
	Ite amoris vincula.
Duo Am.	Nos amamus. *Chor.* Nos amantes
	Illiget concordia.
Duo Am.	Nos amamus. *Chor.* Sit perennis
	Nexus ille cordium!
Duo Am.	Nos amamus. *Chor.* Hoc amore
	Vena manet gratiæ.
Duo Am.	Nos amamus. *Chor.* Hoc amore
	Vita mundi profluit.
Duo Am.	Nos amamus. *Chor.* Astra terris
	Nexus ille vinculat.
Duo Am.	Nos amamus. *Omn.* Sit perennis
	Ille nexus cordium.

ACTVS

ACTVS IV.

Scena Prima.

Præfectus Aulæ, an omnia sint parata ad Natalis diei spectacula, circumspicit.

Præfectus solus.

Tota in triumpho est aula, natalem diem
Obitura Regis, tota plebs æstu pari,
Parique miles omnis in ludos calet.
Quæ vota mente quisque digessit, quibus
Studijs sequatur Principem, in apertum exerit,
Sed quantus aulæ lusibus fucus subest?
In fronte multis gaudij species micat;
Odium in recessu est; quisque vult Regis necem,
Vovere longos fingit ad vitam dies,
Si verba spectes, trahere felicem jubent
Per secla vitam; pace tranquillum diu
Vigere sceptrum; nube mœroris diem
Nullum inquinari: vota si mentis notes,
Sinusque penetres; corde perfidia sedens
Sub fronte amœna Tartarum & Furias tegit.
Sic pura nunquam Regibus veri est fides.
Et tamen amantur, blanda qui fingunt; licet
Totum latente pectore Acheronte tegant.
Rex in propinquo est, ære numeroso tuba
Indicat aulæ festa Natalis joci.

SCENA SECUNDA.

Eduntur Regi Natalitia spectacula à Civibus, Nobilibus, & Militibus.

Præfectus. Rex.

Rex magne Regum, Principum augustum jubar.
Cui populus animos, sidera inclinant faces,
Gaudentque frontem lambere, & sacræ inseri
Capitis coronæ: quando non renuis coli
Studijs tuorum, & publico plausu diem
Istum perire pateris, ad nutus tuos
Frequens ab aula Nobilis, Civis frequens,
Frequensque Miles prodit in scenam, suos
Sensus daturus integræ mentis. Jube:
Commune studium cordium affectuum exeret.

Primum spectaculum Plebis.

Vitam persequitur Tempus : tuetur eam Affectus plebis ; Cui pennas evellit, & stare jubet ad vitam Regis.

Vita. Affectus plebis. Tempus.

Vita infelix! quo sine nequeo
Vivere, ab illo perimor. *Aff.* Quis te
Sorte secundâ dignam, infaustâ
Sorte fatigat? *Vit.* Tempus miseram
Premit à tergo, semperque tonans
Supr ma mihi fata minatur.
Aff. At non perimet. Juro benigni
Sceptra Tonantis, non te perimet.
Vit. Omnia duris legibus arctat,

Co-

Cogitque suis subdi imperijs.
Aff. Omnia duris legibus arctans
Ego frenabo: *Vir.* Quod nemo potest,
Frustrà aggrederi. *Aff.* Quodcunque volet,
Evincet amor. *Vir.* Sed non Tempus
Ecce ut rigidâ falce minatur.
Aff. Siste. Quid horres? Ego dementis
Ictum elidam. *Temp.* Tempore veniunt,
Tempore fugiunt omnia: nostris
Totus paret legibus orbis.
Ego marmoreas exstruo moles,
Ego marmoreas iterum in cinerem
Diruo moles. *Aff.* Ambitioso
Demus id animo. *Temp.* Tempore surgunt
Segetes campis, tempore recidunt.
Aff. Quæ nihil obsunt, jactare sine.
Temp. Tempore hominibus vita advehitur,
Eadem rursus tempore adimitur.
Aff. Falsum est; quando stamina Amores,
Charitesque trahunt. *Temp.* Tempore veniunt,
Tempore fugiunt hominum affectus.
Aff. Falsum est; Ego te! *Temp.* Sæcula & annos
Ego parturio: sæcula & annos
Ego præcipito. *Aff.* Falsum est, bubo;
Sæcula & annos ego produco.
Temp. Quæ lingua dicax obstrepit? *Aff.* Ego te,
Ego te risum populi faciam.
Temp. Ridende puer! *Aff.* Damnande senex!
Temp. Puer imprudens. *Aff.* Delire senex.
Temp. Ego te perimam. *Aff.* Falce obtusâ.
Temp. Qua meto Juvenes, qua carpo senes,

Non luctando, sed fugiendo
Ego te perimam. *Aff.* Nec luctando,
Nec fugiendo poteris punctum
Demere Amori. *Temp.* Si mihi in auras
Penna levatur, tua vita fugit.
Aff. At non poteris tollere pennas.
Temp. Non? non potero? quis prohibebit?
Aff. Ego constringam. *Temp.* Vincula rumpam.
Eheu! teneor! *Aff.* Si potes, auras
Scinde volatu. *Temp.* Teneor, retrahor.
Fortia Amoris vincula fateor.
Aff. Nondum satis est. Forfice vita
Rescinde alas. *Vit. Aff.* Jam si valeas,
Molire fugam. *Temp.* Fortis nimium
Amor est. *Aff.* Ergò, quod mandat Amor
Populi, cessa breviare dies,
Vitæ & longum concede ævum.
Temp. Sentio; quod nec vis ulla potest
Stringere Tempus; tu solus Amor
Vincire potes. Jussa capesso.
Aff. Tardum Regi, lentumque ibis?
Temp. Tardum Regi, lentumque ibo.
Aff. Nec præcipiti cursu ad metam
Rapies vitam? *Temp.* Nec præcipiti
Cursu ad metam rapiam vitam.
Omnes. Hæc est Amoris indoles,
Hæc robur est Amoris:
Tardare cursum Temporis,
Vitamque prorogare.
Rex magne Regum, tempore
Ne metiare vitam!

Sed

Sed subditorum affectibus,
Tuique Amore civis.
Mensura parva est temporis,
Et terminatur horâ.
Non terminatur sæculis
Mensura longa Amoris.

Rex Placuêre vota Civium. Quidquid meis
Supererit annis, vestra libertas suum
Salusque faciet. Lege Rex istâ regit,
Ut prosit. Esse desinit Rex cùm sui
Populi salutem negligit. Nolim mihi
Fluere vel unam labilis vitæ diem,
Nisi fructus ejus commoda in populi fluat.
Sed quam triumpho Nobiles scenam parant?

Spectaculum Secundum.

Nobilitas fugacem Fortunam insequitur, & captivam Regi sistit.

Nobilis. Aulicus. Rex.

Age læta pubes, nobili Augustum choro
Venerare Regem. pulsa numeroso tremat
Tellus resultu: quæque venantûm solet
Fortuna studium ludere; & nulli satis
Constans, furorem & gratiam alternâ vice;
Sine lege, ferre, more venantûm cape,
Captamque Regi siste. *Rex*, Bartena, hîc tuæ
Arena laudi, gratiæ campus meæ
Aperitur. Arte barbiti quidquid vales,
Hîc ede. Regis gratiam in munus feres.

Saltus Fortuna captivata.

Rex Laudem merentur studia, & optatum sui
Regis favorem, Nobilem hanc sortem trahunt

Reges olympo, ut facere felices queant,
Quos fors maligna stravit. Hoc uno velim
Rex esse, sortem Regiam ut possim meos
Partiri in omnes. Martis heroum genus,
Propago bellis clara, quod festum paras?

Spectaculum Tertium.

Fortitudo & Fidelitas, Militum nomine, Regem à furorum impetu defendunt.

Felicitas. Genius Regis. Fortitudo. Fidelitas.

Fel. Felicitati serviunt
Amica Fortitudo,
Et innocens Fidelitas.

Gen. Utrâque sumo tela,
Utrâque bella misceo,
Utrâque plecto lauros.

For. Ego sumo tela dexterâ.

Fid. Ego sumpta non remitto.

For. Ego in furores promo

Fid. Ego opprimo furores.

For. Ego fortiter. *Fid.* Ego fideliter,

Utraque. Victoriam reporto.

Gen. Séd en, furores irruunt,
Ferroque fata torquent.
Quis mihi latus tuebitur?

Fid. Ego latus tuebor.
Nec ante te vel spicula,
Vel arma sauciabunt:
Quàm pectus istud transeant,
Examinentque fibras.

Fel. Fideliter! *Gen.* Tu fortiter!

Fel. A fronte tu resiste.
Gen. Infige telum pectori.
Fel. Preme, eneca, trucida,
Om. Fugêre monstra Tartari,
Lues profusa Averno
Fugêre. *For.* Sic semper solent,
Cùm Fortitudo pugnat.
Om. Fugêre. *Fid.* Sic semper solent,
Fidelitate stante.
Fel. Quiesce Rex: dat integram
Felicitas quietem.
Om. Sic regna semper candida
Felicitas gubernet!
Nec Martis arma mobilem
Regis gravent quietem,
Sic Fortitudo in prælia
Fidelitasque jurent.
Ut tuta sit felicitas,
Quieta sceptra Regis.

Rex Prodiga cruoris pectora, animosi genus
Sublime Martis, cujus in ferro salus
Reposita populi, Regis, & regni sedet;
Fidelitatem pectorum, & robur manûs
Magis videndum Martius campus dedit,
Quàm scena præsens Studia, quæ impendis mihi
Auro rependam. Fortiter fusus cruor
Pro Rege, patria, Cive, pro aris, & focis,
Nil non meretur. Paria virtuti tuæ
Ignique mentis pretia si ferre haud licet,
Saltem fateri debita licebit. Suam
Felicitatem robori debet tuo.

Fideique placidus Imperî nostri status.
Sed jam vacatum plausui & ludo satis.
Moderata durant. Limes adjungit brevis
Gaudia dolore. Parciùs quisquis potest
Frui secundis, poterit & diu frui.
De liberali gaudii fonte ut bibas
Multum; bibendum est parcius. Curis quoque
Hora sua danda est Plausuum quod est super,
Servetur horæ. Persiæ Orator prope est,
Ut fama nunciavit; hic spectet mei
Pompam diei, quemque testatum facit
In nos amorem civis: & demum sciat
Hoc esse regere, Civium affectu frui.

SCENA TERTIA.

Indignatur Gratillus Ansbertam primum inter Ephœbos locum obtinuisse. Florillus simulatè addicit operam suam ad peregrinum hunc juvenem aulá removendum: interim tamen rem Ansberta & Bertulfi promoturus.

Gratillus, Florillus, Charitinus Blandinus.

Funesta Regis pompa! funestâ dies
Nocte obruendus! Ire credebam aureum
Titana cælo: Regiæ invisus fuit
Cometa. *Fl.* Et istud publicos inter jocos?
Inter frementis Regiæ plausus furis?

Gr. Et

Gr. Et tu furoris causa non minima es mei.
Fl Qua parte per me læsus affectus prior?
Gra. Qua parte veteres prodis, atque alios tibi
Fundas amicos. *Cha.* Turbinem emotæ rege
Gratille mentis. *Bl.* Justus in fibras dolor
Agit venenum. *Char.* Corda quod vexat malum?
Gra. Quod mihi, tibiq;, & omnibus crudam necē
Concire possit; vel quod est pejus nece.
Cha. Quis ergò fluctus imminet?
Gra. Qui nos rapit
In brevia, & iram Regis in collum trahit.
Bl. Quæ torquet omnes Cura, te solum latet.
Fl. Latere grande non potest unquam malum;
Neque tamen ullum prodit in apertum tuo
Dolore dignum. *Gra.* Scilicet parvi æstimas
Perdere favorem Regis? *Ch.* Hic constans fluit,
Pronusque in omnes.
Bl. Gratia cùm in unum fluit,
Destituit omnes. *Fl.* Aura sed spirat prior.
Gra. Coacta in unum. *Fl.* Nullus adversam dolet.
Grat. Uni faventem, & extero, cuncti dolent
Ch. Commune quiddam est, Regiæ mentis favor.
Hunc rivo eodem tendere ad plures decet.
Gra. Hoc est, quod animum torquet, atque iram gravi
Inflammat æstu. Debitus cunctis favor
Confluit in unum. Recole, quæ Rex est palam
Testatus: *At tu Regios inter choros,*
Interque Ephœbos primus uteris meo
Favore. Primus? Audiam hoc, & se tepens
Compescat animus? nobilem aut mentem face
Non urat ira? Ignavus est, ignobili

San-

Sanguine creatus quisquis in Regis sinu
Patitur priorem. Fata si tanto malo
Negent levamen, ipse per fas & nefas
Quæram levamen. *Cha.* Lubricum tentas iter,
Præcepsque Regis odia, quæ fugis, vocas.
In te redibit ira. *Gra.* At inimicum opprimet.
Quid deinde metuam pejus? Ubi Regis semel
Rapuit favorem, fecit, ut pejus nihil
Timere possim. Gratiâ amissâ juvat
Etiam perire. *Fel.* Fateor, hoc crimen meum est:
Ego primus illum Regio tecto intuli,
Primus favori Regis objeci, nihil
Gnarus futuri. Quod tamen feci inscius,
Removebo prudens. Mille mihi restant modi
Amoliendi pestis inductæ malum.
Char. His si procellis nostra jactanda est ratis,
Unum perire præstat, atque omnes metu
Carere. Sed qua fraude tollendum putas?
Flor. Quæ nequeat unquam revehi in auctoris
caput.
Est in propinquo Persiæ Orator: ratis
Cum reduce solvet multa: quid vendi vetat
Puerum, & repentè, conscio nullo avehi?
Blan. Suggeris amanda. Mente consilium pari
Studio, silentioque peragamus pari.

SCENA QUARTA.

Ansberta de quærendo in patriam reditu consilia cum Bertulfo confert.

Ansberta. Bertulfus.

Patria est amori: patria me rursum vocat:

Ber-

Bartulfe. Quamvis gratiâ Regis fruar,
Majorque spes affulgeat: quid me juvet
Si, quæ meorum summa votorum est, veter
Patriam videre, & rursum in amplexus dare
Memet meorum?
Bert. Vereor, at surdis cadant
Tua vota ventis. Gratia illecebras habet;
Quæ te moratur, *Ans* Desipit menti favor,
Qui me meorum prohibet amplexu frui.
Bert. Elusa Regis gratia furorem ciet.
Ansb. Furòr est inanis, furere in absentem. *Bert.* Manus
Solet esse longa Regibus. *Ans* Sed quampotes
Velocitate evadere. *Bert.* Incassum fugit,
Qui sibi propinquam semper à tergo trahit
Sequentis iram. Fugere, res facilis quidem est:
At non adire grande discrimen fugâ,
Hoc æstimarem. *Ans.* Sæpe sors favit. *Bert.* Nimis
Et sæpè lusit. Quò suam Reges manum
Porrigere nequeunt, porrigunt iram. *Ans.* Irritam,
Aut longo itinere languidam: quæ non nocet,
Viresquè perdit. Si tuo auxilio, comes
Ductorque euntem fulcias, fugæ via
Secura patuit. *Bert.* Istud in apertam trahet
Utrumque mortem. Si aleam mens est tamen
Subire, vitam debeo & mortem tibi.
Neque me negabo vulneri, si sors ferat;
Ut te innocentem mortis eripiam manu.
Ans. Vel idem utrumque ventus in portum vechat.
Vel idem utrumque fluctus absorptum voret.

SCE-

SCENA QVINTA.

Florillus molimina Gratilli, & Ephœborum aperit Ansbertæ & Bertulfo, seque illorum dolo in horum bonum usurum ostendit.

Florillus. Ansberta. Bertulfus.

Te mihi secundus obvium casus tulit.
Ans. Dextro, an sinistro pellitur ventro ratis?
Flor. Lævus procellam concitat: at isthæc dabit
Procella portum. Sæpe cui placidum mare
Portum negavit, fluctus in portum tulit.
Ansb. Quis ergò nostram ventus in stragem furit?
Flor. Ephœbus omnis. *Ans.* Scelere quo læsus meo?
Fl. Virtute potius *An.* Nemini virtus nocet.
Flor. Nocere credunt. Cursus hic aulæ est: magis
Aliena quemque commoda excruciant; suis
Quàm gaudeat. Si quem aura prosequitur faves,
Invidiæ, & odii turbinem à tergo trahit.
Quem Rex amârit, cæteri oderunt. *Ans.* Favor
In me profusus Regis hoc vulnus facit?
Flor. Tibi salubre.
Ansb. Fare, quid tandem parant?
Fl. Sese queruntur Regis affectu ejici,
Omnem occupari ab extero: Regis fremunt

Sen-

Sententiâ: *At tu Regios inter choros,*
Interque Ephæbos primus u'â'u meo
Favere, Primus: Illud excruciat fibras
Fraudemque in omnem pectus accensum rapit,
Hinc te exulare Regiâ, & abactum procul
Volunt ab aulâ. Causa commissa est mihi,
Ut te implicatum fraude peregrinæ rati
Sistam avehendum.
Ans Hac nempe tu mecum fide?
Etiam innocentem prodis? Hoc merui? Abstine
Scelerate dextram, sanguine aut istud tuo
Satiabo ferrum *Flor.* Siccine fidelem tibi
Excipis amicum?
Ans Proditor! amicum vocas? (quær.
Quem perditum vis? *Flor.* Scire quod cupias lo-
Necdum paratæ terminum fraudis dedi.
Ansb. Te mente fraudes volvere adverto satis.
Fl. Tibi profuturas. *Ans.* Toxicum melle imbuis.
Prodesse nunquam fraus potest. *Fl* Si sit pia?
Patere, ut retexam fraudis instructæ dolos,
Ans. Loquere.
Fl. Salutis sidus hinc faustum micat
Tuæ & tuorum. *Ans* Fare.
Flor. In auctores dolus
Regeretur iste: quodque tibi damnum volunt,
Gaudebis evenisse. *Ans.* Quid nectis moras?
Effare totum *Flor.* occasio hinc pandet viam,
Quâ fugere valeas, quâ suo ereptus jugo
Bertulfus & Florillus, assumptâ simul
Fugâ, redire patriam in terram queant.
Ans. Si fallis? *Fl* In me tota tempestas ruat.

Ans.

Ans Florille, parce, pectoris si quid procax
Peccavit æstus: error à vero avium
Abstraxit animum Mente consilium exige
Bertulfe: quid res, tempus, & locus monet.
Bert Periculosum est fugere, cùm certus fugæ
Necdum videtur exitus. Majus malum
Sequens priore est. Si tamen nautæ fides
Sit certa: si securus ex aulâ exitus,
Occasionem sequere. Quæ furtim venit,
Furtim recedit. Exhibet sese semel;
Neglecta, celerem corripit in auras fugam:
Nec invocata sæpe, reflectit gradum.
Ans. Ergò vigilandum, si qua se nostris via
Votis aperiat. *Flor.* Insolens quidquid tibi
Invidia cudit, serviet nostræ rei:
Sic viso tutus æquor, & navim paro.
Ber. Res ista tenebras poscit, & lucem fugit.
Aperta fraus eluditur; vincit latens.
Ans. Velocitatem junge cautelæ, & cito
Age, quod agendum est. Calida consilia morâ
Vel intepescunt, vel suo damno patent,
Tandemque vi majore in auctorem cadunt.

SCENA SEXTA.

Significatur Regi advenisse Legatum Persicum. Iubet urbis portas recludi. In signum mandati committit Florillo Regium annulum.

Rex. Aulæ Præfectus. Florillus.

Ain', propinquum Persiæ Orator gradum

Ad-

Admovit urbi? *Pra.* Jam sinum portus tenet.
Rex. Sic fama nostrum in exteras mundi plagas
Profert honorem. Nostra Legato obviam
Procedat aula. *Praf.* Magne Rex, urbis fores
Clausæ tenentur. *Rex.* Jubeo recludi, licet
Nox atra cœlo infula velârit diem.
Praf. Non paret ulli miles excubitor *Rex.* Mihi
Obtemperabit. *Praf.* Indicem si das notam.
Rex. Jurata Marti capita commendat fides.
Florille, mentem huc admove. Curæ tuæ
Committo signum, Regiæ gemmam manus,
Solemque digiti. Perge, recludi jube
Portas, & aulæ Regiæ effundi choros;
Gratumque nostros hospitem admitti in lares.
Fl. Tuo obsequentem jussui accelero gradum.
Rex At vos in omnes gratiæ intenti vias
Humanitate capite Legatum. Juvat
Habere amicos Principes, nostros suo
Qui latere tangunt limites. Regni optima
Custodia est, vicinus, & juris tenax,
Fideique Princeps.

SCENA SEPTIMA.

Florillus simulat gaudium de doli ab Ephœbis meditati successu: reipsa de sua, & Ansbertæ felicitate per annulum obtinenda gaudet.

Florillus. Gratillus. Charitinus, Blandinus.

Phœbus optatam trahit

In

In vota lucem! Patuit insidiis iter.
Hæc gemma vigili faciet indubiam fidem:
Hac nauta credet Regis imperium dari.
Grat Florille, perge: perfer ad metam nefas.
Blan A puppe vela blandus impellit Notus.
Cha Fortuna non sperata se sponte ingerit:
Et ipsa gemma tempore utendum monet.
Flor. Age sors; favente cœpta si nutu regis,
Mea vota teneo. Restat extremus doli
Peragendus actus: læta principia exitum
Spondent amatum. *Grat*. Perge: pestiferâ lue
Purgetur aula. Livor occultus nequit
Partem quietis capere, dum videat suum
Hostem perisse. *Fl*. Vos tamen fido sinu
Arcana tegite: facilè se prodit dolus;
Quem livor urget; dumq; reprimitur, magis
Se prodit ipse; & totus in vultum meat.
Gr. Monet hora: casses stringe: jam fera est tua.

SCENA OCTAVA.

Florillus occasionem beneficio annuli Regii evadendi offert Ansbertæ, & Bertulfo; quæ acceptatur.

Flor. llus. Ansberta. Bertulfus, Brunillus.

Placuisse cœlo vota quæ sponte in sinum
Sors liberali commeat fluxu, docet.

Bar-

artena, amamur Numini, & toto obviat
avore cœlum. Vix ſtetit menti fuga
Decreta, jam ſe pandit ad fugam via.
Propenſa cœli ſtudia de gemma lege.
An. Quid ominaris inde? quid confert meis
Hæc gemma votis?
Fl. Regiæ mentis nota eſt.
An. In nos ſecunda? *Fl.* Si velis. *An.* Pendet mea
A mente rerum fluxus? Effare omnia.
Fl. Per iſtud aurum Regis imperium fero,
Ut pateat urbis porta. *Be.* Dum clauſum tenet
Nox furva cœlum? *Fl.* Dum iſta ſe raptu brevi
Evolvit hora. Pignus hoc certum eſt, tuis
Adeſſe Numen rebus, & ſortem ſuo
Nutu rotare. Jam tenes ſortem: cave
Manum remittas. Hora, quæ ſtudijs favet,
Eſt involanda. Negligis? non eſt tuum
Cudere ſequentem. Quæ ſubit, pejor venit;
Et quem prior paravit, evertit ſtatum.
Be. Quid ergo agendum? *Fl.* Cauſa quod præſens monet.
Mecum ite ad urbis exitum: Regis dabo
Mandata Nautis: annulus faciet fidem;
Totoſque ſe fortuna in amplexus dabit.
Br. At ubi ſupellex? vacuus excedes loco
Bartena? *Be.* Amoris cura Brunelle eſt tui
Curare reliqua
Br. Non vides fulmen novum
Hinc imminere? *Fl.* Cura confuſum facit
Anxia timorem. *Br.* Regio efferri ſinent
Arcas penates? *Fl.* Studia quin ipſi ſua
Ope-

Operamque jungunt. Omnia imperio meo
Hæc finge peragi. Vota se credent sua
Tenere; nostra vota felice exitu
Nos submovebunt Regiâ, & regno procul.
Ansb. Sic sors premenda est, quando melioris jubar.
Frontis reducit. *Flor.* Hora non tolerat moras.
Brunelle, jussa perage. Vos mecum maris
Adite portum. Prima qui auspicia dedit,
Dabit supremum rebus eventum Deus.

SCENA NONA.

Intelligunt ex Brunello Ephœbi, jussu Florilli deferenda ad portum Ansbertæ impedimenta: rati dolum suum procedere, operam suam offerunt.

Gratillus. Brunellus. Blandinus.

Brunelle, quó te cura sollicitum rapit?
Br. Ago imperata. *Grat.* Cujus?
Brun. Ah! nolo moras.
Cito obsequendum est. *Blan.* Unico verbo
Quis imperat? *Brun.* Florillus.
Blan. Et quid imperat?
Br Servire. *Gr.* Quò? *Br.* Jam verba reposui duo
Unum petenti. Sinite, quò servum vocat
Amor obsequendi.
Blan. Modica nil perdit mora:

Effa-

Effare, quid Florillus explendum jubet?

Brun. Ad littus arcam ferre Bartenæ jubet.

Grat. Quid inde? *Brun.* Dixi jam omnia.

Blan. Et nihil amplius

Brun. Nihil *Grat.* Obsequentem nulla jam retinet mora.

Ipse obsequentis studia, & animosam fidem
Ope promovebo. Perge: præeuntem sequar.
O nos beatos! Rapitur Augusti è sinu,
Qui possidebat gratiæ fontem; & locum
Eliminatis reddit. I, fruere tuo
Bartena honore, fruere Regali diu
Favore. *Iam tu regies inter choros,*
Interque Ephebos primus Augusti uteris
Favore. *Bl* Sic fraus fraude delusa est bene:

SCENA DECIMA.

Legatus Persiæ Vrbem ingreditur, & ad aulam deducitur.

Legatus. Præfectus Aulæ.

Optata teneo tecta, & Augustos lares
Adoro Regis. Antè me decuit tuis
Adesse festis, quam tenebroso polum
Caligo peplo involveret; sed me Notus
Adversus Euro tenuit & posuit moras
Cupidis volare carbasis: votis tamen
Impulsa navis, antequam fessum sopor
Opprimeret aulam, tenuit optatum sinum.

Pref. In nostra lætus vota se vesper rotat.
Qando ad triumphi gloriam accedunt tui
Regis favores. *Leg.* Debet hoc Regis tui
Pari favori. Quando vicinos tenet
Pax alta Reges, alter alterius bonum est,
Et murus alter alteri est. Pactis fides
Quos sancta stringit, illa collatis jubet
Favere votis. Monuit Augusti dies
Natalis (hæc ut fœdere arctentur novo
Imperia) veterem munere, & voto, & fide
Testari amorem. Liceat affatu tuum
Regem vereri, modica dum fessos quies
Relevârit artus. *Pref.* Dabitur optatis frui.
Succede sedi Regiæ, ubi melior locus
Suadet quietem.

SCENA VNDECIMA.

Ansberta & Bertulfus cum suis navi elabuntur.

Ansberta Bertulfus.

Pars quota retrusa est maris?
Ber Adhuc cacumina turrium apparent procul.
Insiste remis: iste non omni vacat
Locus periclo. Parva dum mora adhuc potest
Nocere, nulla Nereo danda est mora.
Jam jam recedunt littora, & quidquid vides,
Cœlum est & unda *Ans* Sed tamen toto juvat
Distare ponto. *Ber.* Nisi meum vanus metus
Illudit animum, ponè regalis ratem

Iam

Impellet ira, nosquè supremo sacras
Quæret furori victimas. Nemo dolis
Impunè Reges lusit. Urgendæ manus
Sunt in labores, donec adversam maris
Teneamus oram.
Ans. Pergite, & ventus favet
Et unda votis. *Bert.* Qui dedit cœptis bona
Auspicia, fine statuet optato Deus.

CHORVS.

Dum triumphanti Fidei Conjugali insultant Furores, audaciam præcipitio luunt.

Fides, Duo Amantes Furores.

F. d. Amant Triumphus est Amoris,
Occasus est furoris,
Exordium est honoris.
Fid. Amant. 2. Depone velum,
Frontisque bellum
Ostende cœlum
Fid. Videre te desiderat.
Am. 2. Desidero!
Am. 1. Quem credis esse?
Am. 2. Jocos facesse.
Amore cultum
Ostende vultum.
Fid. Videre te desiderat.
Am. 2. Desidero!

Pref. In nostra lætus vota se vesper rotat.
Qando ad triumphi gloriam accedunt tui
Regis favores. *Leg.* Debet hoc Regis tui
Pari favori. Quando vicinos tenet
Pax alta Reges, alter alterius bonum est,
Et murus alter alteri est. Pactis fides
Quos sanctis stringit, illa collatis jubet
Favere votis. Monuit Augusti dies
Natalis (hæc ut fœdere arctentur novo
Imperia) veterem munere, & voto, & fide
Testari amorem. Liceat affatu tuum
Regem vereri, modica dum fessos quies
Relevârit artus. *Pref.* Dabitur optatis frui.
Succede sedi Regiæ, ubi melior locus
Suadet quietem.

SCENA VNDECIMA.

Ansberta & Bertulfus cum suis navi elabuntur.

Ansberta Bertulfus.

Pars quota retrusa est maris?
Ber Adhuc cacumina turrium apparent procul.
Insiste remis: iste non omni vacat
Locus periclo. Parva dum mora adhuc potest
Nocere, nulla Nereo danda est mora.
Jam jam recedunt littora, & quidquid vides,
Cœlum est & unda *Ans* Sed tamen toto juvat
Distare ponto. *Ber.* Nisi meum vanus metus
Illudit animum, ponè regalis ratem

Iam

Impellet ira, nosquè supremo sacras
Quæret furori victimas. Nemo dolis
Impunè Reges lusit. Urgendæ manus
Sunt in labores, donec adversam maris
Teneamus oram.
Ans. Pergite, & ventus favet
Et unda votis. *Bert.* Qui dedit cœptis bona
Auspicia, fine statuet optato Deus.

CHORVS.

Dum triumphanti Fidei Conjugali insultant Furores, audaciam præcipitio luunt.

Fides, Duo Amantes Furores.

Fid. Amant Triumphus est Amoris,
Occasus est furoris,
Exordium est honoris.
Fid. Amant. 2. Depone velum,
Frontisque bellum
Ostende cœlum
Fid. Videre te desiderat.
Am. 2. Desidero!
Am. 1. Quem credis esse?
Am. 2. Jocos facesse.
Amore cultum
Ostende vultum.
Fid. Videre te desiderat.
Am. 2. Desidero!

Am. 1. Cito patere,
Via est dolori.
Am. 2. Diu latere,
Mors est amori.
Fid. Videre te desiderat.
Am. 2. Desidero!
Am. 1. Nunquam est amor absque timore.
In regno Amoris
Ardet severi
Rogus doloris;
Urgentque veri
Minæ timoris,
Fid. Nunquam est amor absque dolore.
Am. 1. Nunquam est amor absque favore
In regno amoris
Deus tuetur:
Procul doloris
Vis amovetur;
Et lis furoris.
Fid. Nunquam est amor absque favore.
Furor. Quousque scindimur
Vano furore?
Am. 2. En, quæ perennitas
Est gaudiorum?
Furor. Quousquè findimur
Pectus dolore?
Fid. Nunquam est amor absquè favore.
Am. 2. En, quæ serenitas
Est nubilorum?
Fid. Nunquam est amor absque favore.
Fur. Arma paremus.

Fid.

Fid. Arma redundam
Fur. Tela rotemus.
Am. 1. Tela refundam,
Fur. Involabo.
Am. 2. Fulminabo,
Fur. Ite furores.
Fid. State Amores,
Am. Fulmina cœlum
Fur. Heu! grave telum.
Fid.D.A. Nunquam est amor absque favore.
Contra nocentes
Ut tela jactat,
Sic innocentes
Favore lactat,
Fovetque Numen.
Nunquam est amor absque favore.

ACTVS V.

Scena Prima.

Legatus Persiæ deponit sui Regis officia apud tyrannum: cui præsentat sex Paredros. Ad hunc recreandum jubet Rex acciri (Ansbertam) Bartenam

Legatus. Rex.

Solimanne, Regum gloria, Deorum nepos,
Fraterque Solis: Persiæ orator tuos

Ans Florille, parce, pectoris si quid procax
Peccavit æstus: error à vero avium
Abstraxit animum. Mente consilium exige
Bertulfe: quid res, tempus, & locus monet.
Bert Periculosum est fugere, cùm certus fugæ
Necdum videtur exitus. Majus malum
Sequens priore est. Si tamen nautæ fides
Sit certa: si securus ex aulâ exitus,
Occasionem sequere. Quæ furtim venit,
Furtim recedit. Exhibet sese semel;
Neglecta, celerem corripit in auras fugam:
Nec invocata sæpe, reflectit gradum.
Ans. Ergò vigilandum, si qua se nostris via
Votis aperiat. *Flor.* Insolens quîdquid tibi
Invidia cudit, serviet nostræ rei.
Sic viso tutus æquor, & navim paro.
Ber. Res ista tenebras poscit, & lucem fugit.
Aperta fraus eluditur; vincit latens.
Ans. Velocitatem junge cautelæ, & cito
Age, quod agendum est. Calida consilia morâ
Vel intepescunt, vel suo damno patent,
Tandemque vi majore in auctorem cadunt.

SCENA SEXTA.

Significatur Regi advenisse Legatum Persicum. Iubet urbis portas recludi. In signum mandati committit Florillo Regium annulum.

Rex. Aulæ Præfectus. Florillus.

Ain', propinquum Persiæ Orator gradum

Ad-

Admovit urbi? *Præ.* Jam sinum portus tenet.
Rex. Sic fama nostrum in exteras mundi plagas
Profert honorem. Nostra Legato obviam
Procedat aula. *Præf.* Magne Rex, urbis fores
Clausæ tenentur. *Rex.* Jubeo recludi, licet
Nox atra cœlo infula velârit diem.
Præf. Non paret ulli miles excubitor *Rex.* Mihi
Obtemperabit. *Præf.* Indicem si das notam.
Rex. Jurata Marti capita commendat fides.
Florille, mentem huc admove. Curæ tuæ
Committo signum, Regiæ gemmam manus,
Solemque digiti. Perge, recludi jube
Portas, & aulæ Regiæ effundi choros;
Gratumque nostros hospitem admitti in lares.
Fl. Tuo obsequentem jussui accelero gradum.
Rex At vos in omnes gratiæ intenti vias
Humanitate capite Legatum. Juvat
Habere amicos Principes, nostros suo
Qui latere tangunt limites. Regni optima
Custodia est, vicinus, & juris tenax,
Fideique Princeps.

SCENA SEPTIMA.

Florillus simulat gaudium de doli ab Ephœbis meditati successu: reipsa de sua, & Ansbertæ felicitate per annulum obtinenda gaudet.

Florillus. Gratillus. Charitinus, Blandinus.

Phœbus optatam trahit

In vota lucem! Patuit insidiis iter.
Hæc gemma vigili faciet indubiam fidem:
Hac nauta credet Regis imperium dari.
Grat Florille, perge: perfer ad metam nefas.
Blan A puppe vela blandus impellit Notus.
Cha Fortuna non sperata se sponte ingerit:
Et ipsa gemma tempore utendum monet.
Flor. Age sors; favente cœpta si nutu regis,
Mea vota teneo. Restat extremus doli
Peragendus actus: læta principia exitum
Spondent amatum. *Grat.* Perge: pestiferâ lue
Purgetur aula. Livor occultus nequit
Partem quietis capere, dum videat suum
Hostem perisse. *Fl.* Vos tamen fido sinu
Arcana tegite: facilè se prodit dolus,
Quem livor urget; dumq; reprimitur, magis
Se prodit ipse; & totus in vultum meat.
Gr. Monet hora: casses stringe: jam fera est tua.

SCENA OCTAVA.

Florillus occasionem beneficio annuli Regii evadendi offert Ansbertæ, & Bertulfo; quæ acceptatur.

Flor. Rus. Ansberta. Bertulfus, Brunillus.

Placuisse cœlo vota quæ sponte in sinum
Sors liberali commeat fluxu, docet.

Bar.

Bartena, amamur Numini, & toto obviat
Favore cœlum. Vix stetit menti fuga
Decreta, jam se pandit ad fugam via.
Propensa cœli studia de gemma lege.
An Quid ominaris inde? quid confert meis
Hæc gemma votis?
Fl. Regiæ mentis nota est.
An In nos secunda? *Fl.* Si velis. *An.* Pendet mea
A mente rerum fluxus? Effare omnia.
Fl. Per istud aurum Regis imperium fero,
Ut pateat urbis porta. *Be.* Dum clausum tenet
Nox furva cœlum? *Fl.* Dum ista se raptu brevi
Evolvit hora. Pignus hoc certum est, tuis
Adesse Numen rebus, & sortem suo
Nutu rotare. Jam tenes sortem: cave
Manum remittas. Hora, quæ studijs favet,
Est involanda. Negligis? non est tuum
Cudere sequentem. Quæ subit, pejor venit;
Et quem prior paravit, evertit statum.
Be. Quid ergo agendum? *Fl.* Causa quod præsens monet.
Mecum ite ad urbis exitum: Regis dabo
Mandata Nautis: annulus faciet fidem;
Totosque se fortuna in amplexus dabit.
Br. At ubi supellex? vacuus excedes loco
Bartena? *Be.* Amoris cura Brunelle est tui
Curare reliqua
Br. Non vides fulmen novum
Hinc imminere? *Fl.* Cura confusum facit
Anxia timorem. *Br.* Regio efferri sinent
Arcas penates? *Fl.* Studia quin ipsi sua

Ope-

Operamque jungunt. Omnia imperio meo
Hæc finge peragi. Vota se credent sua
Tenere; nostra vota fœlice exitu
Nos submovebunt Regiâ, & regno procul.
Ansb. Sic sors premenda est, quando melioris jubar.
Frontis reducit. *Flor.* Hora non tolerat moras.
Brunelle, jussa perage. Vos mecum maris
Adite portum. Prima qui auspicia dedit,
Dabit supremum rebus eventum Deus.

SCENA NONA.

Intelligunt ex Brunello Ephœbi, jussu Florilli deferenda ad portum Ansbertæ impedimenta: rati dolum suum procedere, operam suam offerunt.

Gratillus. Brunellus. Blandinus.

Brunelle, quó te cura sollicitum rapit?
Br. Ago imperata. *Grat.* Cujus?
Brun. Ah! nolo moras.
Cito obsequendum est. *Blan.* Unico verbo
Quis imperat? *Brun.* Florillus.
Blan. Et quid imperat?
Br. Servire. *Gr.* Quò? *Br.* Jam verba reposui duo
Unum petenti. Sinite, quò servum vocat
Amor obsequendi.
Blan. Modica nil perdit mora:

Effa-

Effare, quid Florillus explendum jubet?
Brun. Ad littus arcam ferre Bartenæ jubet.
Grat. Quid inde? *Brun.* Dixi jam omnia:
Blan. Et nihil amplius
Brun. Nihil *Grat.* Obsequentem nulla jam retinet mora.
Ipse obsequentis studia, & animosam fidem
Ope promovebo. Perge: præeuntem sequar.
O nos beatos! Rapitur Augusti è sinu,
Qui possidebat gratiæ fontem; & locum
Eliminatis reddit. I, fruere tuo
Bartena honore, fruere Regali diu
Favore *Iam tu regies inter choros,*
Interque Ephebos primus Augusti uteris
Favore. *Bl.* Sic fraus fraude delusa est bene:

SCENA DECIMA.

Legatus Persiæ Vrbem ingreditur, & ad aulam deducitur.

Legatus. Præfectus Aulæ.

Optata teneo tecta, & Augustos lares
Adoro Regis. Antè me decuit tuis
Adesse festis, quam tenebroso polum
Caligo peplo involveret; sed me Notus
Adversus Euro tenuit & posuit moras
Cupidis volare carbasis: votis tamen
Impulsa navis, antequam fessum sopor
Opprimeret aulam, tenuit optatum sinum.

Pref. In nostra lætus vota se vesper rotat,
Qando ad triumphi gloriam accedunt tui
Regis favores. *Leg.* Debet hoc Regis tui
Pari favori. Quando vicinos tenet
Pax alta Reges, alter alterius bonum est,
Et myrus alter alteri est. Pactis fides
Quos sanctis stringit, illa collatis jubet
Favere votis. Monuit Augusti dies
Natalis (hæc ut fœdere arctentur novo
Imperia) veterem munere, & voto, & fide
Testari amorem. Liceat affatu tuum
Regem vereri, modica dum fessos quies
Relevârit artus. *Pref.* Dabitur optatis frui:
Succede sedi Regiæ, ubi melior locus
Suadet quietem.

SCENA VNDECIMA.

Ausberta & Bertulfus cum suis navi elabuntur.

Ansberta. Bertulfus.

Pars quota retrusa est maris?
Ber. Adhuc cacumina turrium apparent procul.
Insiste remis: iste non omni vacat
Locus periclo. Parva dum mora adhuc potest
Nocere, nulla Nereo danda est mora.
Jam jam recedunt littora, & quidquid vides,
Cœlum est & unda. *Ans.* Sed tamen toto juvat
Distare ponto. *Ber.* Nisi meum vanus metus
Illudit animum, ponè regalis ratem

Impellet ira, nosquè supremo sacras
Quæret furori victimas. Nemo dolis
Impunè Reges lusit. Urgendæ manus
Sunt in labores, donec adversam maris
Teneamus oram.
Ans. Pergite, & ventus favet
Et unda votis. *Bert.* Qui dedit cœptis bona
Auspicia, fine statuet optato Deus.

C H O R V S.

Dum triumphanti Fidei Conjugali insultant Furores, audaciam præcipitio luunt.

Fides, Duo Amantes Furores.

F. d. Amant. Triumphus est Amoris,
Occasus est furoris,
Exordium est honoris.
Fid. Amant. 2. Depone velum,
Frontisque bellum
Ostende cœlum
Fid. Videre te desiderat.
Am. 2. Desidero!
Am. 1. Quem credis esse?
Am. 2. Jocos facesse.
Amore cultum
Ostende vultum.
Fid. Videre te desiderat.
Am. 2. Desidero!

Fid. Arma redundam
Fur. Tela rotemus.
Am.1. Tela refundam,
Fur. Involabo.
Am.2 Fulminabo,
Fur. Ite furores.
Fid. State Amores.
Am. Fulmina cœlum
Fur. Heu! grave telum.
Fid.D.A. Nunquam eſt amor abſque favore.
Contra nocentes
Ut tela jactat,
Sic innocentes
Favore lactat,
Fovetque Numen.
Nunquam eſt amor abſque favore.

ACTUS V.

SCENA PRIMA.

Legatus Perſiæ deponit ſui Regis officia apud tyrannum: cui præſentat ſex Paredros. Ad hunc recreandum jubet Rex acciri (Ansbertam) Bartenam

Legatus. Rex.

Solimanne, Regum gloria, Deorum nepos,
Fraterque Solis: Perſiæ orator tuos

Regat arma juvenum.

Chorea Pharedorum.

Magna non dubiis notis
Juvenum videtur indoles, magnus patrum
Manasse in animos sanguis & quidam poli
Fulsisse genius. Quo sit in precio mihi
Tam scita soboles, molle documentum dabo.
Amabo in istis Persiam, & nostri indicem
Edam favoris tesseram. *Leg.* Si quid jubes,
Habes paratum nutibus Persam tuis.
Rex Hoc jubeo: vivat debiti semper memor,
Fidelitatis certus, & pacti tenax.
Abi in recessus, hora dum ad cœnam vocet.

Scena Secunda.

Bartenam (Ansbertam) vocatum non comparuisse indignatur Rex: fugisse cum Bertulfo & Florillo intelligit, Irâ exasperatus jubet omnes captivos occidi; & navim, quæ fugientes insequatur, expediri.

Rex Præfectus Aulæ. Gratillus,

Sic nempe colimur! nostra sic promptos tenent
Imperia Ephœbos? *Gra.* Culpa si fecit reos,
Habes furori obnoxios. *Rex* Jussi jocis
Bartenam adesse: vah pudor! sic me puer

Observat? istâ lege reclusi sinum
Amoris & favoris, ut liber sua
Placita sequatur, negligat Regem, exteris
Prostituat aulam? Nempe legatus sciet,
Quæ disciplina Regiæ nostræ, suis
Quæ cura Regis: jussibus quantum meis
Sit pondus: Atque hoc Juvenis impunis ferat?
Bartenam adesse jubeo, ut indigni ferat
Supplicia sceleris. *Pra.* Ante quæsitus diu,
Nusquam est repertus. *Rex.* Quò tulit bardus pedem?
Pra. Fugisse narrant. *Rex.* Quis? cui? quò? quâ viâ?
Pra. Elapsus urbe. *Rex.* Quis per occlusas fores
Inauspicatam pandere est ausus viam?
Pra. Florillus. *Rex.* Huic concredidi gemmam manus,
Pra. Abusus illâ est *Rex.* Quô dolo?
Pra. Quô se rati
Dedit avehendum. *R.* Scire me cuncta addecet.
Evolve seriem. *Pra.* Magne Rex, digiti decus
Gemmam dedisti, ut indice hoc urbis fores
Pandere juberet. Jussit at eâdem quoque
Turpiter abusus; navitam & pinum suæ
Fugæ paravit. Credidit doli inscius
A te juberi hoc nauta, & avectum procul
Quâ sistet orâ, littore, aut portu, haud liquet.
Rex Florillus etiam? *Pra.* Fugit, ac una abstulit
Illum sepulcrâ nuper emissum specu
Bertulsum *Rex* Amori reddis hoc nostro
Nostro hoc favori? Nempe non cauti sumus,
Quoties favemus. Gratiam ingrati ferunt,

Et

Et negliguntur merita. Sic fraudes amor
Cæcus subornat. Parte quâ capimur, capi
Meremur. Alto carcerum quotquot lacu
Teguntur, unâ strage concisi, impium
Mergant Averno spiritum & totum gregem
Absumat Orcus. Ite; sic probrum juvat
Eluere primum, ne alteri pateat via.
Gratille Tiphyn ocyus jube insequi.
Urge remes trahere captivos, mihi
Sisti ad tribunal. Sentiant quam sit gravis
Regum ira, quanda læsa majestas furit.

SCENA TERTIA.

Gratillus ex proposito lentè ad portum tendit jussam navim expediturus, ut evadendi spacium Ansbertæ concedat; quam abesse desiderat.

Gratillus solus.

Regi obsequendum est: hora sed danda est fugæ.
Lentè parari hæc jussa nil Regi officit;
Mihi, meisque plurimum confert. Cito
Eadem parari jussa, nil Regem juvat.
Mihi, meisque plurimùm sociis nocet.
Hoc imperantis jussui Regis dabo,
Ut expedisse jussa Gratillum sciat.
Bartenæ & istud gratiæ extremum dabo, ut
Non impeditus fugiat. At mihi hoc quoque

Accedet inde commodi, ut caream æmulo.
Abesse quem desidero. nolim ut celer
Nauta assequatur. Mentiar celeri tamen
Mandata vento currere, atque Austro levem
Certare pinum. Regiæ hos mores amant.
Quicunque ad aulam tendis, & mente arduos
Captas honores, disce mentiri. Nisi
Hac arte superes, æmulo risum dabis.

SCENA QUARTA.

Navis quæ fugientes insequitur, tempestate absorbetur

Præfectus Prætorii, Nauta.

Nolente eundum est æthere: elisis tonant
Fulminibus auræ, prælia exercent Noti;
Et tamen eundum est.
Na. 1. Pontus insurgit gravi
Motus procellâ. *Na.* 2. Turbo dubitantis latus
Utrumque navis tundit, & lethum minax
Intentat oculis. *Præ.* Quærimus, quem non lic
Cœlo vetante consequi. Fulmen cremet
Impia jubentem! Cardine evulsus polus,
Compage fractâ mundus in collum ruat.
Na. 1. Superant furores: latera jam navis crepan
Præf. A fronte scopulus, fluctus à tergo, dies
Extinctus, astra nocte tumulata: omnia
Nostram in ruinam sidera & portum cient.
Na. 2. Juvat perire.
Na. 1. Quando vis superat maris

Dand

Danda est furentis Æoli arbitrio ratis.
Pr. Heu! innocentem fata Bartenam probant,
Regem nocentem. Luimus alienum scelus.

SCENA QVINTA

Bertulfus littore potitus, multis simulatæ adhuc Ansbertæ suam in Ansbertam indignationem exponit. Respiciunt procul venientem navim. Ansberta se in silvam subducit. Bertulfus explorat, an sit hostilis.

Ansberta Bertulfus.

Bertulfe, arenâ constitit tutâ salus?
Exæstuansque Regis insani furor,
Longè remotus irritas flaminis agit.
Hic se benignæ silva, post timidam fugam,
Pandit quieti. *Ber.* Favit innocuis Deus:
Utinam & futuris faveat,
Ans In plenum diem;
Bertulfe venies Patrios jam te lares
Amica capita, & conjugem amplecti licet.
Ber O triste nomen conjugis! Non est mea,
Nihil illa meruit, nisi odium æternum, & mei
Jacula furoris. *Ans*, Est tamen conjux tua.
Ber Non est: amorem in conjugem posuit prior.
Ans. Conjux maritum non amet?
Ber. Amores probat
Fortuna pejor. *Ans* Doluit ærumnis tuis,

Bert Nescire voluit mersa deliciis suis,
Quæ sors maritum premeret.
Ans. Et nulla nota
Testata amorem? *Bert* Quæ magis odium sapit.
Scintilla si vel unica agnatum sei is
Animum cremabat, decuit ærumnis meis
Ope subvenire. *Ans.* Decuit. Et nullum dedit
Misero levamen? *Bert.* Quale sperari impio
Ab hoste posset. Pagina affectum improbæ
Testis loquatur. *Ans.* Ista non tepidum notant
Amoris ignem. *Bert.* Verba si affectum probent.
Factis amor probandus est. Qui nil agit,
Ut verba amico nectare & melle illinat,
Simulat amorem. Verus in factis micat.
Audi tenorem paginæ & amorem lege.
Sed parce conjux ista meditantem, vetant
Abire amici: certa quæ castus pudor
Pericla adiret, sexus & belli rei
Impar petita robur. Affectum tenes.
Hoc est amare? *Ans.* A fœmina quid plus petis?
Bert. Venire decuit.
Ansb. Non potuit. *Bert.* Amor potest
Majora, quàm se posse confidat. Velit.
Superata causa est. *Ans.* Velle quid prodest, ubi
Valere non est? Optima voluntas cadit,
Ubi vim facultas denegat. Nec tu velis,
Si charam amabas conjugem, ut castus pudor
Pericla adiret. *Bert.* Si domi puras nives
Servaret. Alios miscuit pridem meo
Amori amores.
Ans. Istud haud constat. *Bert.* Sat est

Cessisse patrijs laribus adeundi suum
Specie maritum, nec tamen sese suo
Unquam stitisse conjugi: proprio, sat est,
Testante calamo, conjugi adventum suum
Negâsse. Demus fœminæ imbelli, arduo
Timore victam: sed quid è nostris pedem
Laribus coëgit ferre: quid alias vagam
Invisere urbes? Fida quæ viro est suo,
Latere mavult. *Ans* Fida quæ viro est suo.
Necessitate victa, quò tulerit amor,
Prodit in apertum. Suspicax res est amor;
Et sæpè ficto decipit amantem metu.
Quam reris hostem, senties magis tui
Bertulfe amantem
Bert. Nolo, nec posthac feram
Megære amari. *An.* Ista odia majorem ingerent
Amoris æstum. *Bert.* Sede depulsus semel
Amor redire nescit *An.* Heu! nostræ fugæ
Intenta navis ultimo excidio venit.
Bert Exue timores. Ista quid possit manus,
Dabo experiri Tu prior letho tuam
Vitam obtulisti, vita truculento mea
Ne caderet ense. Quidquid est animæ super,
Quidquid cruoris; debeo, & promptus dabo,
Ut nulla te pericula assultu premant.
An. An errat oculus? Navis à prora obvium
Prospectat austrum; puppe borealem trahit
In vela ventum?
Bert Barbari nihil hæc vehit.
An Adnatat arenæ. *Bert.* Si times latebras pete.
An. Non cedam arenâ. Te duce timendum est
nihil,

Be. Jam constitêre littore, & subeunt nemus:
Nescio, quod animus grande præsagit bonum
Prohibetque pavido concuti pectû metu.
An. Adsunt. *Be.* Resiste.
An. Pace si liceat tuâ,
Hîc sub virentem nemoris arcani domum
Secedo. *Be.* Cede.

SCENA SEXTA.

Adveniunt ex Germania Mercatores, e quibus Bertulfus multa de patria, mult intelligit de Ansberta; quam suo indignam amore pronunciat.

Bertulfus. Mercatores.

- - Quo solo, aut mundi plagâ
Huc iter amici? qui genus? amicum gradum,
An fertis hostem? *Me.* Pace gaudemus. Viam
Abusque Boreâ trahimus: Alemannum solum
Quà lambit undâ Rhenus, & sese gravis
Coloniam usque volvit ingente alveo.
Be. O dulce nomen patriæ! Colonia,
O suave nomen! quis inibi est rerum status?
Me. Ad vota prosper.
Be. Principem nullum intulit
Libitina tumulo? *Me.* Numine secundo trahunt
Auras faventes. Unus aut vivit malè
Inter catenas; ultimum aut forsan diem
Captivus obijt, carcerum absumptus situ,
Bertulfus. *Be.* Istud fama Germanis canit?
Me.

Me. Et quisque credit.
Pe Fallitur quisque. *Me.* An virum
Superesse credam? *Be.* Libernm, & suo erutum
Pœdore. *Me.* Forsan liberum emisit specu
Gladius resecto capite?
Be. Quem coram vides,
Bertulfus ipse est. Vivus & sospes meis
Malis supersum. *Me* An umbra Bertulfi? an magis
Bertulfus ipse es? *Be* Vera vos species movet;
Bertulfus adsum. *Me* Patere, ut amplexus tuos
Princeps petamus. Sanguinem nostrum, genus
Nostrum veremur. *Be* Nostra qui vivit domus?
Me Deserta, lacrymis obsita, exhausta, & tui
Amore tabida, conjugem postquam tuam
Amor avocavit conjugis. *Be.* Non est mea:
Vel nomen ipsum conjugis acerbo premit
Animum dolore. *Me.* Fama si verum canit,
Muliere major facinus aggressa est viri.
Be. Quid fama narrat? *Me* Conjugis tractam sui
Amore, ventis vela, Neptuno ratem
Dedisse, ut inter Barbaros vinctum, & cavâ
Turri sepultum conjugem erueret. *Be.* Diu
Patriæ relictis laribus inscendit mare?
Me. Duodena cursu Luna dimensa est polum.
Be. Nunquam revisit patriam?
Me. Nunquam. *Be.* Mare
Subiisse certò constat? *Me* Indubia est fides.
Be Bertulfe, quantum suspicax mentem tibi
Rotavit error! Fateor; erravi, fides
Si certa verbis. Integrum Phœbus polo
Excurrit annum; Ansberta sed necdum suos

Ber-

Bertulfo amores attulit *Me.* Res est latens,
Verus amor. *Be.* Et velox simul. Forsan mari
Absorpta perijt? Cœlites! nostro hoc malum
Capite amovete! Capta fortassis specu
Jacet profundo condita, & lacrymis sui
Deflet catenas conjugis. Nondum satis
Concidit iniquâ sorte Bertulfus, nisi
Fatalis etiam fluctus Ansbertam opprimat!
Me. Bertulfe, mentem lege rationis rege:
Spes nondum adempta est: poteris Ansbertâ frui.
Be. Nullis amicos literis sortem suam
Dextram aut sinistram docuit?
Me. Auditum nihil.
Be. Causata sexum, monita amicorum, nives
Casti pudoris, paginâ suâ negat
Adesse posse; patriam terram tamen
Deserit, & alio vela committit mari.
Non est amore digna Bertulfi; mea
Non est. Amorem in conjugem simulat; suos
Sequitur amores. Patrâ à terrâ procul
(Vetat pudor proferre) sine comite, sine
Custode lateris, conjugis specie sui
Evinculandi, amore simulato movet.
Et quô? tacendum est. Viscera erodit dolor.
Subeamus umbram nemoris; ubi fessos recens
Aspiret aura, & turbidas mentis mihi
Larvas serenet. - -

SCENA SEPTIMA.

Ansberta, vi amoris superante, statuit suo se Bertulfo manifestare.

Ansberta. Brunellus.

- - Hactenus larvam tulit
Occultus ardor. Teximus, qui vix tegi
Potest, amorem: nostra conditio, locus,
Tempus poposcit. Fabulæ ad finem ultimum
Pandenda scena est. Non potest ultrà tegi,
Qui rumpit animum, quique se profert, amor.
Dum nil timendum est, postulat amoris calor
Lucem videre publicam Video meum,
Meum & fateri conjugem nondum velim?
Ponenda larva est Flamma, quæ pectus cremat,
Incendiorum more violentum obicem
Disjicit, avara cernere, & cerni simul.
Brunelle, superor.
Brun. Decolor vultûs, satis
Sub fronte lusit Conjugem alienâ: tuam
Tandem resume: Gratiam tulit hactenus
Assumpta species: animus alternâ vice
Jam per dolores agitur & amores. Subit
Metus subinde; rursus expulso metu
Effervet ira: dumque suspendis tuos
Aperire vultus, intimis gravem imprimis
Plagam medullis.
Ansb. Sit satis larvæ hactenus,
Præque fraudis; tutà jam veram potest
Ansberta frontem prodere. Huc veteres mihi
Notas amoris. Lingua quod fari nequit,
Bertulfi imago prodat, armillæ, & chelys.
Loquantur ista, quod amor Ansbertam vetat,
Jam præliquescit gaudio pectus suo,
Et de virili fronte Bartenæ emicat

Ans-

Ansberta; jamque in fœminam rursus migra
Urgente amore. Prima conjugij fides
Usque huc probata, quam pio affectu intimum
Subibit animum! fronte quâ cernet piam
Fraudem retectam! Da chelym, ut modicum
Præludam amori. - - (m

Scena Vltima.

Ansberta suo tandem se Bertulfo manifesta & pius conjugalis amoris dolus detegitur.

Mercatores. Ansberta. Bertulfus.

Primus - - Evanuit, quidquid mali
Sors machinata est: nunc voluptati novæ
Concede mentem.
Be. Quæ voluptatis queat
Recreare stilla, conjugis quando grave
Oculis oberrat facinus, & mentem novo
Semper dolore saucia? *Secund.* Non est nocens
Sed est nocenti similis.
Be. O probrum domûs!
Indigna tanto conjuge; indigna & meo
Posthac amore. Quid audio? vindex meæ
Unice salutis, cujus in manu stetit
Bertulfus, & quod sanguinis superest mei,
Hic est amici, cujus auspicijs neci
Caput hoc ademptum est: cujus artifice man
Est mitigatus Regis accensi furor;
Amante cujus fraude Bertulfus suæ
Morti est superstes: quidquid est vitæ super,
Qui

Quidquid cruoris, spiritûs, donum est tuum,
An Bertulfe laudes parciùs nostras cane.
Deus profundo carcere exemit: Dei
Est vita munus: Si quid accessit mea
Ab arte, amoris debitum obsequium fuit.
Be. Hoc est quod animum flectit, & amorē meum
In te retorquet; quoque me cogis p am
In servitutem *An.* Tolle non fa sti sonum
Nominis. Amantes vinculum stringit quidem,
Non servitutis *Be.* Servitus magna est amor.
An. Sed libera simul: Vinculo hoc stringar, licet.
Sed etiam amorem redde cui debes.
Be. Cui? (rapis.
An. Ansbertæ. *Be.* Amorem quando tu totum
Nil dividendum restat Ansbertæ. *An* Mihi
Quemcunque reddis, conjugi debes. *Be.* Mihi
Jam nulla conjux: Fuerit: at non est mea.
An. Adhuc amare credo. *Be.* Bertulfum?
An. Quem amet,
Non restat alius *Be.* Scilicet constans probat
Fides amorem! *An.* Scelera suspicio ingerit.
Be. Non vana.
An. Vana est suspicio, quæ non probat,
Be Si sibi probari postulat, satis est nocens.
An. Scelus probari si nequit, non est nocens.
Be Ipsum probari velle convincit ream.
An Hoc innocentis unicum est scutum. Rea
Utcunque tamen Ansberta sit, non sum nocens;
Mea & repelli vota non mereor. *Be.* Habes
Quodcunque postulabis. Ansbertæ nihil
Debeo, nihil reservo. *An* Sed tamen est tua.

Tuus

Tuus nec aliter esse Bartenas potest,
Nisi & tua sit Ansberta. *Ber.* Quò cogis meos
Bartena amores? *An.* Quò maritalis vocant
Te jura fidei, jura naturæ, tuus
Affectus ipse. *Be.* Hæc ora, & obtutus meos
Nunquam videbit. *An.* Sed videt; coram tuis
Assistit oculis; loquitur, amplexum petit,
Ego sum tua illa Ansberta.
Be. Quid demens ago? (chelym
An. Bertulfe, Ego sum Ansberta: Non nosci
Non annulum? aut imaginem? armillas? tua
Sunt ista dona. Conjugem agnosce; & pium
Indue maritum. *Be.* Cœlites, quæ me mihi
Gaudia reponunt! es mea Ansberta, es mea!
An Bertulfe meus es. *Be.* Perditum me, me im
Sospes diei reddor; ego amoris vice (pium
Te damno toties. Tu tuum, ut serves meum,
Morti propinas sanguinem: ego crudus tuam
Prostituo famam. Tu tuum salvas, ego
Meam cruentus conjugem addico neci.
An Mittantur ista: Gaudium Ansbertæ unicum
Amor, voluptas, cura, deliciæ, quies! (bet
Be. Habes nocentem conjugem Ansberta: ut lu
Decerne digna sceleri supplicia meo.
An Nullum patratum est.
Be. Conjugem quoties meam
Te pernegavi? *An.* Sed tuum quoties mihi
Animum obligâsti?
Be. Incognito. *An.* Hoc tollit scelus.
Bertulfe amâsti conjugem. *Be.* At larvâ sine
Amare decuit; nec maritali notam
Affla

Afflare fidei. *An.* Larva ubi dempta est, nota
Omnis recedit. *Be.* At meum remanet scelus
Pœnâ expiandum. *An.* Pœna jam sceleri stetit.
Si quod patratum est. ipsa suspicio, gravis
Est suspicanti pœna. *Be.* Cur larvâ tamen
Ludere maritum placuit?
An. Ut amorem tuum
Dolor aperiret. Fidus interpres dolor
Amantis animi est. *Be* Odia sed amoris vicem
Reposui amanti. *An.* At odia, quæ dolens amor
Animo imperavit. Ipsa sunt odia tui
Testes amoris. *Be.* Fateor, & amavi, & dolor
Odia excitavit: error at mentem gravi
Nube implicavit. *An.* Error hic totus meæ
Est tela fraudis. Quidquid hîc culpæ vides;
Culpa est amoris. Innocens tamen est amor
Quidcunque peccet error.
Be. Hoc vitæ tuum
Repone munus: obtere infamem; aut fode
Telis nocentem. *An.* Nulla te culpæ lues
Bertulfe fœdat. Culpa si quæ sit tamen,
In me redundat. Ego, ego Bertulfum meum
Errore lusi; & placuit erroris jocus.
Be. Erràsse præstat. Error hic auget magis
Veteres amores: mutuâ ardentes face
Æstus uterque capimus. O socij, meus
Quos error acri lusit exemplo; date
Veniam noceuti. dumque me uxoris dolo
Carcere videtis liberum, & collum gravi
Pondere solutum, discite exemplo novo,
Quid conjugalis possit, & poscat fides.

EPI-

EPILOGUS.

Æternitas ex ſuo templo decernit duobus Amantibus immortalitatem unum Sol præficit , alterum Lunæ. Exſſe jubet cælo ſidera , quæ hunc non favent : plaudunt quæ favent.

Æternitas. Felicitas. Concordia. Duo Amantes Sol. Luna.

Mortale nihil mutua vota
Complet amantûm. Timidè amatur,
Quod periturum eſt. Non benè ſatiant
Bona,quæ à tergo fine premuntur,
Quiſquis vero vivit amore,
Cupit æternùm vivere,quod amat,
Duo A. Tu Diva potes, quod mortale eſt,
Immortali ſorte beare.
Fac.noſter amor ſuperet,quidquid
Mortale ſapit. *Æt.* Volo,quod poſſum.
Semper hic animus tenuit Superos,
Nullo Auſtriacos ſine Hymenæos
Claudere; donec mundum extrema
Linea claudat. Vos ego puro
Deſtino cœlo. Præterit omne,
Quod meat infrà ; quidquid ſupra eſt,
Eſt æternum. Pergite ; Solis
Lunæque orbes jure tenete.
Æt Con Sic ſancta poli decreta jubent.
Fel. Qualis olympum Cynthius aſtris
Replet ; *Con.* aut qualis Cynthia terras
Floribus implet : { *Sol. &* / *Fel.* / *Con.* } talis in omnem

Au-

Austria flores, Austria Stellas
Dividat orbem. *Æt.* Decede novo
Cynthie Soli: decede novæ
Cynthia Lunæ. *Sol.* *Lu.* Sancta jubetis,
Hoc mihi pridem fuit in votis:
Sol Cedere Soli. *Lu.* Cedere Lunæ,
Sol. Cedere Soli: quem Diva dedit
Austria mundo. *Lu.* Cedere Lunæ,
Quam Diva dedit mundo Hesperia.
Æt. Ite ô magni lumina mundi
Jungite cœlos, jungite sancto
Fœdere terras. *Sol.* Respice Solem
O Luna tuum. *Lu.* Respice Lunam
Sol magne tuam. *Omn.* Mutuus iste
Gaudia mundo dabit aspectus.
Am 1. O Luna tuum respice Solem.
Am. 2. Sol magne tuam respice Lunam.
Om Mutuus iste
Gaudia mundo dabit aspectus.
Æt Jam bona præsunt sidera mundo.
Cynthie stellas accende novas;
Cynthia flores vere æterno
Expande novos, *Om.* Mutuus iste
Gaudia mundo dabit aspectus,
Æt Jam bona præsunt sidera mundo.
Excidat alto si quod iniquum
Sidus olympo est. *Om.* Excidat alto.
Jam bona præsunt sidera cœlo.
Æt. Quidquid amantûm siderum olympo est,
Plaudite Soli, plaudite Lunæ.
Om Plaudite Soli, plaudite Lunæ:
Jam bona præsunt sidera mundo, FIDU-

FIDVCIA IN DEVM,

SIVE

BETHULIA LIBERATA.

ARGUMENTUM.

DEsignabat Triumphator Syriæ Holofernes Bethuliæ excidium; cùm Achior metuendum DEVM suggessit, quem semper Israel sibi faventem habuisset. Indignatus Holofernes, eum in manus Bethuliensium tradi jubet; ut unà cum ijs intereat. Alligatur à servis arbori. Solvitur à Bethuliensibus, in urbem deducitur. Statuitur in medio populi: vinculorum suorum causam exponit. Holofernes aquam intercipit Bethuliensibus. Sitis urbem occupat. Populus idcircò deditionem urget apud Oziam. In quintum diem hic sustinendum decernit, si auxilium non affulserit, urbem dediturus. Intelligit consilium Judith vidua. Erigit Sacerdotum animos: consilium suum exeundi ad castra eis aperit

-*vit : illi approbant. Egreditur cum Abra ancilla: inter cipitur ab Holofernis militibus : sistitur Duci, cui & Matronæ species arridet. Illa se à Bethuliensibus fugitivam fingit. Impetrat potestatem, ut ad orationes subinde extra castra conferre se possit. Adhibetur cœna. Inebriatur Dux : lecto imponitur. Occasionem nacta Iudith, præmissâ oratione, Holofernem in lecto proprio gladio obtruncat. Caput Abræ tradit in pera recondendum. Exit per Assyriorum castra sub specie orandi. Venit ad portas Bethuliæ. Caput Holofernis ostendit: admittitur in urbem. Exponitur caput ad Vrbis mœnia. Excurrit populus Israel : turbantur Holofernis castra : concurritur ad Ducis penetrale: truncus capite reperitur. Timor & confusio invadit universum exercitum. Vertitur in fugam : persequitur Israel. Bethulia unius Iudithæ speciali in Deum fiduciâ & oratione, liberatur.* Vid. l. Jud. à c. 5.

PERSONÆ.

Judith Vidua.
Abra Ancilla.
Ozias Princeps Sacerdotum.
Chabri | Sacerdotes.
Charmi |
Holofernes Dux Assyriorum.
Narses Legatus.
Dabrias Dux.
Vasces Dux.
Vagao Eunuchus.

Achior Dux Ammon.		Chermes Rison	Duces.
Nabath Sebal Abathias Jerihel Jophet Simeon	Seniores.	Chorus parvulorum. Chorus Timoris. Chorus Doloris. Chorus Spei. Chorus Gaudij.	
Merob.		Fossores.	
Nicol.		Exploratores.	
Angelus.		Exercitus.	

Exhibita Viennæ Augustis. Imper.
FERDINANDO III
Anno cIↄ. Iↄc. xliii.

ACTVS I.

Scena Prima.

Achior arbori alligatus Divinæ se providentiæ remittit; docetq; eos non confundi, qui se illi committunt.

Achior.

NEmini secundæ sortis
Aura sic est obligata;
Ut severioris iræ
Jura nunquam sentiat.
Ira & aura non quiescunt,
Altera alteri minatur;

Al-

Altera alteram occupatæ
Jure sedis ejicit
Res secundæ & insecundæ
Jura mutant, & vicissim
Eriguntque, depr:muntque,
Blandiuntur & necant.
Tutus ille fulminantes
Ridet iras, & jocantes
Spernit auras, qui Tonantem
Mente fixa respicit:
Et Deo regente credit?
Ire blanda, dura abire,
Ire dura, blanda abire;
Fata mundi currere.
Sors severa comminetur,
Sors amœna blandiatur,
Hanc, & illam cernet unâ
Fronte, constans & suus.
Imperitus ille Tiphys,
Qui silentis arva Nerei
Noverit tantùm secare
Ad jocos Favonij.
Qui perinde blandientes
Scindit nndas, & frementes
Ille ponti nominetur
Eruditus Institor.
Alligamur? qnid nocebit,
Si ligamur hoc jubente?
Altera hora subsequetur,
Quæ resolvet vincula.
Providentis quem tuetur

Dextra Numinis, prementis
Sortis irâ non premetur;
Sed prementem ipse opprimet.
Experiris hoc amica
Urbs Dei; fremente quamvis
Martis æstu, fixa cœlo
Firma stas Bethulia.
Fide cœlo: Vera narro:
Vana se vorabit ira.
Non perit, qui se Tonantis
Dat regendum dexteræ.

SCENA SECUNDA.

Holofernes alligato ad arborem Achior illudit.

Holofernes. Achior.

Holof. Sic te videre placuit Holoferni, levis
Mendacis author fabulæ, pestis tui
Suprema generis! Macte! sic Superis proba
Terrisque Numen esse, quod Medum queat,
Aut fulminastrâ dexterâ, aut ferro pari
Excutere ferrum; cujus auxilio suum
Acuant Apellæ robur, & certas queant
Sperare palmas. Nempe sublatis venit
Bethulia signis; cedite Assyrii; horrido
Fœminea Marte pectora animabit furor,
Trepidoque nostrum in verticem mures trahu[nt]
Cladem tumultu. Teste Melothides polo
Aditus refregi; cernuâ Euphrates jacens

Fumulatur vndâ; serviunt cancro Lybis,
Austroque Japhet subdita; ex Mambre & Cilix,
Fususque Madian omnis Holofernem pavet:
Et te furenti Numen eripiet Duci
Recutite Juda? Marte quid possim, Syrus
Cellonque sensit: tela victoris reses
Judas lacesset? Voce fatidicâ Achior
Ventura cecinit. Credite Assyrii, Achior
Dubitare jussit. *Ach*. Martis ambigua volat
Huc palma & illuc: fulget, adspirat, venit;
Nutatque rursus, rursus exspirat, cadit,
Fugitque rursus. Quisquis afflictus Deum
Animo tenace amplectitur, solus potest
Sperare palmas. Illius nutu omnia
Belli feruntur: solus ad clavum sedet,
Victoriamque parcus arbitrio elocat,
Non donat ulli. Cæpta cum facili ferunt
Te bella cursu, brevibus armatum impetum
Tenere loris addecet, Victor quoque
Cecidit eodem sæpe, quo vicit loco.
Quem strage victus elevat, sese suo
Promat ipse honore. Quisquis excelsus stetit,
Corruere potuit. Quando ridentem exerit
Fortuna vultum, fulmen adversæ time.
Promittit omni, nemini servat fidem.
H. Sistam avolantem compede catenis fugam
Vetabo; pennas remiges vellam; fugam
Fortuna nescit, quisque quam facit sibi.
Ach: Sors illa nimium nutat, & lapsum timet,
Quam fundat ardor dexteræ, & mentis vigor.
Ignava nulli fata condixit Deus,

Ansberta; jamque in fœminam rursus migro
Urgente amore. Prima conjugij fides
Usque huc probata, quam pio affectu intimum
Subibit animum! fronte quà cernet piam
Fraudem retectam! Da chelym, ut modicum meo
Præludam amori. - - (meo

Scena Vltima.

Ansberta suo tandem se Bertulfo manifestat, & pius conjugalis amoris dolus detegitur.

Mercatores. Ansberta. Bertulfus.

Primus - - Evanuit, quidquid mali
Sors machinata est: nunc voluptati novæ
Concede mentem.
Be. Quæ voluptatis queat
Recreare stilla, conjugis quando grave
Oculis oberrat facinus, & mentem novo
Semper dolore saucia? *Secund.* Non est nocens,
Sed est nocenti similis.
Be. O probrum domûs!
Indigna tanto conjuge; indigna & meo
Posthac amore. Quid audio? vindex meæ
Unice salutis, cujus in manu stetit
Bertulfus, & quod sanguinis superest mei.
Hic est amici, cujus auspicijs neci
Caput hoc ademptum est: cujus artifice manu
Est mitigatus Regis accensi furor;
Amante cujus fraude Bertulfus suæ
Morti est superstes: quidquid est vitæ super.
Quid-

Quidquid cruoris, spiritûs, donum est tuum.
An Bertulfe laudes parciùs nostras cane.
Deus profundo carcere exemit: Dei
Est vita munus: Si quid accessit mea
Ab arte, amoris debitum obsequium fuit.
Be. Hoc est quod animum flectit, & amorē meum
In te retorquet; quoque me cogis p am
In servitutem *An.* Tolle non fausti sonum
Nominis. Amantes vinculum stringit quidem,
Non servitutis *Be.* Servitus magna est amor.
An. Sed libera simul: Vinculo hoc stringar, licet.
Sed etiam amorem redde cui debes.
Be. Cui? (rapis,
An. Ansbertæ. *Be.* Amorem quando tu totum
Nil dividendum restat Ansbertæ. *An* Mihi
Quemcunque reddis, conjugi debes. *Be.* Mihi
Jam nulla conjux: Fuerit: at non est mea.
An. Adhuc amare credo. *Be.* Bertulfum?
An. Quem amet,
Non restat alius *Be.* Scilicet constans probat
Fides amorem! *An.* Scelera suspicio ingerit.
Be. Non vana.
An. Vana est suspicio, quæ non probat,
Be Si sibi probari postulat, satis est nocens.
An. Scelus probari si nequit, non est nocens.
Be Ipsum probari velle convincit ream.
An Hoc innocentis unicum est scutum. Rea
Utcunque tamen Ansberta sit, non sum nocens;
Mea & repelli vota non mereor. *Be.* Habes
Quodcunque postulabis. Ansbertæ nihil
Debeo, nihil reservo. *An* Sed tamen est tua.

Tuus

Tuus nec aliter esse Bartenas potest,
Nisi & tua sit Ansberta. *Ber.* Quò cogis meos
Bartena amores? *An.* Quò maritalis vocant
Te jura fidei, jura naturæ, tuus
Affectus ipse. *Be.* Hæc ora, & obtutus meos
Nunquam videbit. *An.* Sed videt; coram tuis
Assistit oculis; loquitur, amplexum petit,
Ego sum tua illa Ansberta.
Be. Quid demens ago? (chelym
An. Bertulfe, Ego sum Ansberta: Non nosci
Non annulum? aut imaginem? armillas? tua
Sunt ista dona. Conjugem agnosce; & pium
Indue maritum. *Be.* Cœlites, quæ me mihi
Gaudia reponunt! es mea Ansberta, es mea!
An Bertulfe meus es *Be.* Perditum me, me im
Sospes diei reddor; ego amoris vice (pium
Te damno toties. Tu tuum, ut serves meum,
Morti propinas sanguinem: ego crudus tuam
Prostituo famam Tu tuum salvas, ego
Meam cruentus conjugem addico neci.
An Mittantur ista: Gaudium Ansbertæ unicum
Amor, voluptas, cura, deliciæ, quies! (bet
Be. Habes nocentem conjugem Ansberta: ut lu
Decerne digna sceleri supplicia meo.
An Nullum patratum est.
Be. Conjugem quoties meam
Te pernegavi? *An.* Sed tuum quoties mihi
Animum obligâsti?
Be. Incognito. *An* Hoc tollit scelus.
Bertulfe amâsti conjugem *Be.* At larvâ sine
Amare decuit; nec maritali notam

Affla-

Afflare fidei. *An.* Larva ubi dempta est, nota
Omnis recedit. *Be.* At meum remanet scelus
Pœnâ expiandum. *An.* Pœna jam sceleri stetit,
Si quod patratum est. ipsa suspicio, gravis
Est suspicanti pœna. *Be.* Cur larvâ tamen
Ludere maritum placuit?
An. Ut amorem tuum
Dolor aperiret. Fidus interpres dolor
Amantis animi est. *Be* Odia sed amoris vicem
Reposui amanti. *An.* At odia, quæ dolens amor
Animo imperavit. Ipsa sunt odia tui
Testes amoris. *Be.* Fateor, & amavi, & dolor
Odia excitavit: error at mentem gravi
Nube implicavit. *An.* Error hic totus meæ
Est tela fraudis. Quidquid hic culpæ vides;
Culpa est amoris. Innocens tamen est amor
Quidcunque peccet error.
Be Hoc vitæ tuum
Repone munus: obtere infamem; aut fode
Telis nocentem. *An.* Nulla te culpæ lues
Bertulfe fædat. Culpa si quæ sit tamen,
In me redundat. Ego, ego Bertulfum meum
Errore lusi; & placuit erroris jocus.
Be. Errâsse præstat. Error hic auget magis
Veteres amores: mutuâ ardentes face
Æstus uterque capimus. O socij, meus
Quos error acri lusit exemplo; date
Veniam nocenti. dumque me uxoris dolo
Carcere videtis liberum, & collum gravi
Pondere solutum, discite exemplo novo,
Quid conjugalis possit, & poscat fides.

EPI-

Auſtria flores, Auſtria Stellas
Dividat orbem. *Æt.* Decede novo
Cynthie Soli: decede novæ
Cynthia Lunæ. *Sol. Lu.* Sancta jubetis,
Hoc mihi pridem fuit in votis:
Sol. Cedere Soli. *Lu.* Cedere Lunæ,
Sol. Cedere Soli: quem Diva dedit
Auſtria mundo. *Lu.* Cedere Lunæ,
Quam Diva dedit mundo Heſperia.
Æt. Ite ô magni lumina mundi
Jungite cœlos, jungite ſancto
Fœdere terras. *Sol.* Reſpice Solem
O Luna tuum. *Lu.* Reſpice Lunam
Sol magne tuam. *Omn.* Mutuus iſte
Gaudia mundo dabit aſpectus.
Am. 1. O Luna tuum reſpice Solem.
Am. 2. Sol magne tuam reſpice Lunam.
Om. Mutuus iſte
Gaudia mundo dabit aſpectus.
Æt. Jam bona præſunt ſidera mundo.
Cynthie ſtellas accende novas;
Cynthia flores vere æterno
Expande novos. *Om.* Mutuus iſte
Gaudia mundo dabit aſpectus.
Æt. Jam bona præſunt ſidera mundo.
Excidat alto ſi quod iniquum
Sidus olympo eſt. *Om.* Excidat alto.
Jam bona præſunt ſidera cœlo.
Æt. Quidquid amantûm ſiderum olympo eſt,
Plaudite Soli, plaudite Lunæ.
Om. Plaudite Soli, plaudite Lunæ:
Jam bona præſunt ſidera mundo.

FIDU-

FIDVCIA IN DEVM,

SIVE

BETHULIA LIBERATA.

ARGUMENTUM.

DEsignabat Triumphator Syriæ Holo-fernes Bethuliæ excidium; cùm Achio-metuendum DEVM suggessit. quem semper Israel sibi faventem habuisset. Indignatus Holofernes eum in manu Bethuliensium tradi jubet; ut unà cum ijs intereat. Alligatur à servis arbori. Solvitur à Bethuliensi-bus, in urbem deducitur. Statuitur in medio popu-li: vinculorum suorum causam exponit. Holofer-nes aquam intercipit Bethuliensibus. Sitis urbem occupat. Populus idcircò deditionem urget apu-Oziam. In quintum diem hic sustinendum decernit si auxilium non affulserit, urbem dediturus. Intel-lig t consilium Judith vidua. Erigit Sacerdotum animos: consilium suum exeundi ad castra eis ape-ri

vit: illi approbant. Egreditur cum Abra ancilla: intercipitur ab Holofernis militibus: sistitur Duci, cui & Matronæ species arridet. Illa se à Bethuliensibus fugitivam fingit. Impetrat potestatem, ut ad orationes subinde extra castra conferre se possit. Adhibetur cœna. Inebriatur Dux: *lecto imponitur. Occasionem nacta Iudith, præmissâ oratione, Holofernem in lecto proprio gladio obtruncat. Caput Abræ tradit in pera recondendum. Exit per Assyriorum castra sub specie orandi. Venit ad portas Bethuliæ. Caput Holofernis ostendit: admittitur in urbem. Exponitur caput ad Urbis mœnia. Excurrit populus Israel: turbantur Holofernis castra: concurritur ad Ducis penetrale: truncus capite reperitur. Timor & confusio invadit universum exercitum. Vertitur in fugam: persequitur Israel. Bethulia unius Iudithæ speciali in Deum fiduciâ & oratione, liberatur.* Vid. l. Jud. à c. 5.

PERSONÆ.

Judith Vidua.
Abra Ancilla.
Ozias Princeps Sacerdotum.
Chabri | Sacerdotes.
Charmi |
Holofernes Dux Assyriorum.
Narses Legatus.
Dabrias Dux.
Vasces Dux.
Vagao Eunuchus.

Q Achi-

Achior Dux Ammon.		Chermes	Duces.
Nabath	Seniores.	Rison	
Sebal		Chorus parvulorum.	
Abathias		Chorus Timoris.	
Jerihel		Chorus Doloris.	
Jophet		Chorus Spei.	
Simeon		Chorus Gaudij.	
Merob.		Fossores.	
Nicol.		Exploratores.	
Angelus.		Exercitus.	

Exhibita Viennæ Augustiss. Imper.
FERDINANDO III.
Anno cIↃ. IↃc. XLIII.

ACTVS I.

SCENA PRIMA.

Achior arbori alligatus Divinæ se providentiæ remittit; docetq; eos non confundi, qui se illi committunt.

Achior.

NEmini secundæ sortis
Aura sic est obligata;
Ut severioris iræ
Jura nunquam sentiat.
Ira & aura non quiescunt,
Altera alteri minatur;

Al

Altera alteram occupatæ
Jure sedis ejicit.
Res secundæ & insecundæ
Jura mutant, & vicissim
Eriguntque, deprimuntque,
Blandiuntur & necant.
Tutus ille fulminantes
Ridet iras, & jocantes
Spernit auras, qui Tonantem
Mente fixa respicit:
Et Deo regente credit?
Ire blanda, dura abire,
Ire dura, blanda abire;
Fata mundi currere.
Sors severa comminetur,
Sors amœna blandiatur,
Hanc, & illam cernet unâ
Fronte, constans & suus.
Imperitus ille Tiphys,
Qui silentis arva Nerei
Noverit tantùm secare
Ad jocos Favonij.
Qui perinde blandientes
Scindit nndas, & frementes
Ille ponti nominetur
Eruditus Institor.
Alligamur? qnid nocebit,
Si ligamur hoc jubente?
Altera hora subsequetur,
Quæ resolvet vincula.
Providentis quem tuetur

Dextra Numinis, prementis
Sortis irâ non premetur;
Sed prementem ipse opprimet.
Experiris hoc amica
Urbs Dei; fremente quamvis
Martis æstu, fixa cœlo
Firma stas Bethulia.
Fide cœlo: Vera narro:
Vana se vorabit ira.
Non perit, qui se Tonantis
Dat regendum dexteræ.

SCENA SECUNDA.

Holofernes alligato ad arborem Achior illudit.

Holofernes. Achior.

Holof. Sic te videre placuit Holoferni, levis
Mendacis author fabulæ, pestis tui
Suprema generis! Macte! sic Superis proba
Terrisque Numen esse, quod M[illegible]d..m queat,
Aut fulminastrâ dexterâ, aut ferro pari
Excutere ferrum; cujus auxilio suum
Acuant Apellæ robur, & certas queant
Sperare palmas. Nempe sublatis venit
Bethulia signis; cedite Assyrii: horrido
Fœminea Marte pectora animabit furor,
Trepidoque nostrum in verticem mures trahunt
Cladem tumultu. Teste Melothides polo
Aditus refregi; cernuâ Euphrates jacens

Fa-

Fumulatur vnda; serviunt cancro Lybis,
Austroque Japhet subdita; ex Mambre & Cilix,
Fususque Madian omnis Holofernem pavet:
Et te furenti Numen eripiet Duci
Recutite Juda? Marte quid possim, Syrus
Cellonque sensit: tela victoris reses
Judas lacesset? Voce fatidicâ Achior
Ventura cecinit. Credite Assyrii, Achior
Dubitare jussit. *Ach*. Martis ambigua volat
Huc palma & illuc: fulget, adspirat, venit;
Nutatque rursus, rursus exspirat, cadit,
Fugitque rursus. Quisquis afflictus Deum
Animo tenace amplectitur, solus potest
Sperare palmas. Illius nutu omnia
Belli feruntur: solus ad clavum sedet,
Victoriamque parcus arbitrio elocat,
Non donat ulli. Cœpta cum facili ferunt
Te bella cursu, brevibus armatum impetum
Tenere loris addecet. Victor quoque
Cecidit eodem sæpe, quo vicit loco.
Quem strage victus elevat, sese suo
Promat ipse honore. Quisquis excelsus stetit,
Corruere potuit. Quando ridentem exerit
Fortuna vultum, fulmen adversæ time:
Promittit omni, nemini servat fidem.
H. Sistam avolantem compede catenis fugam
Vetabo; pennas remiges vellam: fugam
Fortuna nescit, quisque quam facit sibi.
Ach: Sors illa nimium nutat, & lapsum timet,
Quam fundat ardor dexteræ, & mentis vigor.
Ignava nulli fata condixit Deus,

Cùm tecta flammis exedi, in cinerem domos
Defluere cernes, socius in flammas cades.
Ach. Audio minantem. Finis at nondum patet,
Hunc nube clausum justus occultat Deus,
Vertit, regitque. *Hol.* Dexterâ hac mundi Deo
Rapiam lupatos, quemque signavi exitum,
Donabo bellis, invido astrorum Deo.
Jam parva tecta cinerem æquatis dabo
Mœnibus, & armis quidquid intactum, eruam.
Eamus: altâ strage tumulabo domos,
Urbem ruinâ. sanguis Hebræus mei
Testis furoris flebile Oceano dabit
Patri tributum. Cineribus surgam tuis
Bethulia; surgit vivido ut Phœnix rogo.
Ach. Quo surgit, illo & interit Phœnix rogo.
Hol. Fluet Holoferni regna pariturus cruor.
Ach. Invisa nimium est trabea, quâ tingit cruor.

Scena Tertia.

Solvitur ab Exploratoribus Bethuliensibus Achior, & in urbem deducitur:

Exploratores. Achior.

Expl. I. Centuplicatis mœnia haud tuti satis
Scutis timores obsident: trepidus pavor,
Et templa & aras concutit: Martis viri
Urbisque muri concidunt; ex quo micat
Assyrius armis, ultimus mundi stupor,
Bellique fulmen Martis infesti manu;
Ex quo per agros ferrea in damnum seges

Tumidos triumphis, nobiles palmis viros,
Domitisque nuper urbibus claros trahit.
Ex. 2. Sed spes resorbet damna, quæ trepidus di
Timor antevertit: melior aspirat dies:
Cùm cœpta pronus bella fortunat Deus.
Expl. Lætitia lenta est certior, cujus seges
A fine surgit: vana, quæ dubia anteit
Eventa rerum. Casibus multis patet,
A fine quidquid pendet. *Expl.* 2. At nulli objacen
Promissa cœli casui. *Expl.* 1 Didici diu
Malum timere. *Expl.* 1. 2 Quando turbatis micat
Spes nulla rebus. *Expl.* 1. Quæ procellosas micat
Spes inter undas? *Ex.* 2. Obvii portus. *Expl.* Ratis
Tabulas natantes fluctus in portum vehet?
Ex. 2. Sæpe & procella duxit in portum ratem.
Expl. 1. Sæpius aquarum vortice involvit. *Ex.* 2.
Mari
Iterum quieto reddidit. *Expl.* 1. Paucos quies
Tranquilla vidit, quos semel belli furor
Involvit armis. Sanguinem Mavors sitit,
Vastasque strages urbium: nec se prius
Exsaturat irâ, cæde quàm jaceat patri
Affusa proles, prolibus Mater, lares
Et alta tecta densus involvat cinis.
Quis strepitus aures verberat? Sylvæ tegunt
Plerumque fraudes. Expedi cornu manu,
Telumque frater, tectus arboreâ dolos
Assyrius umbra construit.
Achior. Judæ ô genus,
Per si quid astris, si quid est Superis pium,
Audite vota. *Expl.* 1 Speres Assyrius prece

Ema-

Emace vitam? *Ach.* Rebus extinctis adhuc
Spes vivere potest. Genere non prodis Leæ,
Nec silice durum pectus obducta riges,
Nec ossa caute. *Expl.* 1. Proditor! blandis jacis
Venena verbis. *Ach.* Arbori advinctus nihil
Potest nocere. *Expl.* 2. Vinctus?
Ach. Holofernis jocus,
Ludibriumque Martis Assyrii. *Expl.* 1. Reum
Quæ culpa strinxit?
Ach. Barbarum Holoferni est scelus,
Esse innocentem. *Expl.* 2. Et innocens vinctus?
Ach. Deo
Superisq; fidens. *Expl.* 1. Nempe quos Assur colit.
Ach. Quem tu vereris. Excute rigentis moras
Ferri, reumque siste Bethuliæ: dabo
Documenta vestri numinis, causas meæ
Narrabo pœnæ.
Explor. 1. Solve. Ad Oziam veni.

SCENA QUARTA.

Mittit Holofernes, qui urbem deditione petat.

Holofernes. Narseus.

Holof. Non esse me, qui sanguine, aut crudâ nece
Nutritus olim, barbarâ ardentes dape
Satiem medullas, nec superbifico pede
Premam jacentes, generis Hebræi sciat
Vilis propago. Licuit obstantis moras
Mavorte toto infringere, evulsas domos,
Et templa, & aras Numinis, & ipsum Deum,

involvere uno pariter, ac Cives rogo.
Moderabor æstum pectoris. Quanquam tua
Si merita spectem, vile mancipium soli,
Ægre lupatos teneo. Sed quod me decet,
Quod jura Martis exigunt, specto magis,
Quàm quod tua acta postulant. Nostro quoq
Parco cruori. Militum est sanguis gravi
Precio æstimandus. Unicus totâ mihi
Hac gente, & urbe est charior. Nostro quoqu
Dabitur honori, premere quos poteram nece,
Servasse miseros, forte deprессos manu
Tractasse molli. Contraho fulmen: diem
Explico serenum; candidæ pacis jubar
Offero paratis obsequi, atque urbem meæ
Subjicere juri. Narsea imperium expedi.
Vitam necemvè defer, arbitrio suo
Judæ eligendam. Si velit vitam, mea
Sub lora veniat; purpuram Assyrij colat,
Sceptrumque adoret. Nostra si temerè abnu
Mordere fræna; funera, & cædem, & neces
Minare diro. *Narf.* Si sapit, pacem eliget.
Præstat subesse liberè, ac bonis frui,
Quàm nolle ferre, ferre quod debet, jugum.
Hol. Sed contumaces spiritus ratio fugit.
Id evenire posse non credunt suos
Quod frangat ausus. Exitus fingunt sibi
Rerum secundos: quamque concipiunt, put
Parere sortem. *Narf.* Plura, qui multum pot
Se posse credit.
Hol. Multa, qui nihil potest,
Se posse stultè credit. *Narf.* Est vanus furor,
Qu

Quem sola movit ira, nec vires juvant.
Brachia furentis gemina sunt, vis, & furor.
Dat illa posse, at iste tentare adjicit.
Uno carentem brachio eventus fugit.
Et vis furorem fulcit, & vires furor,
Hol. Vi destitutus facilè reprimetur furor.
Parum est reprimere; nostra si impetia excutit,
Est opprimendus. Narsea accelera moras,
Jam justus iras excitat mentis dolor!
Duo vexilla accipit: album pacis, nigrū excidij.
Vexilla tecum gemina deporta. Color
Huic est amœna pacis: ast istud necis
Funestat atror. Eligant, utrum placet.
Istud sequetur gratia, & pronus favor,
Armusque amicus; illud excipiet necis
Cruenta facies. Urbis æquatæ solo
Spargam ruinas: undique ingestis lares
Flammis crepabunt; sacra non sacra impio
Sanguine natabunt; nullus inveniet suæ
Saluti asylum; fœminas mixtas viris,
Pueros, puellas, lacteum infantum gregem
Quadrupedis ungue poteram: nullus nece
Peribit unâ: mortuos cogam mori,
Perimam peremptos. Perge, me furor rapit.
Narf. Si sævientis laureæ starent minis,
Victor Holofernes astra calcaret pede.
Sed comminari & vincere, haud distant parum.
Semper minari fœminæ possunt, viri
Non semper æquè vincere. Facile est Deo
Consilia tumidi vertere; & tristi exitu
In destinatos ducere triumphos necem.

SCENA QUINTA.

Miles Holofernis aquam Bethuliæ intercludit. Fodiendo invenit lapidi incisam Israëlis fugam per mare rubrum, & Pharaonis interitum.

Vasces. Narses. Dabrias. Fossores.

Jussa imperantûm fervidas poscunt manus,
Odêre lentas. Tota properato salus
Pendet labore. Parte jam magnâ suos
Arte avocata lympha deseruit tubos,
Et urbe aberrat: parte nunc istâ labor
Urgendus idem. Desidem nullus manum
Admoveat operi.
Nar. Virga tellure abditam
Exploret undam.
Dabr. Corylus hic flexit caput:
Hic est canalis: rursus hic humilis solum
Corylus adorat.
Vasc. Fodite, qui primus tubum
Repererit undæ, primus undantem bibet
Auro Lyæum. *Nar.* Vile Bethuliæ genus:
Quanto labore constat?
Dab. Invictus vigor
Per rupis Angæ culmina; Apamæam jugo
Subjecit Assur, Gabaam fregit; lupos
Posuit Idumæ; Syriam invasit; Lybin
Frænavit, igni rura Damasci dedit;
Ab usque Mambre flumine ad mare transijt;
Omnemque late victor Euphraten bibit:

E

Et hoc subire lora detrectat genus?
Na. Modica fatigat sæpe victorem manus:
Sæpe & molossum lassat Herculeum minor
Catellus ingens Remora navigium tenet.

Marmorea tabella eruuntur

Fos. Portenta rerum!
Nars. Quod thema stuporis patet?
Fos. Varia Pelasgo è marmore effigies micat.
Va. Ostende monstra. Multus hic populus fugâ
Equites sequentes vitat. Hic undâ maris
Pendente utrinque panditur populo via.
Hic involutus fluctibus miles natat.
Da. Generis Abrami fabulas narras.
Va. Mihi
Ignota cerno monstra. *Da.* Quæ ad teneras canit
Judæa cunas gerula: Pharaonem gravi
Pressisse populum stirpis Isaciæ jugo.
Sed servitutis illa non patiens onus
Fœmulare collo ferre; præcipiti fugâ
Sedes Canopi deserit. Densâ premit
Fugitiva Rex vestigia cohorte, & minax
En ense fata portat. Ubi primum maris
Elapsa turba littus aspexit; stetit
Suspensa geminum Thetys opponens latus,
Liquidoque muro fluctibus negans viam.
Hinc nacta fugiens semitam Judæ cohors,
Per stantis undæ mœnia, innocuo pede
Transisse fertur. Sequitur ardenti furor
Pharaonis irâ, pendulæ fidens aquæ,
Fugam stiturus ferreâ lethi morâ.
Ubi totus equitum turbo jam liquidis stetit

Utrinque cinctus mœnibus, rupto aggere
In se volutæ rursus iverunt aquæ,
Unusque totum militem gurges bibit.
Fugitiva littus interim aversum cohors
Secura tenuit: vidit innantes freto
Sospes ruinas hostium, & mixtos equis
Inter tumentes Nerei fluctus viros
Pugnare spumis, & procellarum impetum
Urgere palmis spumeis rixis agi,
Volvique castra; quemque metuebat prius,
In se reductis fluctibus Regem mari
Risit sepultum. *Vasc.* Vera si narras, habent
Suis studentem rebus Hebræi Deum.
Da. Ne crede nugis, fabulas dixi, quibus suo
Rugosa cunis ludit Hebræis anus.
Va. Agedum, peracta jussa? *Fos.* Jam currit
Aversa Thetys alveo. At longo ordine
Metalla, tabulæ, & æra patuerunt, soli
Dum rimor alta viscera. *Da.* Hebræi puta
Commenta cerebri. *Va.* At artis operosus labor
Holoferne dignum est munus
Ba. En votis adest.

SCENA SEXTA.

Inventæ tabellæ, statuæ, metalla Holoferni præsentantur; explicantur; ex quibus colligere possit, Deum huic populo adstitisse: ille autem & Deum & populum contemnit.

Holofernes Vasces Dabrias.

Vasces Magnanime Princeps, unda non solitis abit

Ab-

Abducta rivis; viduus insuetam gemit
Sitim canalis. *Hol.* Magna pars isthinc mei
Pendet triumphi.
Va. Fortè quæ monstra erutâ
Tellure fossor reperit, indicium tuæ
Sortis loquuntur,
Ho. Dexteram artificis probo:
Quid tabula porrò narret, incertum est mihi.
Quis iste vultus Dabria?
Da. Hunc Mosen vocat,
Colitque Hebræus *Ho.* Ista quæ medio via
Profcissa ponto? & iste quis populus pede
Sicco inter undas permeat? *Da.* Mosen ferunt
Jussu Tonantis Isaci gentis Ducem
Dura Pharaonis jura pertæsum, suam
Gentem avocasse. Jamque constiterat propè
Ripam alluentis Nerei, & certus spei
Potente virgâ reprimit cursum freti
In se meantis, perque pendentes vitri
Hinc inde muros sospitem gentem trahit.
H. Insana gentis somnia Hebrææ audio.
Quis iste fulmen dextera ferri rotat,
Flammasque spirat fronte, & alipedem incitat?
Da. Rex est Canopi Pharao; quem multa comes
Insequitur irâ miles & vindex fugam
premit Israelis. *Ho.* Ista quid fractis rotis,
Equisque versi turba luctatur mari?
Da. Pharao paventes Isaci natos premens
Secti parentem semitam ingressus freti,
Coëuntis unde jurgio oppressus perit.
He. Quis Juvenis ille spacia deserti face

As-

Ardente lustrat? Ille quis medio die
Prætexit umbram? *Da.* Spiritum cœlo ferunt
Per dubia Idumæ spacia, & arentis soli
Tractus calentes aviæ genti viam
Lucente noctu face retexisse, & die
Furentis æstum Solis obductâ super
Attemperasse nube. *Ho.* Quam facilem suis
Vesana votis turba confingit Deum.
Pertexe paucis omnia. *Da.* Hic pressis fame
Populis dapale manna de cœlo datum
Legitur ad ortum Solis. Hic domitus Moab;
Hic fusus Amalech; hic Jebusæus jacet,
Chananeus hic depositus; hic Seon gemit,
Suasque victa plorat ærumnas Basan.
Hic Phœbus axe firmus invitos tenet
Fræno jugales, quinque dum Reges premit;
Victorque Josue Martio campo ejicit.
Ho. Odi profanæ fabulas gentis. Sile.
Quodcunque figant Numen Isacidæ favens;
Semperque pronum rebus afflictis Deum;
Holofernis ille robore attritus gemet.
Si tot malorum pondere oppressum levat;
Interque fortis asperæ ærumnas fovet,
Victoriamque semper impendit; meo
Concertet ensi, gente cum tota Deum
Calcabo Hebræum. Fabulas narrent anus:
Heroa mentes facta generosas juvant.
Bethulia seris posteris laudis meæ
Historia fiet; quando calcatos legar
Pressisse jugulos, perque substrata agmina
Duxisse certo Marte victorem gradum.

Va. Quemcunque populus ille vereatur Deum
Non cultu inani adorat: oppressum erigit,
Stantemque firmat; gravibus ærumnis levat,
Nec sub propinquâ cædis instantis manu
Stratum jacere patitur.
Ho. Ubi nuper Deus
Delituit ille; quando quà Lybiæ patent
Torrentis arva, quàque vicino Syrus
Calore fervet, quà suæ lento alveo
Volumen undæ dives Euphrates trahit,
Impunè abibat Martis Assyrii calor,
Et omne latè necibus implebat solum?
Nil terret umbra Numinis; cujus mea
Virtute robur sæpius fractum ruit.
Va Qui sæpe victor v. ctus aliquando cadit.
Hoc timeat ipsum, qui nihil timet; nihil
Quod timeat. Illuc gravius impendet malum,
Ubi minor instans præcavet damnum timor.

CHORVS.

Timor Bethuliæ.

Pars. I.

Timor larvas ad terrendam Bethuliam parat.

Timor Larvatus.

Non sum, vultu qui putor esse.
Mihi Thisiphone sedet in fronte,

Ocu-

Oculos flammâ tristis Averni
Incendit Erynnis: cruda Medusæ
Labra venenum toxicat: ora
Draco Cocyti dentibus armat;
Ungue Leonis palma Armenii
Utraque sævit: tigridem toto
Corpore gesto. Non sum, vultus
Quem peregrinâ simulat larvâ.
Si mihi larvam facie demas,
Nihil in fronte est mihi Thisiphones,
Nihil infernæ in lumine flammæ,
Nihil in labris, nihil in dente,
Sive Medusæ est, sive Draconis.
Quæ monstra paro, quæ flagra roto,
Quas tendo minas: non sum tristis
Funeris index, non perituræ
Prævola sortis, sed melioris
Nuncia vitæ. Nunc Bethuliæ
Per simulatos fronte horrores
Minor exitium.

PARS. II

Timor Bethuliam variis incursibus terret.

Bethulia.

Fugio! misera heu! quæ mihi latebra
Pandat hiantes in vota sinus.
Fugio hac, illac: sed misera (eheu!)
Nusquam effugio. Fonte minaci

Ti-

Timor huc pellit, rursusque Timor
Inde repellit. Nullâ parte
Se mihi certæ facies pandit
Vota salutis. Fugio. Sed me
Caspia rictu Tigris exspectat,
Fugio. Sequitur Leo crudeli
Ungue timendus. Tenet à fronte,
Premit à tergo torva Megæra:
Hinc cædis, & hinc tristis imago
Funeris oculis semper oberrat.
Desine tandem funeste Timor,
Desine mentem torquere flagris,
Fugio. Mars hinc fulgerat ense,
Fulminat irâ, busta minatur.
Armis pejor timor armorum est.

Pars III.

Timor salutaris depositâ larvâ se ostendit, & post timorem gaudia pollicetur.

Timor.

Frustra tentas vitare Deum,
Quâ parte voles, fuge terrentem
Non effugies. Sed tamen unde
Ventura times fulmina sortis,
Inde timoris nube repulsâ
Pura sequentur gaudia menti.
Etiam quando ferit est, mite
Numen, & ipso vulnere recreat.

Num-

Nunquam mentem sic Deus alto
Sauciat ictu, quin molli iterum
Plagam inflictam recreet tactu.
Detego vultum. Cernite, Blandam
Pulchra serenat gratia frontem;
Amor utroque in lumine gemmat;
Puro certant ebori dentes,
Sum Timor, at qui longâ serie
Duco salutis stamina, Primus,
Quando tragicos Fortuna trahit
Aspera casus, occupo mentes.
Semina primus pone sequentis
Sero lætitiæ. Hoc majora bibes
Gaudia, mentem quò tibi major
Timor incesset.

ACTVS II.

SCENA PRIMA.

Sistitur in medio Bethuliensium Achior, caussam vinculorum enarrat. Deliberat de urbis deditione Ozias post dies quinque facienda.

Ozias. Achior. Chabri. Charmi.

Ozias. Ergò tyrannus acuit Assyrium furor
In astra, in aras Numinis, in urbis lares?

Ach.

Ach. Sensit Holofernis militi in ludum dato
Achior, & urbe penitus excisâ ultima
Decerto ensi victima. *Oz.* At quonam putas
Hæc fata vergent?
Ach. Fata Holofernis manu
Fingas rotari; nulla jam turres levat
Bethulia cœlo; timidus inserpit dies
Sub luce ferri; mœnia æquantur solo;
Monumenta Patrum diffluunt; jacent Dei
Prostrata templa; natus astusus Patri,
Filiaque Matri terga victoris pedi
Calcanda præbent. Tanta jam palmâ ebrium
Agit Holofernem flamma. Cùm semel impotens
Ambitio mentem tenuit, insano impetu
Vires in ipsos cardines mundi evocat.
Sed robur expers consilî molem trahit
Suam in ruinam. Rumpitur quidquid suâ
Nimis intumescit mole.
Ozias. Sed quanam viâ
Sors explicanda dubia? *Achior.* Si jubeas, loquar.
Dixisse necdum pœnitet, pœnas licet
Dederim loquelæ. Si tuis servas Deum,
Rebus studentem, sæva tempestas licet
Mixtum procellis urbis exitium trahat,
Vis nulla frangat. Opprimi bello nequit,
Cui pugnat æther. Si Deum iratum suis
Bethulia rebus patitur, Assyrio cadet
Bustum furori. Sontibus vindex Deus
Studere nescit: premere, quos odit, solet:
Pœnamque semper scelera vicinam trahunt.
Chabri. Documenta præbes ipse, non magno
gradu

gradu
Distare pœnam scelere maturum nefas fero.
Collum catenis injicit, ferro manus.
Ach. Documenta fidei præbeo, quam in te
Pro te locutus vincula in pœnam traho.
Oz. Nempe hostis hosti studuit, Assyrius mihi
Ach. Cui bellat æther, in suas partes trahit
Hostile pectus. *Oz.* Causa quæ tandem tibi
Strinxit catenas? *Ach.* Veritas odium parit,
Odium catenas. Mente dum ambiguâ suis
Rebus Holofernes tuta consilia expetit;
Fortuna, dixi, semper alternat vices.
Ne fide nimium robori: ingentes Deus
Retundit ausus. Iste, quem spernis, Deum
Habet faventem popnlus. Hic illum elevat,
Si quando premitur; perque Fortunæ vices
Semper quieti reddit, & riguis poli
Bonis inundat. Vetera, quæ decimus nepos
Narrat, revolve. Numina in gentis suæ
Prono favores uda prætexti maris
Cessêre jura, mobile obstupuit salum
Cursu coacto, & vitreus cristallino
Obice pependit pontus, hinc & hinc vias
Præbere jussus, clade dum cinctus rotas
Pharao incitaret. sensit hostiles, Deo
Dictante, turmas agger undarum, ac aquis
In se reductis hausit insanum Ducem,
Omnemque belli turbinem immersit mari.
Deo regente domita, quam latè patet,
Chananæa regio: jacuit affusus pedi
Superbus Amalech, & triumphatæ jugo

Dede

Dedere vinctum barbaræ collum plagæ:
Gedeonis armis servus in medio dies
Stupefactus orbe constitit, longum obsequens
Daturus ignem, donec aversus fugâ
Vacuaret hostis Martium campum metu,
Victoriamque invitus Hebræis daret.
Vetusta mitto nomina, Hebræos Duces,
Duces Hethæos quæque Amorrhæus chalybs
Funera trahebat, & Jebusæas minas
Domitas Hebreo Marte, cum Deo suis
Litaret aris. At ubi peregrina Impiis
Coluere flammis Numina, incestum gravi
Cultum rependit strage. Si vultu suos
Nunc quoque benigno spectat Isacidas Deus,
Frustrà tumentes jacimus in cœlum minas,
Humana Hebræum tela non terrent Deum.
Hæc ore cecini libero Holoferni. At mihi
Cecini ruinam. Scilicet multâ fremit
Insanus irâ; voce blasphemâ Deum
Sua inter astra desidem invadit; polo
Vocat in duellum; premere calcatum pede
Dei minatur verticem; ignavum ratus
Pugnante vinci numine, ubi fidit furor
In astra rabido jactus; insultat mihi
Ferrum minatus: tibis infelix; ait,
Tuoque sacram pollues letho Stygem.
Ite, ite Martis pectora; ignavum caput
Advinculate quercui, ubi muros videt
Urbis propinqua silvâ: cum bustum dabo
Flammis Apellas, socius in flammas eat,
Mixtumque cinerem cinere dispergat Notus.

Dixit:

Dixit: cruentus miles invadit latus;
Premit, trahitque, quà furor mentis rapit,
Quà pellit ira pectoris: donec meo
Satur pudore, quercui adstrictum dedit
Ludum jocanti militi. Tantum potest
Lædere retecta veritas. Nondum tamen
Me veritatis pœnitet. Quin & tibi
Narrata repeto. Nulla si fidas Deo,
Metuenda sors est: tot per exempla obviuṁ
Experta semper Numen in partes tuas,
Sperare pronum rursus hoc bello potes.
Oz. Sed ille vastos messe Gradivi horridâ
Campos inundat. *Ach.* Sæpius vobis Ducum
Exhaustus ardor, ac inexpletæ sitis
Edomitus ignis. *Oz.* Impari bello nimis
Bethulia parva, & gentium terror, manus
Virosque in arma conferunt. *Ach.* Parvæ man
Generis Abrami sæpè fregerunt gravem
Belli apparatum. *Oz.* Sortis afflatu ebrius,
Victoriisque tumidus, hâc pavidos sui
Mittit timores, quà sequens Martem trahit.
Ubi timores occupant urbem, cadit
Vis omnis animi, Civium trepidæ manus
Malè sumpta damnant arma.
Ach. Sed trepidos Deus
Suffulcit animos. *Chabr.* Dubia non dubio m
Remedia suades. Rapimur; &, lentam licet,
Certam in ruinam vergimus, si hosti manus
Victorioso opponimus: patimur jugum?
Dubiam salutem petimus. Ambiguam decet
Potius salutem petere, quàm certam necem.
Ch.

Char. Quin & canales unda deservit suos,
Arensque populus languidâ emarcet siti.
Præstat per arma, quando pereundum est diu,
Citius perire. Longior vita, est necis
Ministra longæ. Satius est longæ brevem
Præferre mortem.
Ozias Varius in partes trahit
Affectus animum. Dubia ceu motæ ratis
Luctatur undæ, quando rixantur Noti
Zephyrique ponto; jamque concussum latus
Exæstuanti prona submittit freto:
Talis furentem metuo Fortunam magis,
Quam spe faventis erigar. Durum est pati
Hostilæ frænum, durius certâ nece
Excutere frænum, Cernis, ô Divum potens
Hominumque Numen, quanta tempestas tuos
Involvit æstu? cernis exitium Deus
Generis Abram? Veteris occurrat recens
Imago amoris. Melle pavisti tuos
Olim fluente: frontis auxilio sitis
Nunc destituitur In famem riguum poli
Rorem dedisti; nunc laboratæ dape
Cereris caremus, O capax pœnæ dies!
In quæ voluta mariâ jactatur ratis?
Et parte ab omni trepida præsentis videt
Fera jura mortis. *Cha* Arma prætextis nihil
Arceris muris proderit, quando domi
Mori necesse est. *Ach.* Imperium est letho statum
Præripere tempus.
Chabr. Quid moræ excidio sumus,
Si gravius ipsâ crescit excidium mora?

Ach. Spes non recessit omnis. Ex animo procul
Abiisse quando creditur, rimam tenet;
Ac inde tacita prospicit, & aliquâ sui
Nictat favillâ. Bella qui nutu regit
Votis vocetur. Dubia non erit salus,
Quam de vocati dexterâ exspectas Dei.
Oz. Deliberatum est (quinta nisi jussu Dei
Diu negatam rebus accisis dies
Iterum salutem referat) Assyrii Ducis
Mordere frænos. Ultimum, durâ licet,
Præoccupandum est urbis excidium viâ.
Necessitatis lege subeundum est semel,
Quod semper horres. Interim precibus metus
Vos temperate Fata qui belli regit,
Ponitque Marti lora, confisos sibi
Forsan procellâ eripiet, & tutam dabit
Calcare arenam.
Achior. Facilis in votum est Deus,
Nec inani in auras patitur effusas preces
Abire voto. Voce non multâ salus
Emenda prostat. Pressius moto interim
Luctare ponto. Debilem virtus manum
Confisa cœlo roborat. *Oz.* Supplex cohors
Affusa templis vota concipiat Deo.

**
*

SCE

SCENA SECUNDA.

Iudith intellecto Ozia & Sacerdotum consilio, eos ad constantiam animat, certum à placato Deo auxilium pollicetur.

Iudith, Ozias. Chabri. Charmi.

Oz. Sacrata Divis mulier, in cursu est mali
Catena nostri: tempus extremum imminet.
Quò fata cogunt, ire nolentes decet.
Angstus hosti campus est; nobis metu
Augustus animus Nostra non ullâ salus
A parte fulget. Quinta nisi cœlo dies
Auxilia certa præstet, Assyrium pati
Jugum necesse est.
Iudith Ista degeneres viri
Consilia tractent. Sponte suscepto jugo
Malè emitur unus lucis indultæ dies.
Oz Necessitatis legibus temerè obvias.
Iud Necessitatis jura, quæ sanxit timor,
Frangere, virorum est. Mentis hoc magnæ est, gravis
Calcare fortis damna, nec vinci malis.
Oz Spes quando nulla damna superandi micat,
Quò fata cogunt, mentis est magnæ, sequi.
Iudith. Cur spes recedunt? Nullus est cœlo Deus?
Cujus Canopus horruit nuper manum

Prodigia passus; quando deserto lacu
Erravit agris rana; vel fra tres culex
Cyniphes secutus nube densatâ diem
Eripuit orbi; quando sanguineo vada
Natare visa flumine,& totis vorax
Locusta campis messibus stragem tulit?
Est, qui secundat fata, qui pressis regit
Martem lupatis. ille fidentes vado
Eripiet,& opem vindice ubi tulerit manu,
Nemo resistet. *Oz.* Tarda medicina est malo
Sperare certam rebus attritis opem:
Cum jam propinquo mœnia insultu prem
Indomitus hostis; solita lympharum tubi
Negant tributa; rivus exclusis gemit
Viduatus undis; viva per vicos obit
Imago mortis. Si qua spes vitæ est super,
Solum est in hoste.
Iud. Nulla spes vitæ est super,
Quæcunque in hoste est. Certior spes est, o
Quæ spectat astris. *Oz.* Quando subsidium
Iu Ecquando vanâ vota ceciderunt prece
Ozias Quando obstiterunt scelera.
Iudit, Quæ nostro fuit
Contracta scelere pœna, deposito quoque
Ponetur eadem scelere, Non plectit Deus
Nisi promerentes Define scelesto polum
Temerare nisu, definet sævis caput
Impetere telis. Lapsus in cautè in scelus,
Veniam precare; venia non ægrè venit
Desideranti. In gratiam est pronus Deus,
Tardusque in iram. Respice: optatam dec

Quoties salutem? Fulmen ubi rapuit, prece
Victa dextra languit, Si quæ fuit
Immissa cœlo pœna, præeuntem gravi
Secuta noxam est fulmine. Amotum est scelus;
Amota pœna est. Excidit fulmen manu;
Cùm noxa corde ponitur, Non hæc Deus
Præcipite sancit mente; sed certo ordine
Librata ducit. Crimini semper sua
Supplicia nectit. Tollere at pœnam potes,
Si crimen aufers. Corpora in setas date,
Rigidosque villos: capita perfundat cinis,
Deducta fletu lumina extenuent genas,
Arcana laceret viscera salubris dolor.
Sic multa fulmen lachryma excutiet Deo,
Meliorque rerum scena recludet diem.
Oz. Quintam tenere jussimus votis diem,
Si forte melior rebus aspiret Deus.
Iud. Ne crede victos. Numen in tempus solet
Differre vota. Iura sed cœlo dare,
Opique tempus ponere; hoc solus potest,
Qui ferre cùm vult, solus auxilium potest.
Erit hora pœnis ultima, & mitis Deus
Iterum serenum proferet frontis jubar.
Patiamur iram, nostra quam invito polo
Traxère scelera. Sponte qui subdit caput
Humile Tonanti, mitigat flammas. Solet
Premere superbos, parcere afflictis Deus.
Est utraque nostri juris, & pœna: & salus.
Ozias. Malo salutem.
Iud. Noxa plectatur. *Ozias.* Sat est:
Abite: tenuem multa per rimam mihi

Prodigia passus; quando deserto lacu
Erravit ægris rana; vel sra tres culex
Cyniphes secutus nube densatâ diem
Eripuit orbi; quando sanguineo vada
Natare visa flumine, & totis vorax
Locusta campis messibus stragem tulit?
Est, qui secundat fata, qui pressis regit
Martem lupatis. ille sidentes vado
Eripiet, & opem vindice ubi tulerit manu,
Nemo resistet. *Oz.* Tarda medicina est malo,
Sperare certam rebus attritis opem:
Cum jam propinquo mœnia insultu premit
Indomitus hostis; solita lympharum tubi
Negant tributa; rivus exclusis gemit
Viduatus undis; viva per vicos obit
Imago mortis. Si qua spes vitæ est super,
Solum est in hoste.
Iud. Nulla spes vitæ est super,
Quæcunque in hoste est. Certior spes est, opem
Quæ spectat astris. *Oz.* Quando subsidium negat.
Iu Ecquando vanâ vota ceciderunt prece?
Ozias Quando obstiterunt scelera.
Iudit Quæ nostro fuit
Contracta scelere pœna, deposito quoque
Ponetur eadem scelere, Non plectit Deus
Nisi promerentes Desine scelesto polum
Temerare nisu, desinet sævis caput
Impetere telis Lapsus in cautè in scelus,
Veniam precare; venia non ægrè venit
Desideranti. In gratiam est pronus Deus,
Tardusque in iram. Respice: optatam dedit
Quo-

Quoties salutem? Fulmen ubi rapuit, prece
Evicta dextra languit, Si quæ fuit
Immissa cœlo pœna, præeuntem gravi
Secuta noxam est fulmine. Amotum est scelus;
Amota pœna est. Excidit fulmen manu;
Cum noxa corde ponitur, Non hæc Deus
Præcipite sancit mente; sed certo ordine
Librata ducit. Crimini semper sua
Supplicia nectit. Tollere at pœnam potes,
Si crimen aufers. Corpora in setas date,
Rigidosque villos: capita perfundat cinis,
Deducta fletu lumina extenuent genas,
Arcana laceret viscera salubris dolor.
Sic multa fulmen lachryma excutiet Deo.
Meliorque rerum scena recludet diem.
Oz. Quintam tenere jussimus votis diem,
Si fors e melior rebus aspiret Deus.
Iud. Ne crede victos. Numen in tempus solet
Differre vota. Jura sed cœlo dare,
Opique tempus ponere; hoc solus potest,
Qui ferre cum vult, solus auxilium potest.
Erit hora pœnis ultima, & mitis Deus
Iterum serenum proferet frontis jubar.
Patiamur iram, nostra quam invito polo
Traxêre scelera. Sponte qui subdit caput
Humile Tonanti, mitigat flammas. Solet
Premere superbos, parcere afflictis Deus.
Est utraque nostri juris, & pœna: & salus.
Ozias. Malo salutem.
Iud. Noxa plectatur. *Ozias.* Sat est:
Abite: tenuem multa per rimam mihi

Salus videtur: ite, perfossis hiet
Tellus cavernis; unde non modicis aquæ
Venis meabunt; quæque jam tostas gemit
Siti medullas turba, solamen suo
Bibet dolori. Vos Sacerdotum chorus
Florem Juventæ sceleris ignarum gregem
In templa Divûm cogite; puellas Judith
Festasque Matres Numinis ad aras trahat,
Unaque fusâ leniat Numen prece.
Iud. Nos vota templis, cura te foris manet.
Precibus & armis emitur ex æquo salus.
Sic dum precantes explicat Moses manus,
Aaron triumphat. Ille non dubiam metet
Ex hoste palmam, bella qui fulcit prece.

SCENA TERTIA.

Narseas Legatus urbem dedi postulat.

Ozias. Nabath. Sebal. Abathias. Ierihel. Iephet. Simeon. Narseas Legatus. Servus.

Serv. Divûm Sacerdos maxime Interpres
Ab hoste missus Narseas poscit tuos
Subire vultus. *Oz.* Subeat. At patres prius poli,
Adesse jubeo. *Ser.* Proximum limen tenent.
Oz. Periculosum est, solus ut solum alloquar.
Ubi testis adstat, nulla suspicio subit.
Colenda populo capita, venerandi senes,
Quid ab hoste portet hostis, audire expedit.
Nab. Hoc jura belli, gentium hoc leges petunt

Ozias.

Sau. Huc advocetur.
Parf. Missus Assyrii Ducis
Legatus adsum; quodque vos decuit prius
Petiisse: jussus postulo. Vestras meus
Humanitate prævenit Princeps preces.
Pacem decebat poscere, ac sponte obvium
Proferre gressum: quemque Victorem colis
Vicina latè regio, non hostem, at patrem
Excipere gremio. At arma sumpsistis malè
Consulta dextris. Unde si Martis velit
Agere Holofernes lege, prostrati solo
Muri jacerent, igni crepitarent lares,
Urbaque Cives clade sepeliret cinis.
Sed mitis animus cladibus abhorret. Placet
Offerre pacem. Vestra quo pelago ratis
Volvatur, ipsi cernitis. Muris abest
Miles tuendis, unda sedandæ siti,
Famique panis: occupat passim timor
Pueros, virosque. Nostra quo vigeat statu
Fortuna, pariter cernitis. Ductor fremit
Palmis superbus; adfremit miles Duci
Victoriosus; dumque præteritas memor
Palmas recenset, vile Bethuliæ lares
Precium labori destinat. Circùm jacens
Edomita tellus omnis Assyrium jugum
Subiisse gaudet. Nemo se victum gemit;
Cum propè paterna sceptra domitoris suo
Bono experitur. Sapere peregrino decet,
Si proprium amatis commodum. Non est viri,
Ire in ruinam, quando se promit salus.
Delibérate, vestra quod poscit salus,

Timere rebus Nam quid immunes lares
Quid salva spondet tecta, si metuit nihil?
Nihil timentem fortior adurget suos. (mens
Sitis ad triumphos. Facilis hinc tumidum pre-
Indicia palmæ certa jam monstrat Deus
Ab. Capiamus omen. Petere, quòd possis manûs
Viribus habere, est robori suo parum
Fidere. Petivit: ipse diffidit sibi.
Minatur imis summa miscere, hæc quoque
Trepidantis animi signa sunt. Qui se satis
Valere credit viribus, linguâ tacet;
Factis laborat. Ille, cui Mars in labris
Cruentus ignes spirat, in factis riget.
Ie. Sed domuit arces, mœnia infregit, jugo
Subjecit urbes, regna sub fasces suos
Perampla traxit. Fateor at facile est jugum
Injicere populis; quando, quò martem trahis,
Metus antecedeens urbium pandit fores.
Nondum periimus, quamdiu venis calet
Vel una gutta sanguinis; semper micat
Spes aliqua nobis; ille, quod timeat, habet.
Io. Magis ferocit ille, qui potest minus.
Quæ murmurante nube tempestas diu
Se lenta volvit; illa metuenda est minus:
Metuenda magis est illa, quæ præceps venit,
Feritque præceps Æmulus quando silet,
Tumidus ferocit æmulus: quando manus
Applicuit armis, seque constanti pede
Opposuit; animo tumidus insano cadit,
Ponitque flammas. *Sim.* A viâ obsessis sitim
Minatur undâ. quantulum hoc urbi est malum?

Nondum ligones sustulit, & uncos aquæ
Eviscerandæ, nubibus nondum imperat,
Ut pertinaci denegent nimbos sinu.
Quid comminatur parva, nil magni potest
Tentare contrà: Stemus. Extremus furor,
Cùm reperit animos, mole se frangit suâ.
Oz. Consilia vestra Numinis jussum puto,
Proboque mentes patriæ impensas bono.
Quin si Tonanti placeat evictos dare
Ferro tyranni, nos tamen, Patres, decet
Adhuc cruentum laribus arcere impetum
Per fata nostra, & corporum aggestu obicem
Ponere furenti. Causa quæ tangit Deum,
Signanda fuso sanguine est. Cœlo bene
Is fœneratur; sanguinem quisquis Deo
Vitamque fundit Quam ille donavit prius,
Reddatur illi vita. Non potes nece
Honestiore cadere, quam in causa Dei.
Quod ergò Patres sentiunt, mandat Deus;
Patriæ salutem promovet, servat lares.
Et in futuræ gloriam nostram trahit
Ætatis annos; mœnia Holofernes petat,
Premat, teratque: pectora in novos dabit
Bethulia muros. Adsit, Holoferni Patrum
Qui sensa referat. - -

**
*

Sci-

SCENA QVINTA

Datur Legato responsum ad Holofernem referendum.

Ozias. Narseas.

- - Insolens visus furor
Vestri est tyranni. Martis Assyrii jugo
Non serviemus. Populus ingenuus sumus:
Non serviemus. Mœnibus stragem, facem
Laribus minatur. Ista non terrent viros
Majora passos. Mœnia inscendat prius;
Postea minetur urbis eversæ viros
Condere ruinis. Valla subvertat: viri
Sua explicabunt pectora in vallum. Siti
Laticem negabit? pluvia de cœlo dabit.
Audis? cadentes tecta jam nimbi rigant.

Pluvia cadit.

Jam populus omnis dona cisternis capit
Cœli pluentis. Liberos flammis lares
Salvamque vitam spondet, Assyrio jugo
Si colla demus. Scilicet magnum quid est,
Non rapere vitam; quodque latrones solent
Conferre munus. Hactenus gentes sua
Sub frena traxit: nempe quæ dentem lupis
Sponte induêre. Liberam fecit Deus
Gentem Abrahami; frena non patimur, nisi
Dei imperantis. Cede quæ dixi, tuo
Refer Holoferni. Liberi Assyrio jugo

Dixit: cruentus miles invadit latus;
Premit, trahitque, quà furor mentis rapit,
Quà pellit ira pectoris: donec meo
Satur pudore, quercui adstrictum dedit
Ludum jocanti militi. Tantum potest
Lædere retecta veritas. Nondum tamen
Me veritatis pœnitet. Quin & tibi
Narrata repeto. Nulla si fidas Deo,
Metuenda sors est: tot per exempla obvium
Experta semper Numen in partes tuas,
Sperare pronum rursus hoc bello potes.
Oz. Sed ille vastos messe Gradivi horridâ
Campos inundat. *Ach.* Sæpius vobis Ducum
Exhaustus ardor, ac inexpletæ sitis
Edomitus ignis. *Oz.* Impari bello nimis
Bethulia parva, & gentium terror, manus
Virosque in arma conferunt. *Ach.* Parvæ manu
Generis Abrami sæpè fregerunt gravem
Belli apparatum. *Oz.* Sortis afflatu ebrius,
Victoriisque tumidus, hâc pavidos sui
Mittit timores, quà sequens Martem trahit.
Ubi timores occupant urbem, cadit
Vis omnis animi, Civium trepidæ manus
Malè sumpta damnant arma.
Ach. Sed trepidos Deus
Suffulcit animos. *Chabr.* Dubia non dubio mal
Remedia suades. Rapimur; &, lentam licet,
Certam in ruinam vergimus, si hosti manus
Victorioso opponimus: patimur jugum?
Dubiam salutem petimus. Ambiguam decet
Potius salutem petere, quàm certam necem.
Cha

Char. Quin & canales undâ deferuit suos,
Arensque populus languidâ emarcet siti.
Præstat per arma, quando pereundum est diu,
Citius perire. Longior vita, est necis
Ministra longæ. Satius est longæ brevem
Præferre mortem.
Ozias Varius in partes trahit
Affectus animum. Dubia ceu motæ ratis
Luctatur undæ, quando rixantur Noti
Zephyrique ponto; jamque concussum latus
Exæstuanti prona submittit freto:
Talis furentem metuo Fortunam magis,
Quam spe faventis erigar. Durum est pati
Hostilæ frænum, durius certâ nece
Excutere frænum, Cernis, ô Divum potens
Hominumque Numen, quanta tempestas tuos
Involvit æstu? cernis exitium Deus
Generis Abram? Veteris occurrat recens
Imago amoris. Melle pavisti tuos
Olim fluente: frontis auxilio sitis
Nunc destituitur In famem riguum poli
Rorem dedisti; nunc laboratæ dape
Cereris caremus, O capax pœnæ dies!
In quæ voluta mariá iactatur ratis?
Et parte ab omni trepida præsentis videt
Fera jura mortis. *Cha* Arma prætextis nihil
Arceris muris proderit, quando domi
Mori necesse est. *Ach.* Imperium est letho statum
Præripere tempus.
Chabr. Quid moræ excidio sumus,
Si gravius ipsâ crescit excidium mora?

Ach. Spes non recessit omnis. Ex animo pr
Abiisse quando creditur, rimam tenet;
Ac inde tacita prospicit, & aliquâ sui
Nictat favillâ. Bella qui nutu regit
Votis vocetur. Dubia non erit salus,
Quam de vocati dexterâ exspectas Dei.
Oz. Deliberatum est (quinta nisi jussu Dei
Diu negatam rebus accisis dies
Iterum salutem referat) Assyrii Ducis
Mordere frænos. Ultimum, durâ licet,
Præoccupandum est urbis excidium viâ.
Necessitatis lege subeundum est semel,
Quod semper horres. Interim precibus met
Vos temperate Fata qui belli regit,
Ponitque Marti lora, confisos sibi
Forsan procellâ eripiet, & tutam dabit
Calcare arenam.
Achior. Facilis in votum est Deus,
Nec inani in auras patitur effusas preces
Abire voto. Voce non multâ salus
Emenda prostat. Pressius moto interim
Luctare ponto. Debilem virtus manum
Confisa cœlo roborat. *Oz.* Supplex cohors
Affusa templis vota concipiat Deo.

**
*

S

SCENA SECUNDA.

Judith intellecto Ozia & Sacerdotum consilio, eos ad constantiam animat, certum à placato Deo auxilium pollicetur.

Judith, Ozias. Chabri. Charmi.

Oz. Sacrata Divis mulier, in cursu est mali
Catena nostri: tempus extremum imminet.
Quò fata cogunt, ire nolentes decet.
Angstus hosti campus est; nobis metu
Angustus animus Nostra non ullâ salus
A parte fulget. Quinta nisi cœlo dies
Auxilia certa præstet, Assyrium pati
Jugum necesse est.
Judith Ista degeneres viri
Consilia tractent. Sponte suscepto jugo
Malè emitur unus lucis indultæ dies.
Oz. Necessitatis legibus temerè obvias.
Jud Necessitatis jura, quæ sanxit timor,
Frangere, virorum est. Mentis hoc magnæ est, gravis
Calcare fortis damna, nec vinci malis.
Oz. Spes quando nulla damna superandi micat,
Quó fata cogunt, mentis est magnæ, sequi.
Judith. Cur spes recedunt? Nullus est cœlo Deus?
Cujus Canopus horruit nuper manum

Prodigia passus; quando deserto lacu
Erravit agris rana; vel sra tres culex
Cyniphes secutus nube densatâ diem
Eripuit orbi; quando sanguineo vada
Natare visa flumine, & totis vorax
Locusta campis messibus stragem tulit?
Est, qui secundat fata, qui pressis regit
Martem lupatis. ille sidentes vado
Eripiet, & opem vindice ubi tulerit manu,
Nemo resistet. *Oz.* Tarda medicina est malo
Sperare certam rebus attritis opem:
Cum jam propinquo mœnia insultu premi
Indomitus hostis; solita lympharum tubi
Negant tributa; rivus exclusis gemit
Viduatus undis; viva per vicos obit
Imago mortis. Si qua spes vitæ est super,
Solum est in hoste.
Iud. Nulla spes vitæ est super,
Quæcunque in hoste est. Certior spes est, op
Quæ spectat astris. *Oz.* Quando subsidium n
Iu Ecquando vanâ vota ceciderunt prece
Ozias Quando obstiterunt scelera.
Iudit, Quæ nostro fuit
Contracta scelere pœna, deposito quoque
Ponetur eadem scelere, Non plectit Deus
Nisi promerentes Desine scelesto polum
Temerare nisu, desinet sævis caput
Impetere telis. Lapsus in cautè in scelus,
Veniam precare; venia non ægrè venit
Desideranti. In gratiam est pronus Deus,
Tardusque in iram. Respice: optatam dedi

Quoties salutem? Fulmen ubi rapuit, prece
Victa dextra languit, Si quæ fuit
Immissa cœlo pœna, præeuntem gravi
Secuta noxam est fulmine. Amotum est scelus;
Amota pœna est. Excidit fulmen manu;
Cùm noxa corde ponitur, Non hæc Deus
Præcipite sancit mente; sed certo ordine
Librata ducit. Crimini semper sua
Supplicia nectit. Tollere at pœnam potes,
Si crimen aufers. Corpora in setas date,
Rigidosque villos: capita perfundat cinis,
Deducta fletu lumina extenuent genas,
Arcana laceret viscera salubris dolor.
Sic multa fulmen lachryma excutiet Deo.
Meliorque rerum scena recludet diem.
Oz. Quintam tenere jussimus votis diem,
Si forte melior rebus aspiret Deus.
Iud. Ne crede victos. Numen in tempus solet
Differre vota. Jura sed cœlo dare,
Opique tempus ponere; hoc solus potest,
Qui ferre cùm vult, solus auxilium potest.
Erit hora pœnis ultima, & mitis Deus
Iterum serenum proferet frontis jubar.
Patiamur iram, nostra quam invito polo
Traxère scelera. Sponte qui subdit caput
Humile Tonanti, mitigat flammas. Solet
Premere superbos, parcere afflictis Deus.
Est utraque nostri juris, & pœna: & salus.
Ozias. Malo salutem.
Iud. Noxa plectatur. *Ozias.* Sat est:
Abite: tenuem multa per rimam mihi

Salus videtur: ite, perfossis hiet
Tellus cavernis; inde non modicis aquæ
Venis meabunt; quæque jam tostas gemit
Siti medullas turba, solamen suo
Bibet dolori. Vos Sacerdotum chorus
Florem Juventæ sceleris ignarum gregem
In templa Divûm cogite; puellas Judith
Festasque Matres Numinis ad aras trahat,
Unaque fusâ leniat Numen prece.
Iud. Nos vota templis, cura te foris manet.
Precibus & armis emitur ex æquo salus.
Sic dum precantes explicat Moses manus,
Aaron triumphat. Ille non dubiam metet
Ex hoste palmam, bella qui fulcit prece.

SCENA TERTIA.

Narseas Legatus urbem dedi postulat.

Ozias. Nabath. Sebal. Abathias. Ierihel. Iephet. Simeon Narseas Legatus. Servus.

Serv. Divûm Sacerdos maxime Interpres
Ab hoste missus Narseas poscit tuos
Subire vultus. *Oz.* Subeat. At patres prius poli,
Adesse jubeo. *Ser.* Proximum limen tenent.
Oz. Periculosum est, solus ut solum alloquar.
Ubi testis adstat, nulla suspicio subit.
Colenda populo capita, venerandi senes,
Quid ab hoste portet hostis, audire expedit.
Nab. Hoc jura belli, gentium hoc leges petunt

Ozias.

..as. Huc advocetur.

..arf. Missus Assyrii Ducis
..egatus adsum; quodque vos decuit prius
..tiisse jussus postulo. Vestras meus
Humanitate prævenit Princeps preces.
Pacem decebat poscere, ac sponte obvium
Proferre gressum: quemque Victorem colis
Vicina latè regio, non hostem, at patrem
Excipere gremio. At arma sumpsistis malè.
Consulta dextris. Unde si Martis velit
Agere Holofernes lege, prostrati solo
Muri jacerent, igni crepitarent lares,
Unaque Cives clade sepeliret cinis.
Sed mitis animus cladibus abhorret. Placet
Offerre pacem. Vestra quo pelago ratis
Volvatur, ipsi cernitis. Muris abest
Miles tuendis, unda sedandæ siti,
Famique panis; occupat passim timor
Pueros, virosque. Nostra quo vigeat statu
Fortuna, pariter cernitis. Ductor fremit
Palmis superbus; adfremit miles Duci
Victoriosus; dumque præteritas memor
Palmas recenset, vile Bethuliæ lares
Precium labori destinat. Circum jacens
Edomita tellus omnis Assyrium jugum
Subiisse gaudet. Nemo se victum gemit;
Cùm propè paterna sceptra domitoris suo
Bono experitur. Sapere peregrino decet,
Si proprium amatis commodum. Non est viri,
Ire in ruinam, quando se promit salus.
Deliberate, vestra quod poscit salus,

Timere rebus Nam quid immunes lares
Quid salva spondet tecta, si metuit nihil?
Nihil timentem fortior adurget suos. (mens
Sitis ad triumphos. Facilis hinc tumidum pre-
Indicia palmæ certa jam monstrat Deus
Ab. Capiamus omen. Petere, quod possis manûs
Viribus habere, est robori suo parum
Fidere. Petivit: ipse diffidit sibi.
Minatur imis summa miscere, hæc quoque
Trepidantis animi signa sunt. Qui se satis
Valere credit viribus, linguà tacet;
Factis laborat. Ille, cui Mars in labris
Cruentus ignes spirat, in factis riget.
Ie. Sed domuit arces, mœnia infregit, jugo
Subjecit urbes, regna sub fasces suos
Perampla traxit. Fateor: at facile est jugum
Injicere populis; quando, quò martem trahis,
Metus antecedeens urbium pandit fores.
Nondum periimus, quamdiu venis calet
Vel una gutta sanguinis; semper micat
Spes aliqua nobis; ille, quod timeat, habet.
Io. Magis ferocit ille, qui potest minus.
Quæ murmurante nube tempestas diu
Se lenta volvit; illa metuenda est minus:
Metuenda magis est illa, quæ præceps venit,
Feritque præceps Æmulus quando silet,
Tumidus ferocit æmulus: quando manus
Applicuit armis, seque constanti pede
Opposuit; animo tumidus insano cadit,
Ponitque flammas. *Sim*. Aviâ obsessis sitim
Minatur undâ, quantulum hoc urbi est malum?

Scena Qvinta

Datur Legato responsum ad Holofernem referendum.

Ozias. Narseas.

- - Insolens visus furor
Vestri est tyranni. Martis Assyrii jugo
Non serviemus. Populus ingenuus sumus:
Non serviemus. Mœnibus stragem, facem
Laribus minatur. Ista non terrent viros
Majora passos. Mœnia inscendat prius;
Postea minetur urbis eversæ viros
Condere ruinis. Valla subvertat: viri
Sua explicabunt pectora in vallum. Siti
Laticem negabit? pluvia de cœlo dabit.
Audis? cadentes tecta jam nimbi rigant:

Pluvia cadit.

Jam populus omnis dona cisternis capit
Cœli pluentis. Liberos flammis lares
Salvamque vitam spondet, Assyrio jugo
Si colla demus. Scilicet magnum quid est,
Non rapere vitam; quodque latrones solent
Conferre munus. Hactenus gentes sua
Sub frena traxit: nempe quæ dentem lupis
Sponte induêre. Liberam fecit Deus
Gentem Abrahami; frena non patimur, nisi
Dei imperantis. Cede quæ dixi, tuo
Refer Holoferni. Liberi Assyrio jugo

Non serviemus.
Narses. Consili ad libram voca
Decreta prima. Sequitur à tergo dolor
Malè inchoata. Tempori cautè applica
Mentem futuro. Hæc hora consilio datur
Prudentiori: tarda, quæ sequitur, tuos

Vex illa explicat.

Damnabit ausus. Gemina vexilla explico.
Istud serenâ in iride optatæ quies
Pacis sequetur: istud ingentes trahet
Urbis ruinas. Elige utrum vis. *Oz.* Placet
Patriam tueri. Causa, quæ Martem hunc trahit,
Causa est Tonantis. Sanguinem & vitam dare
Deo, est honestum. Perge. decretum est semel,
Bene Prostituto vertice tueri Deum.

Vex illum nigrum projicit ad medium.

Nars. Igitur volenti funera indico, & neces,
Cineresque templis, laribus excidium ultimum,
Urbi sepulchrum, matribus laceros sinus,
Lanianda membra prolibus. Si quis latet
Materno in utero fœtus, aut pendet labris
Ubere parentis, sanguinem lacti suo
Mixtum profundet. bellluas ipsas trahet
In fata vindex militis nostri manus.
Oz. Isthæc minare, quando calcandum dabis
Deo jubente pedibus attritum caput.

Sce-

Scena Sexta.

Foditur in urbe excipiendæ aquæ pluviali cisterna, invenitur imago Moysis petram percutientis. Omen bonum accipitur.

Charmi. Merob. Nicol. Fossores.

Me. Sperare fausta jussit Antistes Dei. (mito
Cha. Crede imperanti, quando, qui muros pre-
Indicit arma Numini. Nobis licet,
Pejora meritis, arma sint pœnæ; tamen
Severiore dexterâ in telum volat,
Si quando Numen spernitur. Reliquas Deus
Clementiore dexterâ culpas premit;
Hanc semper ultor proximâ impellit manu.
Me. Hinc mihi salutis aliqua spes blandæ micat,
Communis unde causa nobis cum Deo est.
Nic. Nec arida sitis urget; ubi pluvijs Deus
Terras inundat. Bina jam puro tumet
Cisterna latice: tertiam hic fossa solo.
Jusso labore pandimus. Non est labor
Gravis ille, qui pro publico sudat bono.
Me. At ecce marmor aureâ illusum notâ.
Cha. Hic ille primus sanguinis nostri parens,
Vindexque libertatis, Horebi petram
Jussu Tonantis increpat virgâ; & siti
Aqua liberalis monte de cœso cadit.
Nic. Felicitatis omen hoc nostræ accipe.
Qualis calentem fonte populorum sitim
Deus inopinò sustulit; talis sitim

Dixit: cruentus miles invadit latus;
Premit, trahitque, quà furor mentis rapit,
Quà pellit ira pectoris: donec meo
Satur pudore, quercui adstrictum dedit
Ludum jocanti militi. Tantum potest
Lædere retecta veritas. Nondum tamen
Me veritatis pœnitet. Quin & tibi
Narrata repeto. Nulla si fidas Deo,
Metuenda sors est: tot per exempla obvium
Expertis semper Numen in partes tuas,
Sperare pronum rursus hoc bello potes.
Oz. Sed ille vastos messe Gradivi horridâ
Campos inundat. *Ach.* Sæpius vobis Ducum
Exhaustus ardor, ac inexpletæ sitis
Edomitus ignis. *Oz.* Impari bello nimis
Bethulia parva, & gentium terror, manus
Virosque in arma conferunt. *Ach.* Parvæ manu
Generis Abrami sæpè fregerunt gravem
Belli apparatum. *Oz.* Sortis afflatu ebrius,
Victoriisque tumidus, hâc pavidos sui
Mittit timores, quà sequens Martem trahit.
Ubi timores occupant urbem, cadit
Vis omnis animi, Civium trepidæ manus
Malè sumpta damnant arma.
Ach. Sed trepidos Deus
Suffulcit animos. *Chabr.* Dubia non dubio mal
Remedia suades. Rapimur; &, lentam licet,
Certam in ruinam vergimus, si hosti manus
Victorioso opponimus: patimur jugum?
Dubiam salutem petimus. Ambiguam decet
Potius salutem petere, quàm certam necem.
Cha

Char. Quin & canales und ꝫ deseruit [illegible]os,
Arensque populus languidâ emarcet siti.
Præstat per arma, quando pereundum est diu,
Citius perire. Longior vita, est necis
Ministra longæ. Satius est longæ brevem
Præferre mortem.
Ozias Varius in partes trahit
Affectus animum. Dubia ceu motæ ratis
Luctatur undæ, quando rixantur Noti
Zephyrique ponto; jamque concussum latus
Exæstuanti prona submittit freto:
Talis furentem metuo Fortunam magis,
Quam spe faventis erigar. Durum est pati
Hostilæ frænum, durius certâ nece
Excutere frænum, Cernis, ô Divum potens
Hominumque Numen, quanta tempestas tuos
Involvit æstu? cernis exitium Deus
Generis Abram? Veteris occurrat recens
Imago amoris. Melle pavisti tuos
Olim fluente frontis auxilio sitis
Nunc destituitur In famem riguum poli
Rorem dedisti; nunc laboratæ dape
Cereris caremus, O capax pœnæ dies!
In quæ voluta mariá iactatur ratis?
Et parte ab omni trepida præsentis videt
Fera jura mortis. *Cha.* Arma prætextis nihil
Arceris muris proderit, quando domi
Mori necesse est. *Ach.* Imperium est letho statum
Præripere tempus.
Chabr. Quid moræ excidio sumus,
Si gravius ipsâ crescit excidium mora?

Ach. Spes non recessit omnis. Ex animo pr
Abisse quando creditur, rimam tenet;
Ac inde tacita prospicit, & aliquâ sui
Nictat favillâ. Bella qui nutu regit
Votis vocetur. Dubia non erit salus,
Quam de vocati dexterâ exspectat Dei.
Oz. Deliberatum est (quinta nisi jussu Dei
Diu negatam rebus accisis dies
Iterum salutem referat) Assyrii Ducis
Mordere frenos. Ultimum, durâ licet,
Præoccupandum est urbis excidium viâ.
Necessitatis lege subeundum est semel,
Quod semper horres. Interim precibus metu
Vos temperate Fata qui belli regit,
Ponitque Marti lora, confisos sibi
Forsan procellâ eripiet, & tutam dabit
Calcare arenam.
Achior. Facilis in votum est Deus,
Nec inani in auras patitur effusas preces
Abire voto. Voce non multâ salus
Emenda prostat. Pressius moto interim
Luctare ponto. Debilem virtus manum
Confisa cœlo roborat. *Oz.* Supplex cohors
Affusa templis vota concipiat Deo.

**
*

S

SCENA SECUNDA.

Iudith intellecto Ozia & Sacerdotum consilio, eos ad constantiam animat, certum à placato Deo auxilium pollicetur.

Iudith, Ozias. Chabri. Charmi.

Oz. Sacrata Divis mulier, in cursu est mali
Catena nostri: tempus extremum imminet.
Quò fata cogunt, ire nolentes decet.
Angstus hosti campus est; nobis metu
Augustus animus Nostra non ullâ salus
A parte fulget. Quinta nisi cœlo dies
Auxilia certa præstet, Assyrium pati
Jugum necesse est.
Iudith Ista degeneres viri
Consilia tractent. Sponte suscepto jugo
Malè emitur unus lucis indultæ dies.
Oz. Necessitatis legibus temerè obvias.
Iud Necessitatis jura, quæ sanxit timor,
Frangere, virorum est. Mentis hoc magnæ est, gravis
Calcare fortis damna, nec vinci malis.
Oz. Spes quando nulla damna superandi micat,
Quò fata cogunt, mentis est magnæ, sequi.
Iudith. Cur spes recedunt? Nullus est cœlo Deus?
Cujus Canopus horruit nuper manum

Prodigia passus; quando deserto lacu
Erravit agris rana; vel sira tres culex
Cyniphes secutus nube densatâ diem
Eripuit orbi; quando sauguineo vada
Natare visa flumine, & totis vorax
Locusta campis messibus stragem tulit?
Est, qui secundat fata, qui pressis regit
Martem lupatis. ille sidentes vado
Eripiet, & opem vindice ubi tulerit manu,
Nemo resistet. *Oz.* Tarda medicina est malo
Sperare certam rebus attritis opem:
Cum jam propinquo mœnia insultu premi
Indomitus hostis; solita lympharum tubi
Negant tributa; rivus exclusis gemit
Viduatus undis; viva per vicos obit
Imago mortis. Si qua spes vitæ est super,
Solum est in hoste.
Iud. Nulla spes vitæ est super,
Quæcunque in hoste est. Certior spes est, op
Quæ spectat astris. *Oz.* Quando subsidium n
Iu Ecquando vanâ vota ceciderunt prece?
Ozias Quando obstiterunt scelera.
Iudit Quæ nostro fuit
Contracta scelere pœna, deposito quoque
Ponetur eadem scelere, Non plectit Deus
Nisi promerentes. Desine scelesto polum
Temerare nisu, definet sævis caput
Impetere telis. Lapsus in cautè in scelus,
Veniam precare; venia non ægrè venit
Desideranti. In gratiam est pronus Deus,
Tardusque in iram. Respice: optatam dedit

Quoties salutem? Fulmen ubi rapuit, prece
Evicta dextra languit, Si quæ fuit
Commissa cœlo pœna, præeuntem gravi
Secuta noxam est fulmine. Amotum est scelus;
Amota pœna est. Excidit fulmen manu;
Cùm noxa corde ponitur, Non hæc Deus
Præcipite sancit mente; sed certo ordine
Librata ducit. Crimini semper sua
Supplicia nectit. Tollere at pœnam potes,
Si crimen aufers. Corpora in setas date,
Rigidosque villos: capita perfundat cinis,
Deducta fletu lumina extenuent genas,
Arcana laceret viscera salubris dolor.
Sic multa fulmen lachryma excutiet Deo.
Meliorque rerum scena recludet diem.
Oz. Quintam tenere jussimus votis diem,
Si sors è melior rebus aspiret Deus.
Iud. Ne crede victos. Numen in tempus solet
Differre vota. Jura sed cœlo dare,
Opique tempus ponere; hoc solus potest,
Qui ferre cùm vult, solus auxilium potest.
Erit hora pœnis ultima, & mitis Deus
Iterum serenum proferet frontis jubar.
Patiamur iram, nostra quam invito polo
Traxêre scelera. Sponte qui subdit caput
Humile Tonanti, mitigat flammas. Solet
Premere superbos, parcere afflictis Deus.
Est utraque nostri juris, & pœna: & salus.
Ozias. Malo salutem.
Iud. Noxa plectatur. *Ozias.* Sat est:
Abite: tenuem multa per rimam mihi

Ozias Huc advocetur.

Narf. Missus Assyrii Ducis
Legatus adsum; quodque vos decuit prius
Petiisse: jussus postulo. Vestras meus
Humanitate prævenit Princeps preces.
Pacem decebat poscere, ac sponte obvium
Proferre gressum: quemque Victorem colit
Vicina latè regio, non hostem, at patrem
Excipere gremio. At arma sumpsistis malè.
Consulta dextris. Unde si Martis velit
Agere Holofernes lege, prostrati solo
Muri jacerent, igni crepitarent lares,
Urnaque Cives clade sepeliret cinis.
Sed mitis animus cladibus abhorret. Placet
Offerre pacem. Vestra quo pelago ratis
Volvatur, ipsi cernitis. Muris abest
Miles tuendis, unda sedandæ siti,
Famique panis: occupat passim timor
Pueros, virosque. Nostra quo vigeat statu
Fortuna, pariter cernitis. Ductor fremit
Palmis superbus; adfremit miles Duci
Victoriosus; dumque præteritas memor
Palmas recenset, vile Bethuliæ lares
Precium labori destinat. Circùm jacens
Edomita tellus omnis Assyrium jugum
Subiisse gaudet. Nemo se victum gemit;
Cùm propè paterna sceptra domitoris suo
Bono experitur. Sapere peregrino decet,
Si proprium amatis commodum. Non est viri,
Ire in ruinam, quando se promit salus.
Deliberate, vestra quod poscit salus,

Timere rebus Nam quid immunes lares
Quid salva spondet tecta, si metuit nihil?
Nihil timentem fortior adurget suos
Sitis ad triumphos. Facilis hinc tumidum pre-(mens
Indicia palmæ certa jam monstrat Deus
Ab. Capiamus omen. Petere, quod possis manûs
Viribus habere, est robori suo parum
Fidere. Petivit: ipse diffidit sibi.
Minatur imis summa miscere, hæc quoque
Trepidantis animi signa sunt. Qui se satis
Valere credit viribus, linguâ tacet;
Factis laborat. Ille, cui Mars in labris
Cruentus ignes spirat, in factis riget.
Ie. Sed domuit arces, mœnia infregit, jugo
Subjecit urbes, regna sub fasces suos
Perampla traxit. Fateor: at facile est jugum
Injicere populis; quando, quò martem trahis,
Metus antecedeens urbium pandit fores.
Nondum periimus, quamdiu venis calet
Vel una gutta sanguinis; semper micat
Spes aliqua nobis; ille, quod timeat, habet.
Io. Magis ferocit ille, qui potest minus.
Quæ murmurante nube tempestas diu
Se lenta volvit; illa metuenda est minus:
Metuenda magis est illa, quæ præceps venit,
Feritque præceps Æmulus quando silet,
Tumidus ferocit æmulus: quando manus
Applicuit armis, seque constanti pede
Opposuit; animo tumidus insano cadit,
Ponitque flammas. *Sim*. Aviâ obsessis sitim
Minatur undâ, quantulum hoc urbi est malum?

SCENA QVINTA

Datur Legato responsum ad Holofernem referendum.

Ozias. Narseas.

- - Insolens visus furor
Vestri est tyranni. Martis Assyrii jugo
Non serviemus. Populus ingenuus sumus:
Non serviemus. Mœnibus stragem, facem
Laribus minatur. Ista non terrent viros
Majora passos. Mœnia inscendat prius;
Postea minetur urbis eversæ viros
Condere ruinis. Valla subvertat: viri
Sua explicabunt pectora in vallum. Siti
Laticem negabit? pluvia de cœlo dabit.
Audis? cadentes tecta jam nimbi rigant:

Pluvia cadit.

Jam populus omnis dona cisternis capit
Cœli pluentis. Liberos flammis lares
Salvamque vitam spondet, Assyrio jugo
Si colla demus. Scilicet magnum quid est,
Non rapere vitam; quodque latrones solent:
Conferte munus. Hactenus gentes sua
Sub frena traxit: nempe quæ dentem lupis
Sponte induêre. Liberam fecit Deus
Gentem Abrahami; frena non patimur, nisi
Dei imperantis. Cede quæ dixi, tuo
Refer Holoferni. Liberi Assyrio jugo

SCENA SEXTA.

Foditur in urbe excipiendæ aquæ pluviali cisterna. invenitur imago Moysis petram percutientis. Omen bonum accepitur.

Charmi. Merob. Nicol. Fossores.

Me. Sperare fausta jussit Antistes Dei. (mit
Cha. Crede imperanti, quando, qui muros pre-
Indicit arma Numini. Nobis licet,
Pejora meritis, arma sint pœnæ; tamen
Severiore dexterâ in telum volat,
Si quando Numen spernitur. Reliquas Deus
Clementiore dexterâ culpas premit;
Hanc semper ultor proximâ impellit manu.
Me. Hinc mihi salutis aliqua spes blandæ micat,
Communis unde causa nobis cum Deo est.
Nic. Nec arida sitis urget; ubi pluvijs Deus
Terras inundat. Bina jam puro tumet
Cisterna latice: tertiam hîc fosso solo.
Jusso labore pandimus. Non est labor
Gravis ille, qui pro publico sudat bono.
Me. At ecce marmor aureâ illusum notâ.
Cha. Hic ille primus sanguinis nostri parens,
Vindexque libertatis, Horebi petram
Jussu Tonantis increpat virgâ; & siti
Aqua liberalis monte de cœso cadit.
Nic. Felicitatis omen hoc nostræ accipe.
Qualis calentem fonte populorum sitim
Deus inopinò sustulit; talis situm

Damus in tristes Boreæ lusus.
Chab Ponite Serum vellera pueri:
Alius cultus decet afflictos.
Exuunt prætextas: assumunt cilicia.
Iud. Vos quoque teneros laniate sinus:
Quæque per armos tænia facili
Zephyro illudit, lacerata gemat.
Chab. Indue rigidis corpora villis
Fune colla induunt.
Mæsta Juventus. *Iud.* Vos quoque colla
Cingite setis. *Chab.* Sparge fluentem
Pulvere crinem. *Iud* Tu quoque cinerem
Cinere se spargunt.
Ingere capiti. *Ch. uterq.* Cinis incompto
Vertice sparsus fluit in vultus.
Chab. Lumina cœlo figite; palmas
Tollite in altum. *Iud.* Sed vos oculos
Figite terræ; purasque manus
Jungite sinui. Forma puellas
Pudibunda decet. *Chab* Nunc, nunc mecum
Flebile cœlo tollite carmen,
Votisque pijs onerate Deum.
O Deus, audi vota precantum!
Ch. uterq. O Deus, audi vota precantum!
Chab. Pater ô hominum sincerus amor,
Meliore tuos aspice vultu.
Quantâ Assyrius fulminet irâ;
Quantisque cadat plebs tua damnis,
Cernis ab alto. Sed qui statuis
Sceleri metam, finemque malis;
Medio trepidos exime letho.

O De-

O Deus, audi vota precantûm!
Ch uterq. O Deus, audi vota precantum!
Iud Obvia dum se mortis imago
Undique jactat, spes vivit adhuc
Innixa tuo Deus auxilio:
Quosque afflictis formido rapit
Animos, iterum spes restituit.
O Deus, audi vota precantum!
Ch. uterq O Deus, audi vota precantum!
Chabri. Pro tibi charo populo, dignum
Molire tuo Numine robur.
Olim Pharij castra tyranni
Per scissa rubri fœdera ponti
Rapta, procellis involvisti.
Non hîc tantis viribus opus est,
Valet ex tenui nube profusa
Tibi servire in prælia rana,
Leviorque culex, aut ut quondam
Latè Pharios fusa per agros
Densa locusta in bella venire.
O Deus, audi vota precantum!
Ch uterq O Deus, audi vota precantum!
Iud. Nullis opus est (ô Deus!) armis,
Nullo torti fulminis igne.
Velis: hostilis jam jacet ira,
Mordetque suum rabies æstum.
Velis: exempta est Bethulia jugo,
Pavidique trahunt sponte ruinam
Prostrata solo castra Assyrij.
Qualiter olim lit[illegible] ad sonitum
Mœnia lapsu sponte ruerunt.

Necis,

Necis, & vitæ Domino facilè est
Vertere sortem. Velis: ex ipso
Rediviva cohors tumulo surgit.
Eadem causa est tibi, nobisque,
Acer honoris proprij vindex;
Fac ut honoris tui inimicus
Propriâ discat clade, Tonanti
Esse ultricis pondera dextræ.
O Deus, audi vota precantum!
Ch uterq. O Deus, audi vota precantum!
Chabri. Surgite. Numen compressa diu
Tandem pænæ fræna resolvet.
Si pede claudo crimina sequitur,
Tandem assequitur, pensatque moram
Gravitate ictûs. Nulli impunè
Constitit, armis tentâsse Deum.

SCENA OCTAVA.

Refert Bethuliensium responsum Narseas: excandescit Holofernes, & extrema comminatur.

Holofernes. Narseas.

Rideor Apellis gentium victor, polo
Quascunque medio lustrat æqualis dies?
Rideor? & una ferre detrectat lupos
Bethulia vecors, quos momordêre inclytæ
Mavorte gentes? Rideor? nec se meis
Acclinat armis turpe servorum genus?
Na. Servire generis æstimat probrum sui.
Ho. Gens nata servis?

Na.

Na. Mœnibus nullam timet
Suis ruinam. *Hol.* Post tot æquatas solo
Versasq́ue turres? *Na.* Nec timet popu'i sitim.
Hol, Post avocatos semitâ rivos suâ? (get.
Na. Stragem imminentem pectorum objectu te-
Ho. Post tot repletas funerum aggestu vias,
Camposq́ue stratos ossibus?
Na. Vitam dari
Non deprecatur; munus id etiam rata
Sævi latronis esse, Quæ nostrum rotat
In bella Martem, Numinis causam facit.
In causa honesta sanguinem & vitam dare,
Reputat honestum: gloriæ æternæ decus
Hoc stare puncto si asserat cultum Deo,
Vel pro asserendo spiritum morte exuat.
Vestem abjicit, acinacem stringit.
Ho Habeat, quod optat. Flammeo amorum glo-
Involvat urbem miles: assultu premat, (bo
Quidquid resistit; laribus & flammam & necem
Injiciat ultor Obvius quisquis venit,
Morti immoletur. Innocens nemo est, ubi
Omnes nocentes culpa communis facit. (riat
Quidquid probrosi est sanguinis, ferrum hau-
Incendiumque Lemnios ignes supra,
Majorque flamma flammâ Avernali voret.
Nec ante sistat impetum infrenis calor,
Quàm nostro ab ense sanguinis tantum fluat,
Ut æstuantem extinguere ardorem queat.
At nullus inde Numini Hebræo tamen
Honor asseretur; gloriæ infringam rotas,
Si queis triumpho umbratili illudit sibi;
Le

Levibusq; e Verbis fictus Abramidùm Deus,
Quacunque sese tollat, attritum meis
Calcabo pedibus, meque adorandum Deum
Solio reponam. sic Deum atque homines regam.

CHORVS.

Dolor Bethuliæ.

PARS. I.

Dolor tormenta affligendæ Bethuliæ praeparat.

Dolor.

Semper acerbo surgit ab ortu,
Quidquid amœnum est. Rosas florentis
Temporis auspex, Pœstique decus
Acribus ortum trahit à spinis.
Gemmea pulchri sidera cœli,
Mitesq; ue faces ætheris alti
Ex nocte micant: Ipse diei
Genitor Phœbus pelagi salsis
Nascitur undis. Nihil humanis
Purum in rebus, ducit amœnum
Ortum & finem. Tragicas scenas
Hilaresq; ue agimus; lætos ortus,
Tragicos fines; tragicos ortus,
Lætos fines: semperque Dolor
Gaudii præeo. Sua Bethulia
Gaudia quærit: gaudia habebit:
Sed prius acri pressa dolore.
Ego tormentis instruo scenam,
Ite volantes æthere gladij:
Ite furentis semina flammæ:

Ite calentis belli horrores:
Inamœna sitis, comitatâ fame
Sua Bethuliæ tormenta date,
Undè fluentes nectare rivos
Puræque bibat gaudia mentis.
Magna voluptas venit magni
Merce doloris.

PARS II.

Exercetur à Dolore Bethulia: ignis ei horrea depascitur: ex incendio fames exilit: volantibus undiq; gladijs incingitur Bethulia.

Bethulia.

Heu mihi! laxis ignis habenis
Horrea vastat, messesque vorat
Multæ æstatis. Sic quæ lecta
Bona per multos condimus annos,
Una hora rapit. Surgit ab igne
Heu! cruda Fames. Hæc ipsa mihi
Mordet acuto viscera dente.
Heu! mihi fauces sæva elidit!
Desine tristis colla Megæra
Stringere. Morior! desine, morior!
Nostra catenæ more rotantur
Damna, perennes ducta per orbes.
Vix unum exit, pullulat aliud
Gravius primo. Parte sinistrâ
Parteque dextrâ, simul à fronte
Simul à tergo, desuper, infrà,
Mille minantur mortibus enses.
Parcite Martis sævi horrores!

Quic

Quid me nimimùm dire superbo
Pede conculcas? parce minaci
Fulgure ferri Mars dire meos
Terrere oculos. Iterum damnum
Prius alterius gradus est damni.
Undique ferri scintillat atrox
Flamma, nec ullum mihi desertæ
Tutum in latebras panditur antrum.

Pars III.

Bethulia ex occulto gladijs undique obsessa se tandem Deo resignat.

Fiducia. Bethulia.

Rebus in arctis amplior animo
Scena paratur. Surrige mentem;
Quà patet ampli regia cœli;
Undè fluentûm series rerum,
Certusque orbis ducitur ordo.
Res ubi lapsa est, spes ibi surgit:
Spes ibi vivit, res ubi moritur.
Tunc Numen adest, quando humanis
Nullum à medijs micat auxilium.
Hinc vena fluit secura boni,
Quæ te ferit, est divina manus:
Eadem sanat. Confide Deo,
Mitior animum dolor affliget.
Beth. Nemo, nemo mea solari
Tormenta potest; nemo timores
Pellere; nemo ferre levamen.
Sic ergo tibi Deus, alternâ
Qui vice nostras res moderaris.

Sic

Sic tibi placuit? Nihil abluctor.
Sum tua, Numen. Quodcunque jubes,
Regula recti est, gaudij amussis,
Norma quietis. Parce, erravi.
Didici serò, didici tamen hoc,
Nihil humanis fidere rebus.
Quicunque voles ope destitui.
Plus fide homini, cœloque minus.
Quicunque voles ope fulciri,
Omnia cœlo, nil fide homini.
Experta loquor: quando minantur
Undique mortes, fatumque atro
Funere sævit, te trade Deo.
Ille est, fatum qui movit omne:
Ille minarum nubila volvit,
Ille minarum nubila tergit.
En tua venio Deus in jura;
Nusquam possum tutior esse,
Quàm si totam me tibi tradam.
Accipe Numen, me accipe: tua sum.
En tua venio Deus in jura.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Iudith secum deliberat de exitu ad castra Holofernis.

Iudith sola.

QUid anime suades? fœminæ? imbellis ma
Viris inausa tentet? At genius tamen (nu
In

Internus urget: Vade in Assyrias Judith
Intrepida furias: una depositæ dabis
Urbi salutem. Cœlites! vestrâ fidem!
An loquitur intus Numen, & sexu aggredi
Majora cogit? Arte quâ speras feram,
Avidamque nostri sanguinis tigrin tuæ
In vota trahere? Melleus linguæ lepor,
Blanditiæ in ore, risus in vultu, tenor
Mitis oculorum, gratia genarum, viris
Est blandus hamus, quamlibet corde efferis.
Etiam feroces gratia emollit tigres.
Sic est: ferocem mollies, damno tuo,
Et prostitutâ pectoris casti nive.
Patriæ salutem fingis, & perdis tuam.
Periculosè milites inter viros
Prodit venusta forma. Procedunt viâ
Plerumque eâdem, Martis exlegis rigor,
Calorque Veneris. Non vides, quanti imminet
Jactura precij? sed monet rursus tamen,
Urgetque rursus, quisquis internas agit
Animi medullas spiritus: vade inclyta
Soboles Abrami; vade; qui mittit, tuo
Aderit pudori tutor; hoc per te dabit,
Quo detumescat turbo, qui versat ratem.
O si ista cœlo monita descendunt, modum
Dictate Superi, quo procellosi cadat
Tanta ira belli, nostra quo veniat salus!
Ne temerè agamus, agenda meditatu prius
Sunt digerenda. Agenda non video, & tamen
In agenda cogor. An jubes cœlum manus
Armare telis? Nempè inexpertam jubes,

Du-

Durique Martis nesciam: risum dabo
Et urbi,& hosti. Sentio rursum fibras
Intus moveri: vade, tu risum dabis
Urbi,sed hosti funus, & cladem ultimam.
Ego? ego Holoferni funus? & cladem ultim
Natura si benignior Judith virum
Fecisset,animum masculum cordi quoque
Huic indidisset, quique congressus viro
Sperare posset ultimam cladem dare:
Sed sexus id sperare fœmineus vetat.
Quidcunque subsit,audeo;& grandes mihi
Eunt per animum spiritus,sexum supra
Supraque vires fœminæ. Non stent tamen
Consilia tanta unius arbitrio: Patres
Si sensa nostra,& pectoris vocem probent,
Vocemque credant Numinis,nulla est mora:
Media per hostis arma,quà Genius feret,
Quà mens agetur,ibo nil lethi timens,
Nihil pudoris: qui jubet,vires dabit.

SCENA SECUNDA.

Dum Duces designant assultui faciendo cum, tempestas repentè orta consiliũ turb Chermes blasphemus fulmine icitur.

Rison. Chermes.

In bella miles,otia exosus,calet,
Pulchramque parere gloriam affectat Duci.
Dilata vota,militum enervant manum.
Tunc spes secundi prælij est,quando calet

Co

Communis æstus; iste, si trahitur morâ,
Elanguet ignis, spemque conceptam atterit.
Decreta Regis sancta sunt, ferro & face
Evertere urbem. Parte, quâ facilem putes,
Pandemus aditum?
Che. Parte, quâ tuta est minus.
Hoc est agendum; certa ut Assyrio Duci
Subdantur urbis mœnia, & parcè tamen
Cruor hauriatur militis. Quid nos juvet,
Fudisse multum sanguinem, & vilem locum
Emisse precio, nulla quod reparet dies?
Par perditæ est victoriæ, victoria
Quæ prostituto sanguine tuorum venit.
Ris. Signanda arena est, qua sibi nostræ viam
Rumpant cohortes. Vilis est locus, ut vides;
Aditu sed undique arduus. Parte hac viam
Prærupta saxa denegant. Parte hac palus
Profunda stagnat. Quà resurgentem diem
Prospectat, humili lenis assurgit jugo
Clivus, bonamque spondet accessu viam.
Che. Sed inde majus mœnibus robur.
Ris. Manu
Nostrâ eruetur. Quanta tempestas polum
Repente totum contrahit? Nostræ invidet
Felicitati hic nimbus, & densâ ruens
Procella nube. *Che.* Siste, qui frustra polo
Immugiente fulmina minaris, putre
Inersque Numen. *Ris.* Parce blasphemo Deum
Lacessere ore. *Che* Nullus Abramidûm est Deus.
Ris. Tamen ista quisquis fulmina elidit, Deus
Est aliquis. *Che.* Illum nube detrudam suâ.

Huc fulminaster, quisquis eliso micas
Metuendus igne, confere huic manui manum,
Telumque telo
Ris. Desine, ô Chermes: propè
Jam cecidit ira fulminis prima. *Cher.* Irrita
Et cassa cecidit illa. Nempè istam manum
Ignava timuit. *Ri.* Prima si transit, caput
Ferit secunda, Nullus irato polo (nus.
Impunè certat. *Cher.* Vacua jam resîdi est ma-
Jam nostra tela adurgeo, & inertem suâ
Ejicio sede. Fulmen! heu! fulmen cadit.
Ris. Hoc habet. Olympum nemo securè impio
Lacessit ore. Quisquis est, tamen est Deus
Per quem rotantur fulmina, & vastis eunt
Nimbis procellæ. Noster at frustrà est labor
Viam notandi, donec exterso polo
Aperiat iterum pulsa tempestas diem.
Tollite cadaver, omen infaustum nimis
Holofernis armis. - -

SCENA TERTIA.

Iudith consilium suum confert cum Sacerdotibus à quibus approbatur.

Ozias. Iudith. Chabri. Charmi.

Ozias. - - Illa consilia polo
Venisse credis? *Iud.* Genius hærentem monet;
Et quam vel hostis ira, vel sexus negat
Spem, pollicetur.
Oz. Dubia pro certis refers.
Iud. Non patitur esse dubia, qui semper mihi
Ve-

Vellit medullas spiritus.
Chab Sed dum patent
Meditata mentis incitæ, eventus latet.
Iud Da mentis esse sensa de cœlo incitæ,
Iam certus est eventus.
Chab Id nondum patet,
An verset animum genius è cœlo inditus,
An spes inanis fœminæ illudat magis.
Iud Hinc placita vestra postulo, à quorum decet
Pendere nutu. Char. Sed quibus medijs dare
Rei secundos exitus speras? Iud Quibus
Animum manumque fœminæ cœlum reget. (di,
Char Prudentis hoc est; non prius callem ingre-
Quàm provide cernat aspectu exitum.
Iud Prudentis etiam est, ire, quò cœlum trahit.
Char Sed non eundum est impetu cœco. Iud Pia
In obsequente cœcitas, imò unica (est
Obtemperantis regula Oz. At homines Deus,
Non bruta, nos creavit.
Iud. Hoc hominem decet,
Cœcè imperantis Numinis voci obsequi.
Oz. Ratione regimur; ratio consilia aspicit.
Iud Mandata quando ratio suffulcit, cadit
Studium obsequendi. Ratio rationum unica est:
Sic mandat ille, quem nihil rerum latet,
Qui perspicace lumine abstrusos videt
Veri recessus, fallere, aut falli cui
Æquè est negatum.
Oz. Plurima hic mentis gravem
Petunt bilancem. Iud Vestra judicia mei
Sunt norma voti; velle si vultis, volo;

Huc fulminaster, quisquis eliso micas
Metuendus igne, confere huic manui manum,
Telumque telo
R f. Desine, ô Chermes: propè
Jam cecidit ira fulminis prima. *Cher.* Irrita
Sit cassa cecidit illa. Nempè istam manum
Ignava timuit. *Ri.* Prima si transit, caput
Ferit secunda, Nullus irato polo (nus.
Impunè certat. *Cher.* Vacua jam resîdi est ma-
Jam nostra tela adurgeo, & inertem suâ
Ejicio sede. Fulmen! heu! fulmen cadit.
R f. Hoc habet. Olympum nemo securè impio
Lacessit ore. Quisquis est, tamen est Deus
Per quem rotantur fulmina, & vastis eunt
Nimbis procellæ. Noster at frustrà est labor
Viam notandi, donec exterso polo
Aperiat iterum pulsa tempestas diem.
Tollite cadaver, omen infaustum nimis
Holofernis armis.

SCENA TERTIA.

Iudith consilium suum confert cum Sacerdotibus à quibus approbatur.

Ozias. Iudith. Chabri, Charmi.

Ozias. Illa consilia polo
Venisse credis? *Iud.* Genius hærentem monet;
Et quam vel hostis ira, vel sexus negat
Spem, pollicetur.
Oz. Dubia pro certis refers.
Iud. Non patitur esse dubia, qui semper mihi
Ve-

Vellit medullas spiritus.
Chab Sed dum patent
Meditata mentis incitæ, eventus latet.
Iud Da mentis esse sensa de cœlo incitæ,
Iam certus est eventus.
Chab Id nondum patet,
An verset animum genius è cœlo inditus,
An spes inanis fœminæ illudat magis.
Iud Hinc placita vestra postulo, à quorum decet
Pendere nutu. Char. Sed quibus medijs dare
Rei secundos exitus speras? Iud Quibus
Animum manumque fœminæ cœlum reget. (di,
Char Prudentis hoc est; non prius callem ingre-
Quàm providente cernat aspectu exitum.
Iud Prudentis etiam est, ire, quò cœlum trahit.
Char Sed non eundum est impetu cœco. Iud Pia
In obsequente cœcitas, imò unica (est
Obtemperantis regula Oz. At homines Deus,
Non bruta, nos creavit.
Iud. Hoc hominem decet,
Cœcè imperantis Numinis voci obsequi.
Oz. Ratione regimur; ratio consilia aspicit.
Iud Mandata quando ratio suffulcit, cadit
Studium obsequendi. Ratio rationum unica est:
Sic mandat ille, quem nihil rerum latet,
Qui perspicace lumine abstrusos videt
Veri recessus, fallere, aut falli cui
Æquè est negatum.
Oz Plurima hic mentis gravem
Petunt bilancem. Iud Vestra judicia mei
Sunt norma voti; velle si vultis, volo:

Si nolle, nolo. Gloria est eadem mihi
Voluisse, noluisse; cum vestra fluet
Utrumque lege. *Oz.* Fateor, ancipitem tenes.
Amanda populo poscis; haud minus tamen
Tibi metuenda. *Iud* Cura vos tangit mei?
Oz. Optata tumido victima Holoferni cades.
Iud Jactura facilis fœminæ est.
Oz. At non licet
Hosti innocentem tradere. *Iud* Erratis. licet
Non impedire à morte cupientem mori,
Periclitantis patriæ quando id salus
Ambigua poscit. *Oz.* Sed quid effectum dabis
Iud. Quod ille menti suggeret, cujus manu
Ducimur ad ista. Velle qui dederit, dabit
Et scire, & unà posse, quod jussit. *Oz.* Tuo
Nihil vereris vertici? *Iud.* Nihil. *Oz.* Tuo
Nihil pudori? *Iud.* Et huic nihil *Oz.* Famæ tu
Intaminato nomini nihil? *Iud.* Nihil.
Oz Secede modicum: mente maturè est rei
Libranda moles. *Iud.* Urbis, & Vestram, & D
Librate causam. - - -

SCENA QVARTA.

Auditâ Iudith, deliberant Patres super ejus petitione.

Ozias Charmi. Chabri.

Ozias. - - - Quanta fœmineo regit
Decreta mundo! Fœminæ cœlum dedit
Animos viriles. Quid agimus? Numen pu

Hanc regere mentem? nata consilia Deô
Dictante credam? posse muliebri manu
Dari salutem? Multa dissuadent; tamen
Et multa suadent. Nutat ambiguo bono
Suspensus animus. Quid juvet, quid non juvet
Statum labantem, vestra consilia explicent.
Chab. Suspectus equidem spiritus mentis pot-
Esse in muliere, quando privati solet
Suspectus esse genius: at neque nos decet
Præstare facilem rebus ambiguis fidem.
Errore facilè capitur, assensu levi
Quicunque vana sequitur: At constans tamen
Animi ille stimulus inciti, & nullo cadens
Periculo ardor, major humanâ fides,
Ausisque fœtum grandibus pectus, satis
Divini agentis spiritûs prodit notas.
Quid ergò dubias fœminæ injicimus moràs?
Errare agente spiritu tanto nequit.
Eat? Holofernis castra perturbet. Potest
Venire gratia, unde sperari nequit.
Che. Sed adde puros fœminæ mores, notas
Divinioris pectoris, vitam integram,
Mentemque labis nesciam. His loquitur Deus
Hos urget intus. Singula at nondum paten.
Quid inde? Magna tempore patescunt; latent
Ad tempus eadem. Vota per gradus eunt:
Neque Numen uno cuncta momento explicat.
Primam apprehendi gratiam à nobis jubet.
Hanc si recusas, magna momento ruunt.
Hanc occupa, secunda connexam fluent
Ducta in catenam. Deinde, si faustum nihil

Sperare liceat fœminæ à voto; licet
Nihil timere. Si quid invisum tamen
Possit timeri, cauta prævidit: mori
Nec ipsa refugit. Vita permitti potest
Venalis ensi, quando perituræ salus
Id poscit urbis. *Oz.* Vestra consilia meæ
Sunt fulcra mentis. Ille confisus Deo
Magnanimus ardor, ille diffisus sibi,
Nostroque pendens genius à nutu nihil
Non grande prodit, quodque speramen sapit
Divinioris regulæ. Hæc certa est nota
Dei regentis; proprio genio minus
Credere; alieni frena consilij pati.
Ergò quod astris placeat, & faustum velint
Superi evenire; fine meditata exeant,
Qui sit secunda patriæ afflictæ salus.
Huc advocetur. - -

SCENA QUINTA.

Iudith responsum accipit à Sacerdotibus, sua consilia probari.

Ozias cum Sacerdotibus. Iudith.

- - Filia Abrahamo patre
Progenita, magnæ stirpis excelsum decus,
Placuit probati cordis intrepidus calor,
Mentisque flamma. Vade, quò Numen vocat,
Quò te medullis inditus genius agit.
Nescimus equidem quid velint Superi; tamen
Secunda nobis velle persuadet tua

Virtus,& altæ mentis excelsus vigor,
Animusque fisus Numini,& subdens sua
Consilia nostris. Astra non dubium est tuis
Studere rebus. Vade,quod agendum Deus
Indiderit animo, prospero eventu effice.
Iud. Probare vota Cœlites tandem scio,
Hinc crescit animo robur,& flagrans calor
It per medullas,seque non dubio salus
Insinuat æstu. Quando lassatus dies
Pronior in undas ibit occidui maris,
Hinc castra adibo. *Oz.* Reque confectâ benè,
Optatâ populo gaudia è castris refer.

SCENA SEXTA.

Dum Holofernes fulmine ictum deplorat Chermetem, apparet militia cœlestis, quæ castra Assyria turbat.

Holofernes. Rison. Vagao. Militia cœlestis.

O triste fati pondus! ô vulnus grave!
Infauste Chermes! fulmine impulsus jaces!
Quàm magnus animus sorte non faustâ obrutus
Meos honores turbat! Est semper malum
Priore pejus alterum,quod spes meas
Trahit in sepulchrum. Quisquis Hebræus Deus
Pugnat trisulca cuspide, hanc timeat manum
Martem timere nesciam. *R.* Faustum nihil
Hic ominari patitur Assyrijs tumor.
Sunt sua parata fulmina superbis. *Vag.* Perit,
Dux magne,miles omnis,atque uno tegit

Solum macello. *Hol.* Turbo quis rursus meis
Inhiat triumphis?
Vag Monstra per liquidum aëra
Invecta; cædes cædibus cumulant. Moras
Abrumpe Princeps. Fluctus hic celerem malo
Petit medelam. *Mil.* 1 Fulmen elisum fuge,
Fuge fida Martis anima!
Hol. Quò præceps ruis?
Mil 2 Dehisce tellus! conde Avernali caput
Istud sub umbra, Tartaro si quod præes
Numen inamœnum.
Ris. Siste furialem impetum
Vesane bubo *Mil.* 1. Monstra terrificâ manu
Capitibus instant.
Mil. 2. Vulgus umbrarum trahe
Me sub Acheronta. *Hol.* Martiæ mentis pudor!
Probrumque vile gentis Assyriæ! satis
Datum timori. Strage, quid propriâ furis?
Mil 2 Attolle vultus: cerne quid nobis Deus
Immineat ultor, spiculis auras, polos
Terrore, campos strage miserandâ oppleat.
Hol Quæ monstra cœlum! militum fidæ manus!
Jactamur unâ sorte! quid? tellus labat?
Hiat in cavernas orbis? Effractis ruit
Cardinibus æther? mole collapsus suâ
Me condat orbis, nube me piceâ tegat
Stygis recessus ultimus: Cœlo erutus
Necti perenni jura concedat dies.
Ris. Miserande Princeps! eripe invictum caput
Iræ Tonantis. Obvius quisquis stetit
Deo, periuit. *Hol* Terra sub pedibus tremit.
Ris.

Ri/ Fuge, fuge Princeps, ultimam ſtragem fuge
Mundi cadentis. *Hol.* Fata fugientem premunt.
Ang. Vel ad minantis fulmen hoc cœli ſape,
Vel impiato funus Acheronti cade.
Deus priuſquam feriat, intentat minas:
Si præmonentis irritæ cadant minæ,
Graviore vulnus ultimum infligit manu.

Scena Septima.

Mirantur Bethulienſes repentinam in caſtris Aſſyrijs turbationem; & inde benè ominantur.

Iophet. Merob. Nicol.

Quis æſtus ille? quis laceſſiti fragor
Aſſyrij in armis? mœnia aſſultu parat
Eruere? an umbras fingit? an patitur? mihi
Tumultus iſte grande portendit malum.
Me. Stat vigil in armis Civis, & circum omnia
Mœnia coronat, perque ſtationes ſuas
Digeſtus omnes hoſtium obſervat minas;
Nihil at parari virium in muros videt.
Io. Annon tumultum advertit?
Nic. Advertit; ſtupet
Timere, fugere, cadere; & exemplo novo
Nullo impetente ruere, quà præceps agit
Metus, vel ira. *Me.* Panicus vel eſt timor,
Vel præliantis Numinis vindex manus.
Io. Quidcunque ſubſit, dulce portentum mihi eſt
Noſtræ ſalutis, Quando confuſo metu

Deus arma turbat hostium, quid non licet
Sperare? *Nic.* Jam se posuit, id quidquid fuit,
Altumque miles ambitu toto silet.
Sed ecce Judith. Qualis incessu Dea!

SCENA OCTAVA.

Judith inter vota Sacerdotum & populi exit in castra Assyriorum.

Ozias. Judith.

Favet hora; adsurge cœpta: quod timeas, nihil
Superesse crede, quando confuso stupet
Hostis timore percitus, fortè & bonam
Desperat auram. Facilè ponuntur minæ;
Pax obtinetur facilè, quando hostis timet.
Quà fronte adibis castra?
Jud. Quà coram vides.
Oz. Nihil horret animus?
Jud. Nam quid horrorem creet?
Oz. Etiam virile pectus inimicum timet.
Jud. Quem prævalere viribus, & armis putat.
Oz. Nata es quieti mulier, hic bello potens,
Ferox tumore, gentium victor, gravis
Spoliis, onustus urbium prædâ, calens
Voto triumphi, & sanguinis nostri siti.
Jud. Animi minores ista formidant, quibus
Est cura major sanguinis, quàm sit Dei.
Hosti timores incutit, qui nil timet.
Favete votis, quique mortales regit
Ab axe curas, ille constanti prece
Populi invocetur, quæ jubet, fausto exitu

Eadem coronet. Oz. Vade quò cœlum vocat,
Et vel recente ab hostibus palmâ inclyta,
Vel invidendâ nobilis oleâ redi.

Cantu prosequuntur vota.

Chorus. Magna Herois. Genus Abrami,
Decus Isacidûm, comitante Deo
Vade, Assyrium vel conterere,
Vel blanditijs lenire metum.
Contra Superos qui bella gerit,
Sciat esse Deum, quem congestis
Impetiit armis: sciat esse Deum
Qui congestis obviat armis
Graviore manu. Nemo impunè
Astra lacessit, longosque scelus
Ducit in annos. Est sua tumido
Meta furori; quem vel lenit
Tempore mitis gratia linguæ;
Vel violento pondere gravior
Dextera truncat. Vade Abramidûm
Gloria Judith, cujus ope Deus
Exempla parat grandia sero
Cantanda ævo. Vade, nec animo
Confisa tuo, sed fisa Deo
Gaudia miseris sperata refer.
Ubi res agitur Numinis, ipsum
Aderit Numen propriæ causæ.

SCENA NONA.

Judith à Speculatoribus intercipitur.

Milites speculatores, Iudith. Abra.

Mil. 1. Abiêre furiæ, quæque per cœli plagas

Diffusa monstra mihi ti stragem dabant,
Evanuêre: rursus oblitus mali,
Exsuscitatus ardet in muros furor.
Mil. 2. Nescio quid anceps animus abstrusis mihi
Loquitur medullis. Nempè, non tantùm levi
Cum gente bellum est: gentis est etiam Deus
Cœlo extrahendus; cujus auxilio mare
Cessisse jactant: cujus & nube, & face
Vicisse jura Solis, & noctis crepant.
Mil. 1 Quis inde vultus emicat?
Iud. Fibris metum
Abra arceamus. *Ab.* Durius durâ mihi (mis
Stat caute pectus. *Mil.* 2. Frondium tecti co-
Hic aucupemur verba.
Ab. Spectamur! *Iud.* Dolis
Innecte verba. *Ab.* Perge; cui sexus dedit
Muliebre pectus, pectori inducat virum
Animosa virtus. Vota quid toties vice
Variante nutant? *Iud.* Melleum vultum Ducis
Sperare possim? *Ab.* Caspiæ haud equidē virum
Genere tigres. *Iud.* Multa, quæ metuat, habet
Hebræa mulier.
Ab. Sponte venienti obvios
Tendet favores. Nulla jam spes est domi, (mel
Multa est in hoste Sequere, quod cœptum est se-
Cùm spes in urbem nulla redeundi est super.
Mil. 1. Spes est in hoste.
Mil. 2 Siste, dum cœpti calet
Sermonis ordo: plura successus dabit.
Iud Sed ab hoste quid sperare felici licet?
Ab. Quod polliceri nemo ab imbelli sibi
Pos-

Possit vel jussit. *Iud.* Aureæ fortis favor
Reddit ferocem *Abr.* Parca cui vilem dedit
Natura mentem. *Mi.2* Grandia affatur, Ducis
Quæ nomen augent *Mi.2* Plura permitte incitâ
Prodire linguâ *Iud.* Ac urbis hostilis sinu
Fugitiva venio. *Ab.* Hoc faciet ingenuo Duci
Te chariorem. *Iud* Proditrix credar *Ab,* Fuga
Probat innocentem *Iu.* Quanta suspicio ingeret?
Ab Non habet honestâ in mente suspicio locum.
Iu Forsan dolosa credar. *Ab,* Hoc mores tui
Prohibent, & animi candidi effulgens nitor.
Iu. Creditur & ipse candor aliquando dolus.
Ab. Quando probatus ante candorem reus
Est fraudis animus.
Iud Non statim ex fronte aspicit
Imago mentis. *Ab,* Oculus at prudens legit
Ex fronte mentem. Perge sub vultus Ducis.
Spes illa certa est, quam innocens animus facit.
Mi 1. Parant adire principem: tempus monet
Præoccupare: præda, si faveat polus,
Hæc grande lucrum coget in nostras manus.
Mi.2. Præoccupemus. Mulier, ubi Mavors obit
Urbem coronâ, sola sine comite tui
Custode lateris, inter hostiles pores
Prodire furias? *Iu* Gentis Hebrææ timor
Audere jussit. *Mi.1.* Nempe dum cuncti timent,
Nihil una metuis? *Iu.* Metuo sed ab ipso metu
Audaciores spiritus mente induo.
Mi.2. Et quæ timoris causa? *Iu.* Ne peream simul
Urbe pereunte.
Mi.1, Quis urbis obsessæ est status?

Iu. Cui spem timores exuunt *Mi.1.* Sperant nihil?
Iu. Sed plura metuunt. *Mi 1.* Quæ?
Iu. Solo æquari lares,
Delubra & aras Cœlitum in cineres agi,
Fundi cruorem civium, uxores rapi,
Cædi innocentes, strage sepeliri pari
Sacra & profana. *Mi. 1* Non habent qui se viros
Præstent in armis? *Iu* Debiles, fractos, sua
Ægrè trahentes corpora, atque umbras meras.
Mi. 2. Cur ergò amicos differunt tanti Ducis
Mordere frenos? *Iu.* Invicem sese Dei
Favore lactant; quæque meminerunt suis
Prodigia quondam patribus ostensa, à Deo
Renovanda sperant.
Mi. 1. Credula est nimium fides,
Quæ cuncta sperat, facta quæ aliquando videt.
Iu. Melius salutem quærerent miti à Duce.
Hinc ego salutis cupida ruituros lares
Declino cauta, spemque securam fero
In vestra castra *Mi. 1.* Spe tuâ, & castâ fide
Frui mereris. *Iu* Liceat invicti Ducis
Subire vultus, supplice optatam genu
Veniam precari, quemque concepi spei
Fructum experiri. *Mi 2.* Parcere afflictis solet,
Transire mitis supplices, ferro gravi
In contumaces ruere. Quod poscis, feres.
Mi 1. At grande nobis præda tam fausti dabis
Pretium laboris. Vade, quò spes te vocat.

CHO.

Chorus Spei.

Pars. I

Allapsa de cœlo Spes, jacentem Bethuliam erigit.

Spes.

Surge: spes certa est. Brevis ira fortem
Urget adversam. Mare sævit undis,
Æstuat, fervet, tumidasque spumas
Jactat in cœlum; sed amica rursum
Pax redit ponto, placidisque venti
Flatibus ludunt, ubi detumescit
Ira, spes certa est Brevis ira fortem
Urget adversam. Boreale murmur
Concutit silvas, rigidâque frondes
Decoquit brumâ, Zephyritidosque
Regna non fausto populatur ore:
Sed redit silvis viror, & jocantûm
Frondium lusus; Zephyrusque rursum
Blandior terras nive pulsâ oberrat.
Surge; spes certa est. Mala nulla longum
Extrahunt ævum. Laceratur æther
Fulmine eliso, trepidumque mundum
Terret & montes jaculatus igne.
Urbibus grande excidium minatur.
Sed quies cœlo redit, & serenis
Curribus purus per inane Titan
Fertur. Adversæ est brevis ira fortis.
Nil, quod afflictos premit est perenne,

Gau-

Gaudet alternis premere, & levare
Res Deus nostras: favor & furores
Invicem cedunt. Mala sors timentes
Hactenus pressit, melior subibit,
Fidite cœlo.

PARS II.

Erecta Bethulia sperare incipit.

Bethulia. Spes.

Ergò frons lætæ micuit salutis?
Spes. Nemo desperet meliora pressus.
Cernis, impulsis agitata velis
Navis ut nutat, dubiisque fertur
Fluctibus ludus? latus à procellis
Tunditur lassæ; Borealis ira
Incubat puppi, lacerata vela
Abripit ventus; mare jam dehiscens
Fluctibus totam sepelit. Quis ausit
Credere, infami tumulata ponto
Vela felicem subitura portum?
En tamen mitis mare per quietum
Ambulat rursum Zephyrus, jacensque
Nereus somno leviore, prona
Terga submittit, facilique navim
Sistit arenâ.
Beth Nemo desperet meliora, quando
Sævior moti tumet ira ponti.
Turbidis tandem male tunsa curis
Corda quiescunt.

Hic

Hic ubi pugnax equitavit Auster,
Vela tranquillæ moderantur auræ;
Quas parit mitis Zephyrus, vel ore
Blandior Eurus.

Pars III.

Bethulia Spem per aëra insequitur; tandemque anchoram in cœlo defigit.

Spes. Bethulia.

Sic rege afflictam bona Diva mentem;
Meque venatu sequere incitato.
Be. Diva! quò pennas agis? Insequamur.
Siste. quo tendis? *Spe.* Rapidis sub astra
Elevor pennis. *Be.* Paribus volantem
Insequar pennis. *Spe.* Sequere, obtinebis.
Nulla spes firma est, ubi cuncta cœco
Fluctuant motu, dubiusque versat
Turbo mortales. Revocanda in altum est,
Si qua spes firmo pede stare debet.
Be. Diva me tecum rape. Spem volantem
Insequor frustrà, nisi Spes amica
Porrigat dextram *Spe.* Fugitiva credor,
Attamen non sum. Fugio, ut sequentis
Provocem mentem Sequere: assequeris.
Be. Diva jam nostra es. *Spe.* Tua sum, voloque
Esse constanter tua. Quid moraris?
Anchoram cœlo studiosa fige.
Be. Figo. Quis cœlo mihi Spem refiget?
Non tumens hostis furor, aut tyranni

Æs-

Æstus insani, neque mota belli
Cœca tempestas. Nihil hic sinistra
Fata formidat, cui fixa adhæret
Anchora cœlo.

ACTVS IV.

SCENA PRIMA.

Vagao apud Risontem agit, ut Iudith ad Holofernem deducatur. Resistit Rison.

Rison. Vagao.
Rison.

NOn impetrabis. *Vag.* Nam quid hinc metuis mali?
Ris. Quid non metuere debeat, quisquis sapit?
Va. Vir natus armis fœminam imbellem? *Ri.* Dolos
Fraudesque nimium nemo fœmineas cavet.
Va. Quid sola possit, debilis, inermis? *Ri* Vafra, &
Dolosa quid possit mulier, oras? Ferus
Quod nequeat hostis, quodque post cassis fleant
Lachrymis nepotes. Fœmina abstrusos habet
Animi recessus. Blanda dum vultu exhibet
Timenda cordis intimo abscessu coquit.
Va. Non exitura. Coquere quid prosit dolos,
Quibus negata ad publicam est lucem via?

Ri.

Ri. In hoc coquuntur mente, ut inveniant viam,
Quâ prodeant in publicum.
Va Ubi vires negat
Natura, vanus mentis obtectæ est furor.
Ri. Ira imbecillem nemini credas manum,
Ut non superbum sternere Heroem queat.
Va Sine, videatur mulier Assyrio Duci,
Si quid latentis esse cognoscet doli,
Ipse, quid agendum statuet.
Ri. Hoc ipsum est, capi
Dolis, videre fœminam Vagao abstine,
Nocitura petere: lumina ut subeat Ducis
Non impetrabis. Vita si detur, sat est
Quod petitur ultra, non vacat grandi metu.
Quid possit una mulier, ubi cœpit virum
Documenta magnis cladibus mundus dedit.

SCENA SECUNDA.

Vagao decernit quocunque demum modo agere ut Iudith Holoferni præsentetur.

Vagao.

At impetrabo. Ferre quæ demum potest
Nocumenta, si se vultui ostendat Ducis?
Placebit oculis? Placeat: Assyriis timor
Quis inde castris imminet? Non est Draco,
Qui visus imis toxicum injiciat fibris:
Non est Medusa, cujus aspectu viri

In saxa rigeant. Fœmina est: ergo potest
Capi viri prudentiâ, & nostræ quoquè
Servire palmæ. Parte, qua Rison latens
Malum veretur, video non modicæ spei
Fulgere radium. Nempe Bethuliæ in sinu
Consilia portat: quis sit armorum vigor,
Quis apparatus, quod virûm robur, manus
Quam firma muros teneat; arcendæ fami
Quàm multa Cereris copia; assultu premi
Quâ parte possit Civitas, nostri Ducis
Minore damno. Molle mulieri dedit
Natura pectus, pervium affectu, & patens
Verbis fluentis gratiæ. Quidquid latet
Mulieris animo conditum abstrusum, nocens,
Gratia Holofernis eruet. Frontem exerat
Sereniorem, gratiam in linguam evocet,
In verba nectar, & supercilium grave
Benignitate mitiget; aperta est via
Ad ima cordis. Ilicet sponte effluent
Consilia, & omne mentis arcanum evoment.
Hoc impetrabo. Fœminam Holofernes sciat
Venisse ab urbe, parta jam palma est mihi.
Ipsum mulieris nomen, & gratæ decens
Frontis character, fortis est laqueus viro.

SCENA TERTIA.

Commodùm adest Holofernes, cui Vagao indicat adesse Iudithbam. Holofernes ei loqui postulat.

Holofernes Vagao.

Adhuc inhæret pectori infixus dolor,

Timorque spectri, nostra quod fremitu gravi
Circumvolavit castra. Quid tandem Dii
In nos minantur? Una tumulabit dies
Famam & triumphos, ista quos pepererit manus?
Va. Favet hora votis. Alloqui Ducem juvat.
Verende Princeps, parce, si servus tuus
Audet rogare; fronte, quem spiras, dolor
Me quoque lacessit. Turbo quis mentem rotat,
Vultusque purum nube deformat polum?
Ho. Mens inquieta grande præsagit malum.
Va. Qua parte mentem fluctus invictam quatit?
Ho. Quia nil timendum credidi. Quid me juvet
Tot messuisse laureas, Marte inclitos
Fregisse populos, nomen Assyrium exteris
Plantasse terris; una si famæ decus
Extinguat omne, vilis, & nostro prope
Indigna Marte Civitas. *Va.* Unde hæc mali
Suspicio Princeps?
Ho. Video, non vana Achior
Fuisse verba: *Celsius quò te tulit*
Fortuna, tumidos spiritus magis doma.
Semper timenda est dextra, quam munit Deus.
Va. Credis canenti fabulas? *Ho.* Verum probant
Prodigia cœli: quæque per liquidum aëra
Infusa monstra militi extremum metum
Dedêre nostro. Ubi tanta conspirant mala,
Malum parari grandius quoddam probant.
Va. Meliora, Princeps, adfero. *Ho.* An ludis joco?
Va. Optanda narro. Fœmina fugaces tulit
In castra gressus. *Ho.* Unde?
Va. Bethuliæ è sinu.

Ho

Deus arma turbat hostium, quid non licet
Sperare? *Nic.* Jam se posuit, id quidquid fuit,
Altumque miles ambitu toto silet.
Sed ecce Judith. Qualis incessu Dea!

SCENA OCTAVA.

Iudith inter vota Sacerdotum & populi exit in castra Assyriorum.

Ozias. Iudith.

Favet hora; adurge cœpta: quod timeas, nihil
Superesse crede, quando confuso stupet
Hostis timore percitus fortè & bonam
Desperat auram. Facilè ponuntur minæ;
Pax obtinetur facilè, quando hostis timet.
Quâ fronte adibis castra?
Iud Quâ coram vides.
Oz. Nihil horret animus?
Iud Nam quid horrorem creet?
Oz. Etiam virile pectus inimicum timet.
Iud. Quem prævalere viribus, & armis putat.
Oz. Nata es quieti mulier, hic bello potens,
Ferox tumore, gentium victor, gravis
Spolijs, onustus urbium prædâ, calens
Voto triumphi, & sanguinis nostri siti.
Iud. Animi minores ista formidant, quibus
Est cura major sanguinis, quàm sit Dei.
Hosti timores incutit, qui nil timet.
Favete votis, quique mortales regit
Ab axe curas, ille constanti prece
Populi invocetur, quæ jubet, fausto exitu

Ex-

Eadem coronet. Oz. Vade quò cœlum vocat,
Et vel recente ab hostibus palmâ inclyta,
Vel invidendâ nobilis oleâ redi.

Cantu prosequuntur vota.

Chorus. Magna Herois, Genus Abrami,
Decus Isacidûm, comitante Deo
Vade, Assyrium vel conterere,
Vel blanditijs lenire metum.
Contra Superos qui bella gerit,
Sciat esse Deum, quem congestis
Impetit armis: sciat esse Deum
Qui congestis obviat armis
Graviore manu. Nemo impunè
Astra lacessit, longosque scelus
Ducit in annos. Est sua tumido
Meta furori; quem vel lenit
Tempore mitis gratia linguæ;
Vel violento pondere gravior
Dextera truncat. Vade Abramidûm
Gloria Judith, cujus ope Deus
Exempla parat grandia sero
Cantanda ævo. Vade, nec animo
Confisa tuo, sed fisa Deo
Gaudia miseris sperata refer.
Ubi res agitur Numinis, ipsum
Aderit Numen propriæ causæ.

SCENA NONA.

Iudith à Speculatoribus intercipitur.

Milites speculatores, Iudith Abra.

Mil. 1. Abiêre furiæ, quæque per cœli plagas

Diffusa monstra mihi stragem dabant,
Evanuêre: rursus oblitus mali,
Exsuscitatus ardet in muros furor.
Mil. 1. Nescio quid anceps animus abstrusis m
Loquitur medullis. Nempè, non tantùm levi
Cum gente bellum est: gentis est etiam Deus
Cœlo extrahendus; cujus auxilio mare
Cessisse jactant: cujus & nube, & face
Vicisse jura Solis, & noctis crepant.
Mil. 1 Quis inde vultus emicat?
Iud. Fibris metum
Abra arceamus. *Ab.* Durius durã mihi (n
Stat cante pectus. *Mil.* 2. Frondium tecti c
Hic aucupemur verba.
Ab. Spectamur! *Iud.* Dolis
Innecte verba. *Ab.* Perge; cui sexus dedit
Muliebre pectus, pectori inducat virum
Animosa virtus. Vota quid toties vice
Variante nutant? *Iud.* Melleum vultum Ducis
Sperare possim? *Ab.* Caspiæ haud equidē viru
Genere tigres. *Iud.* Multa, quæ metuat, habet
Hebræa mulier.
Ab. Sponte venienti obvios
Tendet favores. Nulla jam spes est domi, (mel
Multa est in hoste Sequere, quod cœptum est se
Cùm spes in urbem nulla redeundi est super.
Mil. 1. Spes est in hoste.
Mil. 2 Siste, dum cœpti calet
Sermonis ordo: plura successus dabit.
Iud Sed ab hoste quid sperare felici licet?
Ab. Quod polliceri nemo ab imbelli sibi
Pos-

Possit vel ausit. *Iud.* Aureæ fortis favor
Reddit ferocem *Abr.* Parca cui vilem dedit
Natura mentem. *Mi.2* Grandia affatur, Ducis
Quæ nomen augent. *Mi.2* Plura permitte incitâ
Prodire linguâ *Iud.* Ac urbis hostilis sinu
Fugitiva venio. *Ab.* Hoc faciet ingenuo Duci
Te chariorem. *Iud* Proditrix credar *Ab.* Fuga
Probat innocentem *Iu.* Quanta suspicio ingeret?
Ab Non habet honestâ in mente suspicio locum.
Iu Forsan dolosa credar. *Ab.* Hoc mores tui
Prohibent, & animi candidi effulgens nitor.
Iu. Creditur & ipse candor aliquando dolus.
Ab. Quando probatus ante candorem reus
Est fraudis animus.
Iud Non statim ex fronte aspicit
Imago mentis. *Ab.* Oculus at prudens legit
Ex fronte mentem. Perge sub vultus Ducis.
Spes illa certa est, quam innocens animus facit.
Mi 1. Parant adire principem: tempus monet
Præoccupare: præda, si faveat polus,
Hæc grande lucrum coget in nostras manus.
Mi.2. Præoccupemus. Mulier, ubi Mavors obit
Urbem coronâ, sola sine comite tui
Custode lateris, inter hostiles potes
Prodire furias? *Iu* Gentis Hebrææ timor
Audere jussit. *Mi.1.* Nempe dum cuncti timent,
Nihil una metuis? *Iu.* Metuo sed ab ipso metu
Audaciores spiritus mente induo.
Mi.2. Et quæ timoris causa? *Iu.* Ne peream simul
Urbe pereunte.
Mi.1. Quis urbis obsessæ est status?

Iu. Cui spem timores exuunt. *Mi.* 1. Sperant nihil?
Iu. Sed plura metuunt. *Mi.* 1. Quæ?
Iu. Solo æquari lares,
Delubra & aras Cœlitum in cineres agi,
Fundi cruorem civium, uxores rapi,
Cædi innocentes, strage sepeliri pari
Sacra & profana. *Mi.* 1 Non habent qui se viros
Præstent in armis? *Iu* Debiles, fractos, sua
Ægrè trahentes corpora, atque umbras meras.
Mi. 2. Cur ergò amicos differunt tanti Ducis
Mordere frenos? *Iu.* Invicem sese Dei
Favore lactant; quæque meminerunt suis
Prodigia quondam patribus ostensa, à Deo
Renovanda sperant.
Mi, 1. Credula est nimium fides,
Quæ cuncta sperat, facta quæ aliquando videt.
Iu. Melius salutem quærerent miti à Duce.
Hinc ego salutis cupida ruituros lares
Declino cauta, spemque securam fero
In vestra castra *Mi.* 1. Spe tuâ, & castâ fide
Frui mereris. *Iu* Liceat invicti Ducis
Subire vultus, supplice optatam genu
Veniam precari, quemque concepi spei
Fructum experiri. *Mi.* 2. Parcere afflictis solet,
Transire mitis supplices, ferro gravi
In contumaces ruere. Quod poscis, feres.
Mi. 1. At grande nobis præda tam fausti dabis
Pretium laboris. Vade, quò spes te vocat.

CHO.

Chorus Spei.

Pars. I

Allapsa de cœlo Spes, jacentem Bethuliam erigit.

Spes.

Surge: spes certa est. Brevis ira fortem
Urget adversam. Mare sævit undis,
Æstuat, fervet, tumidasque spumas
Jactat in cœlum; sed amica rursum
Pax redit ponto, placidisque venti
Flatibus ludunt, ubi detumescit
Ira, spes certa est Brevis ira fortem
Urget adversam. Boreale murmur
Concutit silvas, rigidâque frondes
Decoquit brumâ, Zephyritidosque
Regna non fausto populatur ore:
Sed redit silvis viror, & jocantûm
Frondium lusus; Zephyrusque rursum
Blandior terras nive pulsâ oberrat.
Surge; spes certa est. Mala nulla longum
Extrahunt ævum. Laceratur æther
Fulmine eliso, trepidumque mundum
Terret & montes jaculatus igne.
Urbibus grande excidium minatur.
Sed quies cœlo redit, & serenis
Curribus purus per inane Titan
Fertur. Adversæ est brevis ira fortis.
Nil, quod afflictos premit est perenne.

Gau-

Gaudet alternis premere, & levare
Res Deus nostras: favor & furores
Invicem cedunt. Mala sors timentes
Hactenus pressit, melior subibit,
Fidite cœlo.

PARS II.

Erecta Bethulia sperare incipit.

Bethulia. Spes.

Ergò frons lætæ micuit salutis?
Spes. Nemo desperet meliora pressus.
Cernis, impulsis agitata velis
Navis ut nutat, dubiisque fertur
Fluctibus ludus? latus à procellis
Tunditur lassæ; Borealis ira
Incubat puppi, lacerata vela
Abripit ventus; mare jam dehiscens
Fluctibus totam sepelit. Quis ausit
Credere, infami tumulata ponto
Vela felicem subitura portum?
En tamen mitis mare per quietum
Ambulat rursum Zephyrus, jacensque
Nereus somno leviore, prona
Terga submittit, facilique navim
Sistit arenâ.
Beth Nemo desperet meliora, quando
Sævior moti tumet ira ponti.
Turbidis tandem male tunsa curis
Corda quiescunt.

Hic

Hic ubi pugnax equitavit Auster,
Vela tranquillæ moderantur auræ;
Quas parit mitis Zephyrus, vel ore
Blandior Eurus.

PARS III.

Bethulia Spem per aëra insequitur; tandemque anchoram in cœlo defigit.

Spes. Bethulia.

Sic rege afflictam bona Diva mentem;
Meque venatu sequere incitato.
Be. Diva! quò pennas agis? Insequamur.
Siste quo tendis? *Spe.* Rapidis sub astra
Elevor pennis. *Be.* Paribus volantem
Insequar pennis. *Spe.* Sequere, obtinebis.
Nulla spes firma est, ubi cuncta cœco
Fluctuant motu, dubiusque versat
Turbo mortales. Revocanda in altum est,
Si qua spes firmo pede stare debet.
Be. Diva me tecum rape. Spem volantem
Insequor frustrà, nisi Spes amica
Porrigat dextram *Spe.* Fugitiva credor.
Attamen non sum. Fugio, ut sequentis
Provocem mentem Sequere: assequeris.
Be. Diva jam nostra es. *Spe.* Tua sum, voloque
Esse constanter tua. Quid moraris?
Anchoram cœlo studiosa fige.
Be Figo. Quis cœlo mihi Spem refiget?
Non tumens hostis furor, aut tyranni

Æs-

Æstus insani, neque mota belli
Cœca tempestas Nihil hic sinistra
Fata formidat, cui fixa adhæret
Anchora cœlo.

ACTVS IV.

SCENA PRIMA.

Vagao apud Risontem agit, ut Iudith ad Holofernem deducatur. Resistit Rison:

Rison. Vagao.

Rison.

NOn impetrabis. *Vag.* Nam quid hinc metu
mali?
Ris. Quid non metuere debeat, quisquis sapit?
Va. Vir natus armis fœminam imbellem ?
Dolos
Fraudesque nimium nemo fœmineas cavet.
Va. Quid sola possit, debilis, inermis? *Ri* Vafra,
Dolosa quid possit mulier, oras? Ferus
Quod nequeat hostis, quodque post cassis flea
Lachrymis nepotes. Fœmina abstrusos habet
Animi recessus. Blanda dum vultu exhibet
Timenda cordis intimo abscessu coquit.
Va. Non exitura. Coquere quid prosit dolos,
Quibus negata ad publicam est lucem via?

Ri. In hoc coquuntur mente, ut inveniant viam,
Quâ prodeant in publicum.
Va. Ubi vires negat
Natura, vanus mentis obtectæ est furor.
Ri. Ira imbecillem nemini credas manum,
Ut non superbum sternere Heroem queat.
Va. Sine, videatur mulier Assyrio Duci,
Si quid latentis esse cognoscet doli,
Ipse, quid agendum statuet.
Ri. Hoc ipsum est, capi
Dolis, videre fœminam Vagao abstine,
Nocitura petere: lumina ut subeat Ducis
Non impetrabis. Vita si detur, sat est
Quod petitur ultra, non vacat grandi metu.
Quid possit una mulier, ubi cœpit virum
Documenta magnis cladibus mundus dedit.

SCENA SECUNDA.

Vagao decernit quocunque demum modo agere ut Iudith Holoferni præsentetur.

Vagao.

At impetrabo. Ferre quæ demum potest
Nocumenta, si se vultui ostendat Ducis?
Placebit oculis? Placeat: Assyriis timor
Quis inde castris imminet? Non est Draco,
Qui visus imis toxicum injiciat fibris:
Non est Medusa, cujus aspectu viri

In saxa rigeant. Fœmina est: ergo potest
Capi viri prudentiâ. & nostræ quoquè
Servire palmæ. Parte, qua Rison latens
Malum veretur, video non modicæ spei
Fulgere radium. Nempe Bethuliæ in sinu
Consilia portat: quis sit armorum vigor,
Quis apparatus, quod virûm robur, manus
Quam firma muros teneat; arcendæ fami
Quàm multa Cereris copia; assultu premi
Quâ parte possit Civitas, nostri Ducis
Minore damno. Molle mulieri dedit
Natura pectus, pervium affectu, & patens
Verbis fluentis gratiæ. Quidquid latet
Mulieris animo conditum abstrusum, nocens,
Gratia Holofernis eruet. Frontem exerat
Serenionem, gratiam in linguam evocet,
In verba nectar, & supercilium grave
Benignitate mitiget; aperta est via
Ad ima cordis. Ilicet sponte effluent
Consilia, & omne mentis arcanum evoment.
Hoc impetrabo. Fœminam Holofernes sciat
Venisse ab urbe, parta jam palma est mihi.
Ipsum mulieris nomen, & gratæ decens
Frontis character, fortis est laqueus viro.

SCENA TERTIA.

Commodùm adest Holofernes, cui Vagao indicat adesse Iuditham. Holofernes ei loqui postulat.

Holofernes Vagao.

Adhuc inhæret pectori infixus dolor,

Timor.

Timorque spectri, nostra quod fremitu gravi
Circumvolavit castra. Quid tandem Dii
In nos minantur? Una tumulabit dies
Famam & triumphos, ista quos peperit manus?
Va. Favet hora votis. Alloqui Ducem juvat.
Verende Princeps, parce, si servus tuus
Audet rogare; fronte, quem spiras, dolor
Me quoque lacessit. Turbo quis mentem rotat,
Vultusque purum nube deformat polum?
Ho. Mens inquieta grande præsagit malum.
Va. Qua parte mentem fluctus invictam quatit?
Ho Quâ nil timendum credidi. Quid me juvet
Tot messuisse laureas, Marte inclitos
Fregisse populos, nomen Assyrium exteris
Plantasse terris; una si famæ decus
Extinguat omne, vilis, & nostro prope
Indigna Marte Civitas. *Va.* Unde hæc mali
Suspicio Princeps?
Ho Video, non vana Achior
Fuisse verba: *Celsius quò te tulit*
Fortuna, tumidos spiritus magis doma.
Semper timenda est dextra, quam munit Deus.
Va. Credis canenti fabulas? *Ho.* Verum probant
Prodigia cœli: quæque per liquidum aëra
Infusa monstra militi extremum metum
Dedêre nostro. Ubi tanta conspirant mala,
Malum parari grandius quoddam probant.
Va. Meliora, Princeps, adfero. *Ho.* An ludis joco?
Va. Optanda narro. Fœmina fugaces tulit
In castra gressus. *Ho.* Unde?
Va. Bethuliæ è sinu.

Ho. Qualis? *Va.* Camilla corporis tractu, Dea
Vultûs decore, gratia aspectu nihil
Non grande spirat. *Ho.* Causa quæ suasit fugam?
Quæ fluctuanti possit Holoferni dare
Animi quietem Num quid adportat novi?
Va. Eruere nondum licuit: at tibi id licet.
Nisi in malignum sortis extremæ chaos
Depressa ruerent omnia, haud equidem fuga
Suam salutem quæreret. Si quid spei
Superesset urbi, ab hoste speraret minus.
Huc vela vertit, unde spes melior micat.
Affare Princeps fœminam; alloquio potes
Eruere plura, mente quæ cauta tegit.
Ho. Huc advocetur, forte solamen dabit.
Hinc liquida quædam gratia, & dulcis favus
Afflat dolentis pectus, & tergit metum
Istud licebit scire, quis urbis status,
Quæ spes virorum, Civium quantus calor,
Quod robur armis, quæ fami arcendæ Ceres,
An post canales erutos undæ satis
Siti domandæ; an aliqua mihi spes sit super
Urbe potiundi. - - -

SCENA QUARTA.

Contranitente intra Siparium Risonte Vagao Juditham Holoferni sistit. Ab hac rerum Bethuliensium statum explorat. Illa veniam impetrat noctu ad preces exeundi.

Rison. Vagao. Holofernes. Iudith.

Rison. - - Nolo, *Vagao.* Sed frustra. *Ri.* Abstine.

Va.

Vag. Jubet Holofernes.
Ri. Jubet in opprobrium meum, (calor?
Tuum in favorem. *Hol.* Quis movet mentes
Quæ fervet ira? *Va.* Postea hoc referam Duci.
Jussa expedivi, Magne Bellonæ nepos:
Rebus studentem fœminam Assyriis habes.
Iu. Bellator ingens, parque sideribus pugil,
Unum levamen fœminæ afflictæ. *Hol.* Solo
Atto le genua. Quisquis Assyrii petit
Sceptri favores, innocens nostros valet
Subire vultus; ille nos timeat, cui
Rigente Sipylo durius pectus riget,
Virtute eadem frangimus durum gelu,
Mollique menti parcimus. Quæ te tulit
Huc causa? *Iu.* Princeps magne, spes vitæ, & salus.
Ho. Ab hoste vitam postulas? *Iu.* Sed quem prius
Commendat animus *Ho.* Fortis Holofernē magis
Probavit ira, & hostium fusus cruor.
Iu. In quos amica lenitas potuit nihil,
Oblata quem non mititas flectit, decet
Frangi rigore. Me tamen vultu aspice
Clementiore, & vana trepidantem erige.
Ho. Nil metue sexus plurimum pro te rogat,
Nitidæque frontis area, & vultus decor.
Est vilis ira, si quæ in imbellem furit,
Habes quod optas Fare, quis rerum status
Vili est in urbe? *Iu.* trepidus atque ultrò sua
In fata pronus. In viris larvæ virúm
Obeunt per urbis compita, & macie & metu
Exsucca membra, vixque par robur levi
Ferro gerendo: pertinax passim fames

Rabi-

Rabiesque edendi, pertinax pariter sitis
Ignota mensis pocula atque escam rogat.
Ho. Quis in urbe miles signa consequitur?
Iu. Levis
Hinc inde vilem raptus in censum *Ho.* Et ta
Opponere audent militi Assyrio caput?
Iu. Quid obstinatæ mentis, invalidus licet,
Non audet æstus? *Ho.* Unde tam durus rigor?
Iu. Achior inani corda spe; quo vult, trahit.
Ho. Sed quæ scelestus suggerit, vanæ spei
Alimenta civi? *Iu.* Grandia effatus, metum
Ait, remitte corde; *nam tibi Deum*
Habes studentem: sæva tempestas licet
Mixtum procellis urbis exitium trahat,
Vis nulla franget. Opprimi bello nequit,
Cui pugnat æther. Vetera in exemplum voc
Divisa virgâ maria per siccum viam
Fecisse populo: immobilem in medio diem
Stetisse; noctis imperium face
Præeunte victum; Solis ardores levi
Attemperatos nube; dimissum polo
Manna, & tot armis hostium fractos Duces
Additque demum: *Nulla si fidas Deo*
Metuenda sors est: tot per exempla obvium
Expertasemper Numen in partes tuas
Sperare pronum rursus hoc bello potes.
Ho. Cur non scelesto messui anguineum cap
Et sparsa membra canibus in prædam dedi
Iu. Et jam statuerant pectora instantis mali
Urgente fluctu, quinta nisi ferret dies
Auxilia cœlo, subditum Assyrio jugo

Collum exhibere; sana consilia iterum
Vox illa fregit; ista degeneres viros
Arguere sensa: in viscera admissum semel
Gravius venenum furere; suscepto jugo
Malè comparari lucis unius diem:
Præesse cœlo Numen, in cujus manu
Sunt fata belli, cujus expertus graves
Ægyptus iras. Ille fidentes polo
Eripiet isto turbine. Hoc rursum viris
Cor obstinavit. Impetu hinc cæco ruunt
Certi salutis, certum ubi exitium imminet.
Hol. Si vera narras, irritas egit minas
Libratus ille in nube geniorum chorus.
Iud. Narrasse vera pronus in pontum dies
Ostendet iste. *Hol* Tu quoque Assyrio Duci
Semper coleris Gratiæ signum petes
Habes volentem. *Iud.* Gratiam immensam reor
Tibi placuisse. *Hol* Gratiæ adjiciam alteram,
Semperque veterem gratia sequetur nova.
Opta, quod optas *Iud.* Liceat Hæbreum mihi
Numen vereri. *Hol* Liceat Hoc parum est Duci
In plura prono. *Iud* Liceat, ubi fessum mari
Extinguet ignem Cynthius, solitas dare
Preces Tonanti. *Hol.* Liber est cultus Dei
Sui cuique: *Iud* Liceat ut Numen colam,
Per media castra impune vicinum in nemus
Exire. *Hol.* Liceat. Vagao, dispersus sciat
Miles Holofernis jussa, ne quisquam audeat
Arcere euntem: *Iud* Quando postremum Deus
Librabit ictum vindicis dextræ, & tuo
Victoriosum chalybe signabit decus,

Prudentis esse credo, cunctantem fidem
Præstare verbis fœminæ. Est animus levis
Qui facilè credit. Audii ex latebrâ omnia:
Sed pauca credo. Civium tantos metus,
Et tam insolentes spiritus unà sibi
Constare credam? Possit his pueris fidem
Facere: Risontem cautior sensus decet.
Quis pertinacem credat in populo famem,
Vivaxque ad arma pectus? Ubi stringit fames,
Cadit omne ad arma robur, atque animi vigor.
Non est fidelis Principi quisquis Deum
Non colit eundem. Vinculum populi & Ducum
Una est religio. Corda non coëunt, ubi
Cultus Deorum scinditur. Hebræum Deum
Adorat ille; Numini Assyrio genu
Curvat Holofernes. Fœminæ alienam fidem
Credam vacare fraude, vel solido Ducis
Bono studere? Suspicio non est scelus,
Cùm suspicari ratio nolentem jubet.
Timeo experiri. Diffident multùm sinus,
Et frons, & ora fœminæ, & blandè micans
Nitor oculorum. Gratiam vultu refert,
Sub corde varios fraudis anfractus habet.

SCENA SEXTA.

Iudith exit per castra primâ vice, ut exploret, quam vim habeat, factâ exeundi veniâ. Deum orat.

Iudith. Abra.

Auspicia votis fausta concessit Deus.

Te per ego compita urbis & medias canens
Arces præibo, *Ho.* Tu quoque supremum Deas
Inter tenebris Regis Assyrii locum.
Tum fama claris vecta per cœlum rotis
Utrumque mundum nomine implebit tuo.
I, vota sequere, *Iu* Quinta non stabit dies
Suspensa medio in axe, cum factum dabo,
Quod mente volvo.
Ho. Pronus aspiret polus.
Ego pertinacis gentis infringam gelu,
Sentiat Apella vilis, Assyriis hebes
Non esse ferrum. Morte non una cadent
Mori obstinati. Lætus hic vesper fluat
Ducique militique, recutitum genus
Cras impiato y manu Acheronti dabo.
Tibi vota cœlo ferre, si libeat, licet,
Donec paratum classicum ad cœnam vocet.
Iu. Consueta pensa tempus exposcunt breve.

SCENA QUINTA

Rison, qui ex occulto sermones Holofernis cum Iuditha observavit, mala à fœmina dolis ominatur.

Rison.

Res non vacat timore: at invito tamen
Ferenda nunc est. Exitum tempus dabit:
Utinam secundum! Parva spes fulget boni,
Metus malorum plurimus mentem quatit.

Pru-

Prudentis esse credo, cunctantem fidem
Præstare verbis fœminæ. Est animus levis
Qui facilè credit. Audii ex latebrâ omnia:
Sed pauca credo. Civium tantos metus,
Et tam insolentes spiritus unà sibi
Constare credam? Possit his pueris fidem
Facere: Risontem cautior sensus decet.
Quis pertinacem credat in populo famem.
Vivaxque ad arma pectus? Ubi stringit fames,
Cadit omne ad arma robur, atque animi vigor.
Non est fidelis Principi quisquis Deum
Non colit eundem. Vinculum populi & Ducum
Una est religio. Corda non coëunt, ubi
Cultus Deorum scinditur. Hebræum Deum
Adorat illa; Numini Assyrio genu
Curvat Holofernes. Fœminæ alienam fidem
Credam vacare fraude, vel solido Ducis
Bono studere? Suspicio non est scelus,
Cùm suspicari ratio nolentem jubet.
Timeo experiri. Diffident multùm sinus,
Et frons, & ora fœminæ, & blandè micans
Nitor oculorum. Gratiam vultu refert,
Sub corde varios fraudis anfractus habet.

SCENA SEXTA.

Iudith exit per castra primâ vice, ut exploret, quam vim habeat, factâ exeundi veniâ. Deum orat.

Iudith. Abra.

Auspicia votis fausta concessit Deus.

Per media castra patuit huc nobis via
Non impedita. Miles accinctus suis
Stat vigil in armis; spectat abeuntem, tacet
Hastâque flexâ molliter euntem colit.
Quid ominaris Abra? *Abr.* Consiliis Deum
Tuis adesse, jamque felici gradu
Meditata ferri. *Iud.* Quæ putas isto sinu
Ardere vota? *Abr.* Grandia, & prorsus suo
Auctore digna; quæ probat cœlum, quibus
Periclitantis Patriæ innixa est salus.
Iud. Sic est. Peractâ fraude sed si me rapi
Cædique videas Abra, quid sensus tibi
Subibit animum? *Abr.* Sanguinis precio tui
Consilia stabunt?
Iud. Patriæ at grandi lucro.
Abr. Jactura lucro major est. Erras pio
Decepta voto. Non petit Numen, tuâ
Ut morte ematur patriæ occiduæ salus.
Iud Bene vita plurium emitur unius nece.
Si pereat ille, stante quo stare haud potest
Secura patria, nil moror vitam dare,
Et prostituto capite mercari integram
Urbi salutem. *Abr.* Spes Patrum in vitâ est tu
Iud Dum vota peragam: vota cùm steterint s
Firmata facto, vita nil ultra mea
Præstare poterit Patriæ, *Abr* Tanta est tibi
Mori voluptas? *Iud* Tantus est amor mihi
Patriæ cadentis. *Abr.* Morte si demum tuâ
Redimenda vita est Civibus, tecum mori
Concede famulæ. *Iu.* Tantus est animi vigor?
Abr Quin & voluptas.
Iud. Abra, non distat procul

Ab utraque lethum: grandibus utrique est opus
Animis. Sed ille, fata qui mundi regit,
Et omne retro vertere instantis mali
Potest flagellum, terminum optatum dabit,
Qui primus animum movit, auxilium suis
Non denegabit jussibus. Mecum hic nemus
Ubi densat umbras, in preces Numen voca.
Æterne cœli Rector, arcanos sinus
Qui cernis animi, cujus imperio obsequens
In castra veni, cujus obsequio caput
Hoc dedicavi, cujus ad nutum mori
Judith parata est video, quæ impellis meam
In ausa dextram; video; nec mentem imparem
Adapto jussis. Magna si moles subest
Periculorum, non minor virtus tibi est
Famulæ in salutem: facta ne mea sint tuis
Minora jussis, auspicem cœlo manum
Protende; quodque viribus nequeo meis,
Tuis adimple, postque si jubeas mori,
En me paratam: Patriæ mori, & Deo,
Dulce, & decorum est. Ille quis genius levi
Libratus aura?

SCENA SEPTIMA.

Oranti Judithæ apparet Angelus: spondet felicem meditatorum exitum; jacit sagittam in urbem cum appensis literis, quibus sperare jubet.

Angelus. Judith. Abra.

- - - Vota fortunat Deus.

Nihil insecundum mi tue. Sic i... ordinat
Deus catenam, ut cuncta felici fluant
Serie in superbi debitum exitium Ducis,
Suæ in salutem gentis. Hic vesper dabit
Documenta mundo, quid fidem stabilem polo
Fixisse prosit. In sinum pleno fluet
Occasio facilis alveo. Tumidus Draco
Vomuit supremum toxicum; nihil est super,
Nisi ut supremum spiritum in Avernum evomat,
Et hoc Deo jubente tu factum dabis.
Iud. Ergò triumphum dexteræ spondes meæ
Numen benignum! video nunc tandem polo
Venisse menti Spiritum, & gratos Deo
Cecidisse nisus dexteræ infirmæ. Meam
Jam sponte vitam prodigo; quidquid fluit
Venas per imas sanguinis, quidquid latet
Sub corde vitæ, Numen hoc totum tuo
Effluat honori. Membra lacerentur, caput
Humeris revellant, viscerum occultos sinus
Ferro emedullent, ossa confringant. Sat est
Placuisse cœlo vota, & instantis mali
Repulisse molem. *Ang.* Nec tuo capiti time.
Jacebit ille; tu super populos gravi
Ferêre plausu, & patriæ erectæ canes
Pæana lætum.
Iud. Vive Bethulia! *Ang.* Tuâ
Virtute vivet, & sciet demum, jugo
Non subjacere sortis adversæ, Deo
Quicunque fidit.
Iud. Patria trepidantes metus
Excute medullis, jamque solamen cape:

Fe-

Felicitatem Phœbus occumbens dabit.
Ang. Ruet malignus anguis, & dextrâ ruet
Tua peremptus. Nempe retrogradum Deus
Agit furorem, quodque fabricabat malum
Capiti alieno, funus in proprium trahit.
Sciat id rigente Civitas excors metu,
Animosque revocet. Arundo, cui chartam alligo
Certæ salutis nunciam, ad Cives abi:
Solare mœstos, erige jacentes, spei
Adfer vigorem: noctis instantis chaos
Sereniorem Cynthij evolvet facem.
Iud. Abra, audi, sti?
Abra Verba quæ mediâ natans
In morte pectus rursus in vegetam queant
Retrahere vitam. Vivimus Judith! Deo
Est cura nostri. *Iud.* Nemini eventu cadit
Sua spes sinistro, cujus æterno anchora
Tenax adhæret Numini. Inclinat dies;
Remetiamur Abra securæ viam,
Meliore agendam sorte, cùm fortis manus
Exempla dedero, quodque promisit Deus,
Victrice dextrâ fudero Assyrias minas.
Ab. Videbo facta, posse quæ fieri mihi,
Animus negabat.
Iud. Adsit inceptis Deus.

* *
*

SCENA OCTAVA.

Holofernes exprobrat Risonti, quod affatum Juditha stricto contra Vagaonem gladio impedire volverit. Rison adhuc monet, ut caveat.

Holofernes. Rison.

Hol Et huc Risontem intemperans egit furor?
Ri Rebus studentem publicis.
Hol Nostro malo.
Ris Syriæ saluti *Hol.* Nempe sum visus tibi
Materia probri.
Ris. Huc magne Dux nunquam mea
Respexit ira. *Ho.* Debuit at isthuc prius
Respicere prudens, antequam stricto manum
Armaret ense. Nam quod est crimen mihi
Sistere mulierem in castra venientem? Quis est
Belli imperator? tune? an Holofernes? tuà.
An nostrâ aguntur lege bellorum vices?
Ris Agnosco belli Principem, & pronus tua
Imperia veneror: multa sed dubiam mihi
Suspicio mentem tenuit.
Hol. Hoc animum probat
Formidolosum. Suspicax res est metus.
Ris. Sed mentis esse providæ hoc reor quoque,
Cavere multa. *Ho.* Quàm colorato induis
Nomine, pudenda facta: cautela est timor.
Audite bellis incliti Assyrii: timor

Est

Est mentis index providæ.
Ris. Hoc etiam audiant.
Prudentis esse, parcius verbis dare
Fidem mulieris. *Hol* Ista prudentem virum
Cautela deceat: numquid accessu meo
Arcenda fuerat? *Ris.* Fœminæ argutum est malũ.
Sub fronte blanda virus instillat latens.
Aspectus unus sufficit, mortem ut trahas.
Hol. Adeò Holofernes mentis ac animi est inops,
Ut præcavere nesciat: *Ris.* Nec tam Rison
Est mentis arctæ, ut quanta se moles agat
Periculorum haud videat,
Hol Hic multum videt
Periculorum multa qui metuit *Ris.* Cave,
ignota mulier, hostium soboles, sui
Cultrix Tonantis, legis Hebrææ tenax,
Nil humile mente voluit.
Hol. Ut nolit Rison
Generis Hebræi fœminam Holofernes colit,
Fidemque verbis præstat *Ris.* In cladem suam.
Ho. Parentur epulæ: dexteræ assideat meæ
Veneranda Amazon Classicum Martis sonet,
Hilaremque signum Ducibus ad cœnam can*at*.

SCENA NONA.

Invenitur in urbe sagitta cum literis ab Angelo injecta. Hinc spes in civibus erigitur.

Ozias. Nicol Charmi.

Ubi reperta est? *Nic.* Urbis in medio foro

De-

SCENA OCTAVA.

Holofernes exprobrat Risonti, quod affatum Judithæ stricto contra Vagaonem gladio impedire voluerit. Rison adhuc monet, ut caveat.

Holofernes. Rison.

Hol Et huc Risontem intemperans egit furor?
Ri Rebus studentem publicis.
Hol Nostro malo.
Ris Syriæ saluti *Hol.* Nempe sum visus tibi
Materia probri.
Ris. Huc magne Dux nunquam mea
Respexit ira. *Ho.* Debuit at isthuc prius
Respicere prudens, antequam stricto manum
Armaret ense. Nam quod est crimen mihi
Sistere mulierem in castra venientem? Quis est
Belli imperator? tune? an Holofernes? tuâ.
An nostrâ aguntur lege bellorum vices?
Ris Agnosco belli Principem, & pronus tua
Imperia veneror: multa sed dubiam mihi
Suspicio mentem tenuit.
Hol. Hoc animum probat
Formidolosum. Suspicax res est metus.
Ris. Sed mentis esse providæ hoc reor quoque,
Cavere multa. *Ho.* Quàm colorato induis
Nomine, pudenda facta: cautela est timor.
Audite bellis incliti Assyrii: timor

Est

Est mentis index providæ.
Ris. Hoc etiam audiant.
Prudentis esse; parcius verbis dare
Fidem mulieris. *Hol* Ista prudentem virum
Cautela deceat numquid accessu meo
Arcenda fuerat? *Ris.* Fœminæ argutum est malū.
Sub fronte blanda virus instillat latens.
Aspectus unus sufficit, mortem ut trahas.
Hol. Adeò Holofernes mentis ac animi est inops,
Ut præcavere nesciat: *Ris.* Nec tam Rison
Est mentis arctæ, ut quanta se moles agat
Periculorum haud videat,
Hol Hic multum videt
Periculorum multa qui metuit *Ris.* Cave,
ignota mulier, hostium soboles, sui
Cultrix Tonantis, legis Hebrææ tenax,
Nil humile mente voluit.
Hol. Ut nolit Rison
Generis Hebræi fœminam Holofernes colit,
Fidemque verbis præstat *Ris.* In cladem suam.
Ho. Parentur epulæ: dexteræ assideat meæ
Veneranda Amazon Classicum Martis sonet,
Hilaremque signum Ducibus ad cœnam can**.

SCENA NONA.

Invenitur in urbe sagitta cum literis ab Angelo injecta. Hinc spes in civibus erigitur.

Ozias. Nicol Charmi.

Ubi reperta est? *Nic.* Urbis in medio foro

Defixa terræ, qua Sacerdotum via
Recta est ad ædes. Oz. unde venisse autumas?
Num fixa fraude est? jacta num Judith manu?
Cha. Nihil hîc latentis fraudis est. Magno Dei
Consilio in urbem credo jactatam, ut spei
Ferret tabellam nunciam. Oz. Quis est tenor?
Cha. *Sperate: res ad vota succedit: dies*
Sepultus istâ nocte felices facit.
Stet vigil in armis civis, & vacuus metu,
Judithque reducem lætus excipiat. Mihi
Fidite. futura nuncio: eventus prope est.
Dictabat ille, qui vias dirigit. Oz. Superi boni!
Amamur astris: nostra quid dubitat fides?
Satis est amari. Affectus hic longam trahit
Boni catenam, quando respondent sibi
Amor & potestas, quodque vult ille, hæc valet.
Si noster otiosus aliquando est amor,
Dei otiosus esse non potest amor.
Stet vigil in armis civis, ut tabula hæc jubet;
Sed magis honestæ clypeo obarmatus spei
Propius faventem sortis expectat diem,
Dum quæ spopondit nuncia, eventu probet.

SCENA DECIMA.

Aperiuntur interiora conclavia; apparet cœnans Holofernes, quem militaris Iuventus saltu recreat.

Vagao. Chorus Iuvenum.

Fervet calore cœna: Dux mistus suis

Jucunda mensæ sacra genialis colit.
Augere cumulus hic voluptatem potest,
Si vestra, Juvenes, studia præsagus calor
In vota palmæ flectit, & mixtus chorus
Simulachra belli misceat. *Juv.*1. Virtus Ducis
Generosa flamma militis, nostro imminens
Dies triumpho, gentis Hebrææ probro
Nostros labores evocant. Votum date
Quicunq; amatis. *Juv.*2. Vivat Holofernes diu!
Illudque partæ gloriæ adjiciat decus,
Victorioso ut calcet Hebræos pede.
Chorus. Jam cadit omnis Martis amaror.
Quando palmæ spes certa micat;
Et prope nostro calcata pede
Genu Holofernis mœnia adorant.
Tua non frustrà est gloria miles,
Avidusque animus duris emere
Famam obsequiis. Parvo distant
Limite, magnæ virtutis opus
Magnumque decus. Meritis umbra
Sua succedit, gloria, & aucti
Splendor honoris. Sua sudori,
Sint sera licet, gaudia veniunt:
Sua virtutem pensa sequuntur
Pulchra severæ laurea frontis,
Spolia oppresso ex hoste relata,
Fama æternos ducta per annos,
Undique nostri fixa trophæa
Stant signa ducis; laurusque viret,
Ubi pugnavit manus Assyria.
Nil tam rigido cinctum est ære,

Quod non Ailur Martia virtûs
Vel violento ruperit ense,
Vel subjectæ terra æquarit,
Nil tam excelso natura loco
Posuit, quò non sese Holofernis
Vivida virtus agat, & toto
Vertice superet. Quin si medio
Lateat cœlo clausa Bethulia,
Sentiet iræ vindicis æstum
Totaque minor fronte tumorem
Cupiet nostro pede calcari.
Vive Holofernes, dum simulati
Nos Mavortis prælia inimus,
Tu non fictos pinge triumphos.

Chorus Gaudii.

PARS. I.

Gaudium exsolvit Bethuliam vinculis, gladiis, & vepribus; Timorem & Dolorem fugat.

Gaudium.

Quidquid Spes potuit fingere, Gaudium
Mœstis exhibeo. Frangite vincula
Execranda Dolor, nec melior Timor,
Queis implexa Deæ brachia stringitis,
Res est compedibus libera Gaudium.
Quô-me-cunque traho, mecum it amabilis
Libertas animi. Tollite nubila
Circumfusa oculis; quæ male condita

In-

Involvunt tenebris, corda paventibus,
Umbri que exagitant pectus inanibus.
Pleni Solis amat lumina Gaudium,
Et semper placido stare meridie.
Mi semper comes it pulchra serenitas,
Vel me consequitur. Tollite pectori
Hærentem gladium. Fixa latentibus
Nescit visceribus vulnera Gaudium.
Spinas à pedibus tollite saucijs
Implexosque vepres. Murice Gaudium
Si gaudet roseo tempora cingere;
Non gaudet niveos sentibus horridis
Investire pedes. Sic Dea vinculis,
Et nocte, & gladio, & libera sentibus
Dilata niveis pectora gaudijs.
Nec passam pigeat tristiae dulcius
Hic ridet, gravior cui gemitus prius
Salso fonte genas & labra proluit.

PARS II.

Bethulia Timorem & Dolorem scopulo alligat, ijsdem eos tormentis addicit, quibus ab ijs afflicta fuit.

Gaudium. Bethulia.

Justas Carnifici redde vices, Dea.
Qui tormenta dedit non meritæ, ferat,
Lex hæc iusta Dei est: supplicium ferat,
Qui fecit. *Bet.* Timor hic ad Sypilum geme,
Nulli post trepidis frigoribus gravis;

Et nubes tolera, quêis mihi ademeras
Solis mite jubar: quêis Acherontias
Innutris lamias, Ditis imagines,
Et larvas stygijs vultibus horridas,
Informemque suis Tartara noctibus.
Gru Quod quis non nocuo supplicium intulit,
Auctorem repetit. *Bet.* Tu Dolor abditis
Fixisti gladium visceribus; pedes
Cinxisti rigidis sentibus: hoc refer,
Ad vinctum scopulo pœna Promethei
Tundat perpetuis improba morsibus,
Immitis laniet viscera pugio,
Immanesque rubi dilacerent pedes.
Gau. Auctorem sceleris pœna retrogrado
Incessu repetit. - -

PARS III.

Bethulia in sinum Gaudij ad purum æthera assumitur.

Gaudium. Bethulia.

- - Jam satis est Tibi
Pando Diva sinus. Huc levis advola
Hîc vive innocuos lætitiæ dies,
Quos nec contemneret nubibus Africus,
Nec scindat Boreas, nec truculentior
Eliso laceret fulmine Jupiter;
Sed pax, & niveis gratia curribus,
Tranquillusque animi candor inambulet;
Atque in longa fluens sæcula faustitas.

Huic

Huic gratus magis est fortis amœnior
Vultus, cui rigidæ frontis imagine
Adversa incubuit. *Be.* Pectora quod gravat,
Æternum nihil est. Jam teneo sinus,
Quos vovi toties. Jam fruor aureæ
Lucis temperie; jam levibus super
Portata à Zephyris nubibus impero,
Atque infrà patriam rideo turbinum,
Et lapsa invalidis fulmina nisibus. (teger
Gaud. & Beth. Sic quisquis patiens Numinis in-
Sub labente stetit forte, meretur ut
Stet regno positus, quo nequeat suam
Sors adversa manum, aut spicula mittere.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Holofernes à cœna ebrius, varijs imaginationibus actus, lecto infertur.

Rison. Holofernes.

Duo sunt cavenda militi; Bacchi scyphus,
Venerisque flamma. Corporis vires malè
Uterque frangit mentis illustrem facem
Uterque sepelit. Corde consilium exulat,
Quo vina redolent: mentis excelsæ Venus
Turpe est sepulchrum. Cordis intrepidi vigor
Ab utroque languet. Utrâque malè cautus lue
Dux incalescit. Cernitis, quanto ebrius
Spumat Lyæo? Quanta tempestas meri

Ob-

Obscurat animum? Nempè sic tuti sumus,
Si capiat hostis arma, & arrepto ruat
In castra ferro. Si quis ex imo grege
Miles Lyæo spumet, id ferri potest:
Si Dux Falerno bestiam epoto bibat
Rationis omnis impotem, hoc semper gravi
Periculo est obnoxium. *Hol.* Miles suis
Stet cinctus armis *Ris.* Pendulus sermo labris
Quàm fortis exhortatio est! *Ho.* Apage hinc lues,
Quid stas cruente? *Ris* At nullus Holofernē petit.
Hol O proditores! *Ris.* Vana delusum rotat
Imago cerebrum *Hol* Restitas? Fractum traham
In mille frusta corpus. *Ris* Animosi hic vide
Exempla magna militis! *H l* Quis me vocat?
Vacuate semitam Nabuchodonosori. (hil
Rex magne Principum. *Ris* Ebrius Princeps ni-
Amente dictat. *Hol.* Quod scelus meum est? Ego?
Ego arma capiti Regio? Hic flexum caput
Adsterno pedibus: sanguinem & vitam tibi
Debet Holofernes. Quæ rota huc cursum mo-
Ris Vertiginosum fertur in gyrum caput, (vet?
Quàm pulchra species vigilis ad bellum Ducis.
Auferte mentis impotem, & stratum suo
Infundite thoro, donec epoti cadat
Fervor Lyæi. Me interim curæ manent,
Ne quis sinister castra perturbet dolus.

SCENA SECUNDA.

Vagao Iuditham ad tentorium Holofernis deducit. Illa repetit gratiam sibi exeundi concessam, ne quid obstaculi ponatur.

Va-

Vagao. Iudith.

Sic imperatum est: pareo jussis. decet
Te quoque paratæ mentis obsequio huc agi,
Quò jussa ducunt. *Iud.* Obsequens Judith Ducis
Nutus adoro. Miles excubias aget?
Vag. Quas jura Martis exigunt. Pars stat suis
Accincta inarmis, ne qua tempestas gravem
Ferat procellam, pars reclinatum caput
Quiete sternit. Ista sed quorsum rogas?
Iud. Ut mihi benigni gratiâ Ducis frui
Impunè liceat. *Vag.* Gratiam nemo vetat,
Quamcunque Dux concesserit.
Iud. Nolli mei is
Pronum annuisse precibus; ut liceat, die
Tenebris sepulto, proximam in silvam meo
Deferre vota Numini. *Vag.* Sanctum puta,
Quod imperatum est. Nemo venienti moram
Injiciet ullam. Jussa jam miles tenet.
Iud. Licentiosum miles est hominum genus.
Quid si procace quispiam assultu audeat
Prohibere euntem?
Vag. Nemo (contestor Deos)
Nemo id parabit, lege quod rigidâ Ducis
Mandata prohibent. Ipse si poscis, comes
Per castra ducam. *Iud.* Fido testanti Deos.
Me dormientis lectulo sistam prius.
Attenti, num se tempus in longum trahet
Sopor inchoatus: hausta si longum mihi
Promittat aura, gratiâ obtentâ fruar,
Et in propinquo nemore vigilanti dabo

M[illegible]a vota cœlo: craſtinus ſeſe ut dies
S[illegible]reniore lumine ev[illegible] vat mari.
Vag. I, vota ſequere: libera ad ſylvam eſt via.

SCENA TERTIA.

Iudith post variam luctam detruncat Holofernem, & per castra sub specie orationis instituendæ exit.

Iudith. Abra.

Solæ in arena volvimur. Tempus favet
Locuſq; ie votis. Abra, quo credis mihi
A[illegible]d re[illegible] igne pectus? *Ab.* E cœlo venit,
Q[illegible]cunque flamma pectus heroum coquit.
Iud. Audebo facinus? *Ab* Facere ſi Judith decet.
Iud. Occaſionem pandit optatam Deus.
Ab. Quid moliendi? *Iud.* Grande, quod ſtupeas.
Ab. Simul
Utile & honeſtum? *Iud.* Cujus eventu ſalus
Sperata pendet. *Ab* Numinis vocem reor,
Quodcunque magnæ ſuggerit menti calor.
Iud O fata Superûm! Cernis in medios feram
Laqueos redactam? Generis hic noſtri jacet
Capitalis hoſtis. Patriæ ſi quis ſuæ
Amat ſalutem, facere quid rerum addecet
Quando capillos obvios frontis bona
Fortuna porgit. *Ab.* Grandi[illegible]s votis agis
Sub mente facinus, quodque non magni vacat
Periculorum mole. *Iud.* Superatus timor
Eſt primus: alter ſtabit eventu pari,

Ab.

Ab. Benè meditata sæpè confundit malo
Fortuna fine. *Iud.* Multa qui metuit, parum
Aggreditur. Audax animus aut finem invenit,
Aut cogit ipse.
Ab. Quidquid aggreditur manus,
Præcipitat animus antè, num possit suum
Tenere finem. *Iud.* Quisquis aggreditur Deo
Jubente facinus, exitum facti Deo
Prudens remittat. Sed micat quiddam tamen
Felicioris exitûs. Liber datur
Per castra gressus. Surge, fœminei excute
Timoris umbras anime. Non cœlo dabis
Patriæque dextram? Præda num frustra hæc tuis
Oblata manibus? Viscera infusum altius
Bibêre Numen. Surge, dum pronum favet
In vota cœlum; precibus excitus ludet
Dum rebus æther. Quis reluctantem timor
Retro coercet? Urgeor, tamen & subit
Pavor medullis. Abstine: quid me timor
Ab imperatis avocas? si, quod libet,
Liceret illi; nonne jam fusus cruor
Omnis nataret civium? At licet mihi
Præoccupare: Reddere salutem licet
Mihi, meisque. Negligam? non sum pia
Patriæ, Deoque. Sit nihil Civis, nihil
Sit patria: inultum Numen ulcisci potes.
Hinc inchoatæ gloriæ magna est seges.
Tuam iste mucro baltheo appensus manum
Invitat: æther undique aspirat. Deus
Clarescat orbe. Vincere est, semel aggredi.
Abra, inchoata vota prosequere, & fores

Tu-

Tuere, ne quis propior accedat pavor
Ab. Nihil timemus; aperit insidijs viam
Tempus locusque Facinus approperа. Mora
Periculum auget. Magna qui statuit, citò
Peragat, priusquam prodita in lucem exeant.
Iud. O qui superbum Martis examen premis
Mundi Imperator, placidus in votum Deus
Adverte Numen robora hanc ferro manum,
Viresque subde pectori: per me ultimum
Hostis cruentâ misceat somnum nece.
Ab Populi levamen unicum, pressis salus
Optata Hebræis, causa communis tibi
Nobisque in armis vertitur: per nos tua
Geruntur arma. Numinis vindex tui
Ades ipse, magne Genitor. Hebræum sua
E clade discant Numen Assyriæ tigres.
Iud Meditata factis prævolo. Holofernes jacet,
Suo peremptus ense; quo stante Israël
Cecidisset omnis. Sanguini immersus natat,
Cujus calorem nullus extinxit satis
Cruor innocentûm. Colla Hebræorum suo
Qui destinabat ictui, cecidit suo
Ferro peremptus. Solus Assyria fuit
Metuendus irâ, solus extinguit metum,
Qui fecit, urbis
Ab Numen hoc munus tuum est.
Properanda reliqua. Tempori quidquid datur,
Obnoxium est periculo. Magnis mora est
Nociva rebus.
Iud. Horridum monstri caput
Reconde perâ. *Ab*. Parta, jam parta ultio est.

Deo auſpicante. *Iud.* Turbo famulari ſinu
Nos rape per auras, hiſque disjunctas locis
Trepidæ levamen urbis ad muros loca.
Ab. Propera ſalutem patriæ, & tibi, & mihi.
Iud. Hàc ſequere. Pietas aperit innocuam viam.

SCENA QUARTA.

Riſon caſtra, & nocturnas excubias viſitat.

Riſon.

Jam nox ſepulto ſidera eduxit die,
Somnumque placida militi indulget quies,
Ut reſtitutis viribus Hebræo recens
Occurrat hoſti. Dormit Holofernes mero
Sepultus. Omnis cura Riſontem gravat,
Ut ordinatas miles excubias agat.
Si ſternere Ducum eſt, & coronatos ſcyphos
Vacuare, & omni ſe voluptati dare;
Munus tenere nemo non velit Ducis,
Et quiſque poſſit. Militem leges ligant:
Licentiosè jura conculcant Duces.
Laborem honeſto militi imponunt, ſibi
Metunt honorem. Pendulâ labris fame
Sitique miles rabet, at menſæ Ducum
Gemunt ſub epulis, & peregrino natant
Vino æſtuantes. Semper hic rerum eſt ſtylus;
Magnos voluptas ſequitur, abjectos dolor.
Feramus iſthæc interim. Ex ſpinis roſa,
Ex nocte Phœbus naſcitur: tandem eſt ſuus
Finis dolori. Viſo, num excubitor agat

Mi-

Miles vigilias. Tesseram exquiro.
Mil. 1. Quis hic?
Quis castra turbat? Excutio telum, nisi
Verbum reponis. *Ris.* Amicus est.
Mil. Nemo hoc loco,
Hac horâ amicus. Tesseram redde. *Ris. Avolat*
Fortuna si non occupas. *Mil.* 1. Tutò hinc abi.
Mil 2. Quis hic? Quis hic?
Ris. Amicus est. *Mil.* 2 Hostem reor.
Nisi prodis ore tesseram *Ris.* Prodo. *Avolat*
Fortuna, si non occupas *Mil.* 2. Tenes abi.
Ris. Sic excubare militem attentum decet.

SCENA QVINTA.

Adest ad portas Bethuliæ Iudith, admittitur: factum exhibet, cujus spe exierat.

Iudith. Ozias. Nabal. Abra.

In nostra lætus vota redivivus diem
Phœbus reducit: luce securâ frui
Datum est timenti. Cives, evulso fores
Aperite poste. *Nab* An hostis? an amicus vocat?
Iud. Majora votis affero. Reducto fores
Cardine patescant. Hora non patitur moras.
Oz. Quid video? victrix hoste superato redis?
An victa trepidos vertis in fugam gradus?
Iud. Quod inchoavit Numen, hoc sancto exitu
Secundat idem. *Oz.* Vicimus?
Iud. Regnat Deus,
Idem severus impijs, mitis probis.

Oz. Jacet ergo crudus hostis: *Iud.* Et nostro jacet
Jugulatus ictu. Cernis anguineum caput
Trunco recisum? *Oz.* Civis occurre ocyus
Tuæ saluti. *Ab.* Pœna retrogrado pede
Petijt minantem, quodque meditatus malum
In nos parabat, sensit Holofernes suum in
Caput reflexum. *Oz.* Vivimus Hebræum genus,
Soboles Tonantis. Vivimus! *Iud.* Tantum est Dei
Credere vocantis nutibus. *Oz.* Sero pudet
Dubitâsse: jamque disco muneribus Deum
Superare vota. Cædis exactæ modum
Seriemque narra. *Iud.* Placuit extersæ jubar
Illustre frontis, purpura genarum, joci
Ridentis oris, risus aspectûs, tenor
Morum modestus: visa sum tanti Ducis
Amore digna; digna quam lautis quoque
Adhiberet epulis. Ille non modico ebrius
Vino, mera hominis larva, temulentum caput
Thoro reclinat. teste submoto in Ducis
Conclave ducor. Cura quæ mentem mihi
Tunc verberavit? Justus at cœlo Deus,
Qui concatenat ordinem rerum, mei
Custos pudoris adfuit; & hydrum in manus
Dedit necandum. Fortè pendebat thoro
Suspensus ensis: macte, dicebam, virum
Assume Judith; tempus aspirat, locus
Hortatur, iste gladius appensus thoro
Invitat iram. Stringo mucronem, comam
Lævâ prehendo, Numen in factum voco;
Unoque monstri verbere abscindo caput.
Oz. Quâ fraude lusus hostis, ut tutum daret

Per

Per castra callem? Nullus advertit? *Iud.* Ducis
Jussu per omnem militem patuit via,
Quoties liberet Numini preces dare,
Colle in propinquo. Credidit miles preces
A me parari, liberam misit. Caput
Huc sisto domitæ belluæ. *Cha.* Vivat sui
Judith redemptrix generis! *Iud.* Hoc cœli date
Benignitati. Jussa nil præter, meum est
Egisse: summa gloriæ auctorem manet.
Hortatur hora, surgite invictâ manu
Capessite arma; castra turbate, & fugam
Præoccupate cæde. Quid miles queat
Duce destitutus? Mentis attonitæ stupor
Timore mixtus, ordo confusus, novum
Spectaculum iras pectore, & crudos manu
Excutiet enses. Surgite; inceptum dolum
Urgete Cives. Prosequi victoriam
Et vincere æquâ lege victorem decet.
Oz. Excurre Civis; strage reliquias pari
Depone belli, aut cæde fugientes preme.

SCENA SEXTA.

Auditur, & timetur ab Assyrijs Bethuliensium tumultus,

Rison. Vagao. Excubitor.

Quis hic tumultus Martis, & rauco fremens
Clangore fervor? Tympano excussus sopor
Armis reponat militem: quidquid fremit,
Est præcavendum. In ordinem miles suum.

Vag.

Vag. Cervi leones provocant; stultis calet
Hebræus armis. Confer huc vires; dabis
Diem triumpho nobilem. *Exc.* Non sunt minæ;
Res agitur ipsa: funera & stragem parat
Despectus hostis. *Ris.* Aliquod insuetum malum
Præsagit animus. *Exc.* Marte congesto ruit,
Acieque totâ volitat Hebræus furor.
Nisi antevertis ausa, res omnis cadit,
Et ante pugnam miles occisus jacet.
Discrimen urget, nisi malo dextram admoves.
Ris. Occurro contrà. Primus in Hebræos manu
Verto furores. Vagao temulento Duci
Excute soporem: grande discrimen doce.
Properet in arma. prima non trepidus meo
Arcebo damna capite. Quod tempus moræ
Datur, periculo additur. - -

Scena Septima.

Vident, audiuntq́, Assyrij excurrentium Bethuliensium tumultum: urgetur Vagao, ut Holofernem excitet. Hic detruncatum reperit.

Dabrias. Vagao. Miles. Vasces.

- - - Quanto ruit
In nos procella turbine! & somnus Ducem
Quietus arctat. Vagao, quid nectis moras!
Brevis hora rerum grandium evertit statum.
Vag. Non audit.

Mil. Illa nempè sopitum tenet (crepa
Hebræa Nympha. *Vag.* Tympano hic rauco in-
Ducis soporem. Nullus auditur. *Mil.* Fores
Perrumpe Vagao. *Vag.* Non licet.
Mil. Periculum
Excusat. *Vag.* Inde majus at mihi imminet.
Vasc. In nos severa fata conspirant; perit
Decus omne nostri militis: Ducis nisi
Præsentia animet, certa pernicies adest.
Confusus omnis miles exspectat Ducis
Mandata: & ille plumeo infusus thoro
Dormit profundum? seria reposcunt manum.
Evolve portam Vagao cardinibus. *Vag.* Nihil
Audimur. Aliquid fraudis obtectæ latet. (solens?
Vasc. Irrumpe. *Vag.* Superi! Vivo? Quod factũ in-
Truncus Holofernes capite rescisso jacet,
Suoque sanguini innatat; totam ebrius
Evomuit animam Fœminæ Hebrææ dolo.
Assyria fortuna apice de summo ruit.
Quin retroactus æthere è medio fugit
Dies in umbras; nosque condensâ tegit
Nocte involutos: impio eructa sinu
Acheron vapores. Nebula non melior reum
Teget ulla. Quid me lumine innocuo aspicit
Sol axe pendens? luceant flammæ stygis
Fugæ nocentis, meque trans mundum ferant,
Quo nulla Soli, nulla sideribus via est.
Ego, ego potentis generis excelsum decus,
Primumque Martis columen Holofernem ferâ
Nece interemi; prodidi gentem, novo
Scelere vetustam gloriam tumulavi. Ego

Frau-

Fraudum archirectus fœminam induxi thoro,
Ego ipse sceleri feci inaudito locum,
Confunde rerum jura, qui cœlo praees,
Unaque me, & mulierem, & Holofernem, obrue
Pereunte mundo. O fœmina anguineum genus!
Quas mente larvas Tartari occultâ geris!
Virtutis umbram fronte fallace exhibes,
Totum doloso pectore Acherontem tegis.

SCENA OCTAVA.

Rison Holofernem in rerum turbatione quaerit, truncatum reperit. Culpat Vagaonem. Ad ostensum pro mœnibus caput, fit fuga Assyriorum, quos persequuntur Bethulienses.

Rison. Vagao. Vasces. Dabrias.

Nondum Lyæum longus excoxit sopor?
Jam campus omnis hoste completur: moram
Vetat ruina publica. *Vag.* Abrupta est mora,
Abrupta sors est. Cernis? *Ris.* Attonitum gelu
Mihi membra stringit. Vincimur, cæde impiâ
Necamur, hosti præda despecto sumus.
Non antè monui; fœmina dolosum est malum:
Cerussat ora, ut placeat; at corde abdito
Venena, & arma condit, ut letho enecet.
Tu cædis auctor.
Vag. Fateor, ego feci hoc nefas:
Ego cædis auctor impiæ, & quod maximum

Mil. Illa nempè sopitum tenet (crepa
Hebræa Nympha. *Vag.* Tympano hic rauco in-
Ducis soporem. Nullus auditur. *Mil.* Fores
Perrumpe Vagao, *Vag.* Non licet.
Mil. Periculum
Excusat. *Vag.* Inde majus at mihi imminet.
Vasc. In nos severa fata conspirant; perit
Decus omne nostri militis: Ducis nisi
Præsentia animet, certa pernicies adest.
Confusus omnis miles exspectat Ducis
Mandata: & ille plumeo infusus thoro
Dormit profundum? feria reposcunt manum.
Evolve portam Vagao cardinibus. *Vag.* Nihil
Audimur. Aliquid fraudis obtectæ latet. (solens?
Vasc. Irrumpe. *Vag.* Superi! Vivo? Quod factũ in-
Truncus Holofernes capite rescisso jacet,
Suoque sanguini innatat; totam ebrius
Evomuit animam Fœminæ Hebrææ dolo
Assyria fortuna apice de summo ruit.
Quin retroactus æthere è medio fugit
Dies in umbras; nosque condensâ tegit
Nocte involutos: impio eructa sinu
Acheron vapores. Nebula non melior reum
Teget ulla. Quid me lumine innocuo aspicit
Sol axe pendens? luceant flammæ stygis
Fugæ nocentis, meque trans mundum ferant,
Quo nulla Soli nulla sideribus via est.
Ego, ego potentis generis excelsum decus,
Primumque Martis columen Holofernem ferâ
Nece interemi; prodidi gentem, novo
Scelere vetustam gloriam tumulavi. Ego

Frau-

Fraudum architectus fœminam induxi thoro,
Ego ipse sceleri feci inaudito locum,
Confunde rerum jura, qui cœlo præes,
Unaque me, & mulierem, & Holofernem, obrue
Pereunte mundo. O fœmina anguineum genus!
Quas mente larvas Tartari occultâ geris!
Virtutis umbram fronte fallace exhibes,
Totum doloso pectore Acherontem tegis.

SCENA OCTAVA.

Rison Holofernem in rerum turbatione quærit, truncatum reperit. Culpat Vagaonem, Ad ostensum pro mœnibus caput, fit fuga Assyriorum, quos persequuntur Bethulienses.

Rison. Vagao. Vasces. Dabrias.

Nondum Lyæum longus excoxit sopor?
Jam campus omnis hoste completur: moram
Vetat ruina publica. *Vag.* Abrupta est mora,
Abrupta sors est. Cernis? *Ris.* Attonitum gelu
Mihi membra stringit. Vincimur, cæde impiâ
Necamur, hosti præda despecto sumus.
Non antè monui; fœmina dolosum est malum:
Cerussat ora, ut placeat; at corde abdito
Venena, & arma condit, ut letho enecet.
Tu cædis auctor.
Vag. Fateor, ego feci hoc nefas:
Ego cædis auctor impiæ, & quod maximum

Scelus est, mulieri credidi. O fallax color
Ridentis ore gratiæ! vanæ spei
Inanis umbra! *Vasc.* Castra jam Hebræus tenet
Victorque turpi sævit in nostros manu.
Ris. Caligo, noctis horror, Acherontis vapor,
Imi cavernæ tartari, & priscum chaos
Obruite caput hoc.
Dabr. Miles huc illuc fugâ
Abripitur omnis. Cernis Holofernis caput?
Ris. Imbellis, excors, fœminæ Hebrææ jocus,
Et quod superbi maximum est probrum Ducis,
Voluptuose miles! *Nars.* A tergo necem
Clademque Apellæ promovent. Nullus locus
Patet saluti. Fugere, qui potuit, potest
Servare vitam. *Ris.* Fugite, queîs vitæ est amor.

SCENA NONA.

Dum tergo Assyriorum incumbunt Hebræi, chorus insultat capiti Holofernis pro mœnibus in hastam sublato.

Judith. Ozias. Charmi. Achior.

Talis triumphas, magne terrarum stupor,
Fulmenque belli! Sic tibi flexum genu
Bethulia curvat. Sanguinis nostri sitim
Sic tigris exple: sic leo insontis vora
Populi cadaver; perque calcatas strues
Subi innocentûm. *Oz.* Non diu torpet Deus,
Sed nec citatâ fulmen elidit manu.
Suum ultioni tempus est; quando vocant

Ma-

Matura scelera. Patitur ad tempus breve
Impunè crimen ire; sed tandem venit
Vindicta cœlo, quàmque sustinuit moram
Gravitate pensat verberis. Nullus diu
Vixit scelestus. Quantus in nostras neces
Ibat Holofernes! Quantus ex illo tumor
Superest Gigante?
Char. Flevimus, sed non diu,
Sub sorte durâ: risit ad nostras vices
Superbus Assur: Sortis inversa est rota:
Ad nos triumphi pompa spectandi redit, (suo
Lachrymæque ad illum. At flere cum nequeat,
Stillans cruore lachrymæ pensat vicem.
Oz. Sic fata aguntur. Nullus est semper miser,
Nullusque felix semper. Alternis eunt
Dolor & voluptas motibus. Si quem anxiâ
Caligo nocte involvit; exspectet diem.
Qui prius in undis visum est Titan mori,
Idem resurgens invehit cœlo facem.
Iud. I jam cruente gentium latro, tuos
Exple furores, quando, quid possit manus
Confisa cœlo, grande documentum exhibes.
Ach. Adoro verum gentis Hebrææ Deum,
Qui solus & vult, & potest solus manu
Potente frangere hostium insanos metus;
Spolia superbis demere; triumphi rotas
Frangere furori; facere vindictæ locum,
Cùm non timetur; fœminæ dextrâ virûm
Superare facta. Te colo posthac Deum;
Qui non nocentem, Numini fisum tuo
Populum paterno semper affectu foves.

Oz. Assurge: votum Numen accepit pium,
Et quo recondit corde progeniem suam.
Hoc te fovendum filium affectu excipit.
Cha. At ecce victor civis ex campo redit
Spolijs onustus, cæde & hostili satur.

SCENA VLTIMA.

Redeunt Bethulienses, spolia dividunt: datur Iudithæ plausus, Deo grates, qui non confundit in se sperantes.

Nabath. Ozias. Iudith. Achior. Cives.

Deus severo justus exitio trucem
Fregit Holofernem, & qui Gigantæo insolens
Fastu subibat astra, deposito jacet
Tumore funus: omnis ejectus suâ
Statione miles, fata mutari docet.
Tumidumque fastum stare non tuto loco.
Quicunque nostræ stabat intentus neci,
Citior sagittâ fugit, & nostræ dedit
Campum patentem gloriæ: qui non fugâ
Elapsus ensi colla subtraxit, solo
Jacet inhonorus, barbaros tabo suo
Pasturus ursos. Civis in prædam vola
Everte castra; solus hic superest labor
Plenum ad triumphum.
Oz. Sistite: Hic quidquid suo
Precio superbit, quidquid Holofernis fuit,
Judith meretur. Prima quæ stragem dedit,
Prima in laboris præmium impensi venit.

Iud. Omnia remitto Civibus. Partæ decus
Commune palmæ præda communis decet,
Me sola præda satiat, Holofernis caput.
Civ 1 Hic arca gemmis turgida, & multò gravis
Refulget auro *Oz.* Dexteræ hoc munus tuæ est,
Invicta Judith. *Iud* Dexteræ hoc munus meæ est,
Caput Holofernis. Si qua sit virtus mea,
Est major auro. Nobilem mentem sitis
Avara lucri dedecet. Civis ferat
Commune lucrum.
Civ 2. Purpuræ hic mundus trahit
Immune syrma. *Oz.* Purpuram virtus tua
Judith meretur. *Iud.* Dedecet viduam hic color.
Conditio nostra melius atrato latet
Velata peplo. *Oz.* Spolia congerite.
Civ. 3. Hic jacent
Torques ab auro nobiles. *Civ.* 4. Tentoria
Illusa ab auro. *Civ.* 5. Signa sericeis super
Inducta villis. *Civ.* 6. Annuli culto inclyti
Adamante. *Ci.* 7. Multâ cassides gemmâ graves;
Civ. 7. Scyphi micantes onyche; nectareæ abacus
Preciosa mensæ: grandis armorum strues;
Opulenta pompa vestium; currus, equi,
Jumenta, & omne bellicæ fulcrum rei.
Oz Partire Judith ista. *Iud.* Communis labor
Commune referat præmium. Spolia omnia
Addantur æri publico. Crescunt opes
Cujusque, quantum publicum crescit bonum.
Civ. Vive Israëlis vita, Hebræorum salus,
Vindex Tonantis, urbis afflictæ unicum
Judith levamen. *Iud* Parcius laudes mihi

Pendite, Tonanti debeas. Unum hoc meum est,
Sperasse. Quidquid spem supra est, fecit Deus.
Hoc Israelis longa posteritas sciat:
Qui fidit usque Numini, nunquam perit.
Ach. Jam mihi sacratis pectus à flammis furit.
Ite hinc profani; sacra meditamur Deo,
Per quem triumphi plausus hodierni stetit,

Quem procella pertinace
Martis impetit furore,
Cui pavores & dolores,
Urbiumque vastitatem,
Cædiumque, stragiumque
Mars minatur cruditatem;
Fide cœlo: non perivit
Ulla spes Tonante nixa.
Sortis ira non secundæ
In tua manu rotatur:
Te volente sunt secunda,
Quæ sinistra judicantur.
Te volente sunt sinistra,
Quæ secunda judicantur.
Fide cœlo: non perivit
Ulla spes Tonante nixa.
Tela cudat, cudat arma,
Fulminumque libret ictus:
Membra findat, vellat artus,
Sternat ædes, vertat urbes;
Igniumque per procellas
Mille devoret talenta,
Fide cœlo: non perivit
Ulla spes Tonante nixa.

Sor-

Sorte quisquis infecundâ
Aggravatur, ille semet
Angue torquet inquieto.
Quidquid angit, quidquid urit,
Sustinendo mitigatur.
Sustinere, est vincere.
Fide cœlo: non perivit
Ulla spes Tonante nixa,
Ille robur, ille vires
Administrat sustinenti,
Debilesque fulcit artus:
Quæque sufferenda mandat,
Portat ipse. Quis queratur
Grande pondus, dum juvatur
Tam potente dexterâ.
Fide cœlo: non perivit
Ulla spes Tonante nixa.
Vicimus favente cœlo!
Vicimus, sed sustinendo.
Quod timore nos ligabat,
Quod dolore nos premebat,
Hoc honori est abditum.
Hoc futura discat ætas:
Cœlo agente fata volvi;
Advenire non secunda,
Rursum abire agente cœlo.
Quando res eunt sinistræ,
Fide cœlo, non perivit
Ulla spes Tonante nixa.

DEI BONITAS DE HVMANA PERTINACIA VICTRIX:

SIVE

ALPHONSUS DECIMVS,

LEGIONIS ET CASTELLÆ REX

Pertinaciter blasphemus, clementer à Deo emendatus.

ARGUMENTUM.

ALphonsus X Legionis & Castellæ Rex, quàm singulares acceperat à natura dotes, tam improbè ijs abutebatur. Ingenium, & judicium supra cæteros sui sæculi mortales sortitus, illud ad censuranda sugillandaq; Dei opera sacrilegè erexit, *au-*

ausus & sentire, & dicere : Si ipse in prima mundi molitione Deo Creatori consiliarius adsuisset, futurum fuisse, ut complura melius ordinarentur. *Dum hoc in plurium, qui non arridebant, eventuum occursu repeteret, excitat Deus monitores, tum è vicina silva Anachoretam, tum in aula Petrum, sui filij magistrum: sed uterque risum tulit, & indignationem. Corripit igitur fulmen Deus, & dum aulam repetitis ictibus verberat, metum simul, & saniorem mentem Regi incutit, ut humanam arrogantiam divinæ sapientiæ subjiceret. Præclaro documento; Deum lentè clementerq; punire.* Rod. Sant. 4. p. Hist. Hisp. c. 5.

Data Passavij, 1666.

PERSONÆ.

Alphonsus Rex.
Manuel filius Regis.
Rodericus Præfectus Aulæ.
Petrus Præfectus filij.
Elphegus Anachoreta.
Consul.
Tribunus.
Angelus.
Cives.
Venatores.
Satellites.
Umbræ.
Chori.

ACTUS I.

SCENA PRIMA.

Elphegus Anachoreta, dum precibus apud Deum agit, ut grassantem Castellæ pestem mitiget, videt Regi Alphonso intentas è cœlo minas.

Elphegus. Genius Alphonsi. Nemesis. Superbia. Duo Angeli.

QUis me silente nemoris excitum specu
Genius in urbem revocat, & veteres jubet
Repetere turbas? Magne moderator poli,
Cur benè relictam nobili pompam fugâ
Sequor profundæ rupis emissus cavo?
Patriæque species urbis in mentem redux
Solicitat animum, meque tranquillo erutum
Solidæ quietis littore in fluctus rapit?
Sentio medullas spiritu impelli abdito,
Et increpari voce taciturnâ fibras:
Elphege, in urbem. Quæ novæ rerum vices
Mihi subeundæ? Blanda me hic recreat quies;
Liquida voluptas Cœlitum, placidi flatus
Tranquillus animi, gaudij purus tenor;
Et hinc migrandum est? Repetit arcano sono:
Elphege in urbem. Quò? undè discessi semel
Fastum perosus seculi? huc rursus pedem

Deo

Deo vocanti inobſequens, nocuus mihi,
Non profuturus cæteris, plebi jocus,
Vilisque pueris ludus, Elphegus feram?
Quid inchoâſſe proderit? Rurſum audio:
Elphege, in urbem. Nempè ubi tabo natat
Merum cadaver, & ſuperfuſo patre
Putent ſepulti filij: huc charo vocor
Redux ab antro? Forſan ut cumulem tuam
Caſtella cladem, & funus aggeſtis novum
Funeribus addar? Forſan ut trepidum eximam
Pavore populum? Quidquid id fuerit, meum
Repetitus animum ſemper impellit ſonus:
Elphege, in urbem. Mortis, & vitæ arbiter,
Miſerere populi, qui ſuper modicus gemit,
Gravibuſque pœnis debitum agnoſcens caput
Reus, dolenſque genibus accumbit tuis.
Culpam fateri primus ad veniam eſt gradus,
Odiſſe crimen, alter. Humanæ nota
Eſt vilitatis, cadere: Divinæ decus
Benignitatis, ſupplicij veniam dare.
Te fulminantem mundus agnoſcit, Deus;
Eſt quod vereri poſſit; at, quod amet, petit,
Frange inſolentis igneas lethi minas,
Et pervicacis elue veneni malum.
Sed quid repente cardines cœli movet?
Secreta Superûm rupis ex antro legam.

Gen. I volantis penna venti,
Altiſque mens ſuperbi,
Pone me ſub aſtra; mundum
Æquiore lege flectam,
Multa caſus, & fluentis

Sortis ordo temperat.
Illa certâ lege currunt,
Quæ perita mens regentis
Ordinem tenere cogit.
Quæ meant regente cœlo,
Sæpè cæcâ, sæpè curvâ
Lege eunt in devia.

Nem. Siste gressum frons superba,
Et tumentis cordis æstum.
Quò volatúm tendis, indè
Lapsus instat. Insolentis
Iste finis est laboris,
Se ruinâ perdere.

Gen. Evolabo. *Nem.* Te retrudam.
Gen. Te repellam. *Nem.* Te retundam.
Gen. Te revellam. *Nem.* Te refringam.
Gen. Me levabo. *Nem.* Te domabo.
Gen. Me locabo. *Nem.* Te necabo.
Vterque. Te revolvam in Tartara.
Nem. O superbe frontis ardor!
Gen. O minantis imbecilla
Vis furoris! *Nem.* Vis perire?
Gen. Vis tuo solum cruore
Inquinare? *Nem.* Vis Averno
Spiritum demergere?
Gen. Arma prode: quid minaris?
Vanus est furoris ardor,
Absque viribus minari.
Nem. Arma prode: serò disces,
Esse Numen, esse tela,
Quæ scelestos fulminent.

Su-

Su. erl. Tela nostrâ sume dextrâ.
Editura tela stragem.
Perge: certus est triumphus.
Tunde lævam: frange dextram.
Cede; cede: nil verere;
In sinum delaberis.

Nem. Disce tandem jam vereri
Numen, ore quod scelesto
Impetebas. Ni refrenes
Execrandæ mentis æstum,
Ibis exul sede Divûm;
Ibis orco victima.

Angeli. Lege cœli jam statutum est:
Deleatur Rex superbus:
Cujus os profanat astra,
Et cavillis Numen afflat,
Deleatur Rex superbus,
Cedat orco victima.
Sic peribit, ni redibit,
Quisquis audet acta cœli
Improbare; quisquis ore
Impio Deum lacessit.
Lenta quamvis, certa crimen
Insequuntur fulmina.

Elph. O triste fatum! scena funesti parens
Metuenda lethi! quò meos luctus trahis!
Hoc est, quod intus monuit arcano sono:
Elphege, in urbem: vel pari ut peream nece
Cum cive; vel solamen ut civi ultimum
Addam cadenti. Grande lucrum est unica
Anima redempta. Pereat Alphonsus, licet,

Si vult perire, nec manum medicam pati?
Sed tot cadentûm spiritus vivant Deo.

SCENA SECUNDA.

Alphonsus dolet sortem sui populi per pestem afflicti: hanc à Deo decretam improbat. Salubrioris auræ captandæ gratiâ venationem parari jubet.

Alphonsus. Rodericus.

Quid me rotare sceptra? quid pronos juvat
Calcare populos? purpuræ quid vel rubor,
Vel eminentis verticis prodest jubar?
Orbi imperare dicimur. verbum grave,
Fucata res est. Invidus semper polus
Imperia nostra turbat, & fluctus ciet.
Currunt, recurrunt mobiles sortis vices,
Reciprocante fluctuum motu, & subit
Semper priore pejor in scenam furor.
Sceptri ò voluptas noxia! ò fallax bonum!
O regni amara suavitas! quantum tegis
Dulcore modico toxicum! & amaris tamen.
Quid juvat amicâ pace Castellam frui,
Si vi malignâ pestis imperium vorat,
Et strata latè corpora effusis jacent
Inhumata campis?
Rod. Magne Rex, mente hîc opus,
Quà sortis olim deviæ semper graves
Casus tulisti. Quisque cùm regnum silet,
Scit imperare; at arduis rebus gravis
Servatur animus.

Alph. Nostra si tangunt parum
Me damna, damna civium affligunt magis,
Lacerantque pectus.
Rod. Quidquid adversum tibi est,
Fortuna Regni est publica. Minatur Deus,
Sed parcit æquè. Fulmen in populum vibrat,
Sed tu cadentes sustines cœli faces
Indemne scutum.
Alph. Nempè sic nutu regit
Sapiente mundum. Culpa quæ fecit reum,
Ut strage tantâ civium haud fiat satur?
Quæ parvulorum damna, quos mundo dies
Hesterna genuit? Scelera si plectit patrum,
Cur innocentes filios telo objicit?
Lex hæc honesti est? Discat, humanis præest
Quicunque rebus, sanguinis atrocem sitim
Pascere suorum necibus, ac pœnâ pari
Et innocentes tollere, ac scelerum reos.
Rod. Rex, nimium honoras fortis imperiū asperæ,
Si vel dolore tela, vel casus tuâ
Dignaris irâ sternere infestam potes,
Et tibi benignam facere fortunæ manum.
Servet te olympus, stabit & regni salus.
Alph. Servabo memet, quando non servat fidem
Invidus olympus. Aura me melior juvat,
Purusque cœli afflatus in silvas vocat.
Rod. Est Regis animo digna venandi sitis,
Ut aut odorem putris evitet luis,
Aut mole regni pectus oppressum levet.
Alph. Auræ salubrem spondet afflatum polus.
Roderice, casses instrui & canes jube:

Lu-

Lubet vagantes petere venatu feras.

SCENA TERTIA.

Elphegus ex visu afflictus, quid agat incertus, docetur ab Angelo, blasphemiam Regis esse causam publicæ calamitatis; jubeturque eum monere, latam esse à Deo sententiã, nisi resipiscat.

Elphegus. Angelus.

Quod antè mœstis vulnus impressum est fibris,
Adhuc dolentem cruciat, & crescens metus
Attonita pigro membra constringit gelu.
O luctuosa Regis Alphonsi vices!
Ergò ille posthac aureo expunctus libro,
Indignus astris, Cœli tùm indignus choro,
Miserandus, exspes, dedecus mundi ultimum,
Abominandâ polluet Avernum nece?
Cur me sinistris casibus regni Deus
Servas videndis? quin jubes Lachesin prius
Mihi fila vitæ scindere, aut vivum hoc caput
Condi sepulchro? Jam satis vitæ mihi
Indulsit æther: jam satis Solis faces
Luxêre misero. Quidquid est vitæ super,
Hoc morte durâ gravius Elphegum premit.
Ang. *Elphege in urbem.*
Elph. Fallor? an vox, quæ prius
Arcana sensûs tetigit, hæc rursus sono
Manifesto in aures funditur? an astris venit?
An quis per ista tesqua deludit senem?

Ang.

Ang. Elphege, in urbem.
Elph. Auditis? at nemo meis
Occurrit oculis. Pande te, quisquis joco
Dubium fatigas, vel benè latentem jubes
Urbi reponi. Quis peregrinus subit
Hæc hospes antra, nec vijs sectum nemus?
Ang. Elphege in urbem.
Elph. Fallor? an Stygio venis
Tentator igne? Repete funestum chaos,
Fœta antra flammis. Egone desertos benè
Repetam tumultus urbis, & mundi graves
Subeam procellas; unde fruiturus Deo
Nuper migravi? Christe me prohibe dolo
Stygis implicari. Cede ad æternos rogos
Ardentis orci: *Ang.* Nullus est fraudi locus.
En signa, quæ me fraudis immunem probant.
Elph Hunc ego salutis veneror auctorem meæ.
Ang. Hunc ego profundæ adoro domitorem Sty-
Elph. Divinioris aliquid hîc genij latet. (gis.
O quisquis altis siderum emissus plagis
Ades, timori parce inassueti senis
Vocibus olympi, & fronte sub pulchrâ dolos
Metuentis animi; parce si ignotum impius
Jussi sub ipsos Tartari mergi lacus.
Ang. Assurge: idipsum sceleris innocuum probat.
Elph Quid ergo mandas?
Ang. Siderum exertus furor
Regi ruinam, & fulmina, & Avernum parat.
Elph. Hoc est, quod ante vidimus. Strictum Deus
Suspende fulmen: patris affectum exere
Mitis, piusque genitor! *Ang.* At frustrà preces
De-

Decreta cœli fixa sunt. *Elph.* Sed quod ſcelus
Facit nocentem? *Ang.* Tumidus invadit Deum,
Et acta Numinis ore ſacrilego improbat.
Tuum eſt paratum fulmen ab iniqui Ducis
Prohibere capite. Rumpe torpentes moras
Elphege, & urbem repete, & Auguſto ultimam
Deſcribe cladem. Sequitur hæc propero gradu,
Niſi veneretur Numen, & vitam ſequens
Damnet priorem.
Elph. Quis ego, qui vultum audeam
Regis ſubire? *Ang.* Dignitas magna eſt Ducum,
Major Tonantis. *Elph.* Audiet agreſtem ſenem,
Multâque rugâ, & frontis illuvie obſitum?
Ang. Audire, non audire ad arbitrium poteſt.
Si pronus audit, concidit cœli furor;
Si pertinace mente violatum Deum
Adhuc laceſſit, fulmen in collum trahit.
Elphege, propera: hic unicus vitam intereſt
Mortemq; Phœbus. Properâ medicina eſt malo
Propero admovenda. Niſi citò occurris, perit.
Vindicta ad horam laneo incedit pede,
Deinde celeres fulminis pennas citat.
Elph. Si quærat, unde? quis polo has tulerit minas?
Quem te fatebor? quâ fidem eliciam notâ?
Ang. Cœlo adfuiſſe nuncium Regi refer.
En aſtra ſubeo patria. Hinc, quis ſim, ſcies.
Elph. Volante pennâ raptus invaſit polos.
Agnoſco: Numen aliquod Elphegum vocat,
Et de quiete ad regias turbas citat.
Fateor, timores pectus urgebant prius,

Et

Et ante vultum Regis errabat furor,
Præsensque mortis horror: at cùm se probant
Aperta cœli jussa, nil pectus minæ,
Periculorum tela nil mentem movent.
Qui mandat, idem tollit ex animo metum.
Sonuêre silvis bella venantûm cohors:
Tegamur umbris interim exesi specûs
Fors tempus istud Regis affatum dabit.

SCENA QUARTA.

Dum venatio fervet, incidit Anac oreta in Rodericum; indicat, quæ Regi imminent: sed contemnitur.

Venatores. Rodericus. Elphegus.

Ven. 1. Lustrare silvas canibus, & reti nemus
Cingere frequenti, Regis imperium jb et.
Parata jam sunt singula; & plagæ, & c nes.
Ven. 2. In varia nemoris spacia divisos uvat
Nos ire; & alta mont ium, & cava vallium
Cornu increpare.
Ven. 1. Magna pars Regi comes
Infusa silvæ est. *Ven.* 3. Pestis ut Regem cremet,
Cui vita saltus inter est dulcis, mihi
Laboriosa. Noctibus jungit dies:
Nec pace nocte, nec fi ui licet die.
Ven. 2. Remitte curas. Aula dum profert moras,
Nobis amœnis interim fas sit jocis
Lassare arenam. Parte tu levâ Ducem

Attende: dextrâ parte tu observa: mone,
Si se propinquo portet in silvam gradu.

Saltus Venatorum.

Ven. 4. Adest: silete. *Ven.* 3. Dente distractum vo- (ret,
Aut ursus atrox, aut ferus rictu leo.
Rod. Ubi Rex? *Ven.* 1. Propinqua in lustra sociorum manum
Traxit sequentem. *Rod.* Visus ingentem sequi
Venabulo aprum, nemoris abstrusi avijs
Se mersit umbris: dumque præeuntem sequor,
Oculos repentè ludit, & solum cavis
Deserit in umbris. Ite quà saltus patent,
Quà scabra surgunt culminum, & valles hiant,
Regem sequamur, præda ne forsan suæ
Prædæ ipse fiat. *Ven.* 1. Siste: quod monstrum specu
Se prodit antro? *Rod.* Tu retro tergus preme;
Meumque trepidam belluam in ferrum incita.
Elph Magnanime Princeps.
Rod. Vocis humanæ est sonus.
Elph Audi precantis verba.
Rod Quid petis? *Elph* Alloqui.
Rod. Quem? *Elph.* Te. *Rod* Quis es?
Elph. Silere cupientem rogas. (metus.
Rod. Fare. *Elph.* Cupientem proloqui enervat
Rod. Assurge: nil verere. *Elph.* Quod dici jubes,
Siluisse cupies. *Rod* Qui jubet dici, parat
Audire dicta. *Elph.* Sæpè sed pœnam luunt
Expressa verba. *Rod* Placidus eloquium audiam.
Elph. O quisquis aulam sequeris, & Regi fre-
Obsequia præstas, fata Castellæ aspice, (quens

Stri-

Strictoquo cœli fulmini scutum objice.
Rod Quidquamne possim?
Elph Plurimum. *Rod* Obniti Deo?
Elph Dei jubentis obsequi imperio. *Rod.* Refer.
Quid ille mandat? *Elph.* Scelera jam incessant polum,
Et expeditas Numen in flammas vocant.
Rod. An scelera populi? *Elph.* Regis. Hic menti dies
Restituat illum, parta medicina est malo,
Auramque rursus astra meliorem dabunt.
Si pertinacem crimina in seriem trahat,
Idem hic Tonantem coget in pœnam dies.
Rod. Qua tripode promis ista?
Elph. Quâ loquitur Deus.
Rod. Quàm facilè credit somnia hoc hominum genus!
Age hic quietos, incola antrorum, dies;
Quid moliatur aula, quid Reges agant,
Curare mitte. Si minus credas tibi,
Magis quietos exiges sylvis dies.
Quod turbat animum, fictio est mentis. Vale.
Vos ite mecum, quærite errantem Ducem.
Elph Sic aula ludit serios sensus poli,
Superumque monita. Spernimur: sed non Deus.
Elphege, in urbem concita fessum gradum,
Ibi parata tela communi prece
Averte capite Regis, aut iram excipe
Tuo ipse capite. Summa sic poscit rei.

CHO-

CHORVS.

Docet vindictam divinam severiore pœnâ abstinere, cùm potest sceleribus frænum injicere.

Nemesis, sub schemate Dianæ. Attributa Dei, & Virtutes. Theodynamis. Theosophia. Euphrosyna Theophobia Eromena. Alphenus Faunus.

Nemes. Adsum Nemesis, toties precibus
Lassata tuis. ô Theodynami,
Totiesque tuis, ô Theosophia:
Parcite lentæ. claudos jubeor
Tardare gradus; nec præcipitem
Nimis in fulmen laxare manum.
Ira Tonantèm suspensa decet
Lentusque furor. Qui citò plectit,
Amente parum distat. *Theo.* Sed qui
Prohibere potest, patiturque tamen
Regna everti scelerum peste,
Peccante parum distat. Namque
Impune scelus cumulat scelera.
Theos. Si tu pateris devota Deo
Regna everti; quis prohibebit?
Quæcunque micat spes bona rerum,
Succisa cadet. *Nem.* Mitte querelas,
Turba Dearum. Venio immane
Vetitura scelus: sed non tortâ
Fulminis irâ. *Euphr.* Sic ergò ibit
Impune scelus, quo populatur

Ne-

Nemora Alphenus. *Nem.* Non, non ibit
Cùm pono manu fulmina, jura
Mihi sylvarum vendico. Nemesis
Exuo vultum; tota Dianam
Induo amictu. Quid me petitis?
Theod. Ultrice manu fulmina mitti.
Nem. In quem *Theo* Cœca es? non vidisti,
Quæ cuncta vides crimina mundi,
Non vidisti tibi charorum
Vulnera nemorum, nostrumque probrum?
Nem. Etsi videam, non vidisse
Simulo tacitâ sed mente noto.
Erom. Cadit interea gloria nemorum
Scelere Alpheni. *Nem.* Pœna parata est.
Non quâ perimam, sed quâ emendem
Eu. Nempe docebis bâlare lupum,
Ridere tigrin *Nem* Precium grande est
Sanguinis. Absit fundere; quando
Servare potes, totumque tamen
Tollere crimen. Non ego perimam;
Sed frenabo. Cingite silvam
Cassibus; omnem prohibete viam:
Istâ tantùm pateat parte
Semita eunti. *The* Studium sociæ
Urgete Deæ: huc jungite casses.
Erom. Istâ irrita tu parte feram,
Reliquæ fidis lateant umbris,
Donec ab antris sese in apertum
Proferat hircus, latro silvarum.
The. Bestia capripes: caput hircinum!
Homo caprinus: nec capra, nec homo!

Sanguinis expers vindicta decet.
Ne. Ergo capistrum hoc indue *Al* Dura
Lex metuenti sed subeunda.
Eu Ponere sævum crude tyranne
Disce furorem. *Ne.* Disce benignam
Nemesis dextram. Sternere potuit,
Maluit ori imponere frenum.
Quando tolerant crimina frenum,
Parca Severas exigo pœnas,
Fulmenque manu vindice pono.
Th. Frenum excussit. Superi lfugit.
Ne. Currite Divæ, parteque ab omni
Obvia tendite tela scelesto.

ACTVS II.

SCENA PRIMA.

Petrus Manuelem Regis filium suæ curæ commissum, instituit.

Petrus. Manuel, Ephœbus.

Manuel, paternæ stirpis augustum decus,
Columenque regni, prime flos generis tui
Fœcunde quondam fructibus, clari recens
Aurora Solis; quam facis magno patri
Spem sceptra quondam & regna flectendi, pari
Industriâ æqua. Magna consilia impiger

Labor juventæ gignit. A vernâ fluit
Ætate virtus omnis. Auroram dies
Purus serenam sequitur. Hac eunt senes,
Quà cœpit ætas prima.
Man. Quà pandit viam
Sapiens Magister. Nemo se solo mali
Declinat ansam: quisque præeuntis viam
Tenet Magistri. *Pet.* Semita in dubiâ duce
Opus est perito. *Man.* Sorte me hac faustum
reor,
Quòd mihi favore Numinis talis datus
Vitæ institutor. *Pet.* Atra nox tenebris diem
Nondum explicavit: pulchra suspensis micant
Sidera per axem flammulis. Genium indolem,
Nomen situmque siderum, & cursum refer.
Man. Hac it Bootes, & pigro secum gradu
Septem gubernat Arcades. *Pet.* Quali influit
Fax illa genio? *Man.* Frigido, & terras gelu,
Glacieque fluvios induit. *Pet.* Causam nota.
Man. Procul remotam solis ardente à face
Tenet Bootes semitam. *Pet.* Sed quâ viâ
Lentus vagatur? *Man.* Stella, quæ tangit polum
Est ursa: ponè sequitur Arctophylax. Brevis
Est cursus illi, sed piger. Quanto dies
Spacio per omnes ætheris campos meat,
Tanto ursa circùm vertitur punctum poli.
Pet. Redde rationem.
Man. Nescio. *Pet.* Rotam aspice.
Nonne axis iste circulo est toto minor?
Man. Minor est.
Pet. Tamen rotantis ad motum, suum

Non

Non antè cursum peragit, quàm peragat rota.
Quo sphœrica magis corpora à centro fluunt
Moventur hoc velocius.
Man. Quæ fax polo
Cadit sereno? *Pet.* Sidus hoc fortè æstimas?
Man. Par flamma certè est sideri.
Pet. Non est tamen
Man Quis ignis ergò? En alterum sidus ruit.
Pet. Est fatuus ignis. Quando sublato ambiens
Pugnat calori frigus, & circum obsidet,
Arctatus in se accenditur: tum quà trahit
Linea vaporem, sequitur; ut flammam vides
Sparsum volare per nitrum: quando abstrahis
Flammæ voraci pabulum in nihilum perit
Ignis meantis impetus *Man.* Gravior micat
E nube fulgor. *Pet.* Causa par illum creat.
Si copiosus nube stringatur vapor,
Abit in trisulca fulmina, & terras ferit,
Rupesque frangit.
Man. Tanta vis igni est? *Pet.* Nihil
Impunè tangit. Arborum reges suâ
Radice vellit; montium rumpit juga,
Ferrum in favillam redigit, in cinerem domos,
Rigidumque marmor: ossa pervadit cute
Intaminatâ: carnibus parcit, face
Absumit ossa: vasa comburit merum
Sine vase in aurâ pendet: exhaurit merum,
Stant vacua vasa.
Man. Mira, quæ narras. *Pet.* Tamen
Probata sæpè. *Man* Pulchrior sensim dies
Se reddit orbi, siderum illustris chorus

Extinguit ignes, noxque discedens sinum
Retegit olympo.
Pet. Cura nos ergo vocat
Ad solita pensa Palladis. *Eph.* Sedes patet,
Monetque tempus.
Pet. Agite: quæ memori data
Mandanda menti, exprome. *Ep.* Quâ sese levent
In alta lege gravia, quâ mediis natent
Suspensa in auris.
Man. Cernere exemplum libet.
Eph. En ista moles quanta! versatur rotat
Se partem in omnem; verticem inclinat, levat
Se rursum in auras; nutat in dextrum latus,
Et in sinistrum; nec tamen centro excidit.

SCENA SECUNDA.

Alphonsus invisit scholam: audit, quæ à Petro doctus est filius. Negat sapienter omnia à Deo facta esse: repetitquè idem tibiâ offensâ.

Alphonsus. Manuel. Petrus. Rodericus.

Exploro Sobolis indolem. Et Regem juvat
Audire docta. Petre, quæ prodit meus
Indicia, Manuel ingeni? quantæ sinum
Capacitatis? quàm probæ mentis facem?
Pet. Aurora primæ ætatis augustum diem
Promittit olim: mentis est amplus sinus,
Æquè & sciendi cupidus. Auditum semel

Quod-

Quodcunque fuerit, marmori infixum putes,
Sic hæret animo: nec minor sequitur labor
Capacitatem; gustus illi unus, diem
Discendo fallere.

Al Regis afflicti unicum
Hoc est levamen, filius dignus patre,
Dignusque regno. Nullus est sceptri labor,
Vel facilis ille, quando bene culta indoles
Par est labori, Regiæ mentis placet
Facere periclum. *Ma.* Nulla, mi genitor, mora est.

Al. Quid ista primam machina, & medio puer
Puncto locatus denotat? *Ma.* Cùm sors rotat
Per tragica regnum damna, cùm sævit ferox
Fortuna, ad omnem sortis adversæ impetum
Animo eminere, & stare rationis jugo.

Al. Bene est. At istud artis exemplo doce.

Ma. Versa, reversa: verticem inclina. Vides,
Ut hinc & inde nutat, & constans tamen
Stat puncto in uno? Stare sic Regem decet.
Quando minantur omnia ruinam ultimam,
Stet puncto in uno.

Al Quod notas punctum? *Ma.* Deum.
Nullum Tonante fixa me..s casum pavet.

Al. Sit animus ipse regius fulcrum sibi.
Qui centro in isto sistit, ad nullam pavet
Sortis procellam. Quid globus circum ambitu
Redimitus aureô *Ma.* Tuta quo sedeat loco
Corona, monstra. *Al.* Tuta quo sedet loco?

Ma. Quo dimovere nullus impulsus potest.
Inverte molem: mitte. Subigendam putes
Motu coronam. Rursus everte. En pater,

Et

Et firma constat, & globo toto eminet.
Alph. Quod arte ab ista nate documentum capis?
Ma. Debere niti Numine coronas Ducum.
Alph. Quicunque mente spiritum excelsâ gerit
Sibi ipse magnum numen est. Istâ decet
Fundare frontis regiæ augustum jubar,
Sceptrumque populi regulam. Hæc absit, cadit
Nolente cœli regulâ, invito Deo,
Auctoritatis regiæ splendor, metus
Amorque populi, quidquid & Regem facit.
Mittamus ista. Nate, quis regna optimè
Princeps gubernat. *Ma.* Lege qui cœli regit,
Justè pièque. Sceptra, quæ metuunt Deum,
Diu vigebunt. nesciunt ævum Duces.
Quibus esse vilis Numinis cultus solet.
Al Quidcunque flectat astra, curarum ultima est.
Qui dicit orbi jura, qui terras regit,
Ipse sibi dura fata in obsequium trahat.
Invita cogere astra mens grandis potest.
Quid tunc agendum, quando decumanos ciet
Mavors tumultus? quando metuendos agit
Bellona fluctus? *Ma.* Bella fortunat Deus,
Idemque palmam versat alternâ vice.
Hic consulendus. Ille si mandat, venit
Ab hoste laurus: ille si prohibet cadit
Fortuna Martis. *Al.* Ille si prohibet, traham
Martem obsequentem. Petre quid aniles doces
Ad sceptra, natum fabulas? Istud doce
Virtute niti propriâ, proprio aliquid
Audere Marte, mente fundari arduâ,
Suoque genio. Cuncta qui adscribit Deo,

Est

Est vilis animus, sortis ignarus suæ.
Nihilnè possit pulchra scintilla ætheris,
Animusque plebe major? Hic sortem premit,
Quacunque parte turbines motos ciet;
Et servituti subjicit fati vices.
Abjectus hebetem, celsus invictum facit.
Talia parentis Regis hæredem doce.
Est vis in animo, multus est mentis vigor
Ætate in istâ, & dignus imperio calor.
Pet. In quàm malignos venimus secli dies!
Al. O pestis Erebi! tibia ostensa est. Vide.
An vulnus aliquod hiet, an assurgat tumor.
Equidem creanti sidera, & terras Deo
Ego si adstitissem, multa meliori modo
Condita stetissent. Tibiam decuit tegi
Obstante surâ. *Ro.* Magne Rex, nihil est mali.
Al. Sic est: creassem plura melius, quàm
Deus.

Scena Tertia.

Petrus ex blasphemia malè ominatur Alphonso.

Petrus. Manuel.

Ad quos tyrannos venimus? quodnam solum?
Quæ regna? quasnam barbaræ gentis plagas?
Quod clima mundi incolimus? O regna impia,
Blasphema, cœlo invisa, Lethæo satu
Enata regna! digna Lethæis caput

Attende: dextrâ parte tu observa: mone,
Si se propinquo portet in silvam gradu.

Saltus Venatorum.

Ven. 4. Adest: silete. *Ven.* 3. Dente distractum vo- (re;
Aut ursus atrox, aut ferus rictu leo.
Rod. Ubi Rex? *Ven.* 1. Propinqua in lustra socio-
rum manum
Traxit sequentem. *Rod.* Visus ingentem sequi
Venabulo aprum, nemoris abstrusi avijs
Se mersit umbris: dumque praeeuntem sequor,
Oculos repentè ludit, & solum cavis
Deserit in umbris. Ite quà saltus patent,
Quà scabra surgunt culminum, & valles hiant,
Regem sequamur, præda ne forsan suæ
Prædæ ipse fiat. *Ven.* 1. Siste: quod monstrum
specu
Se prodit antro? *Rod.* Tu retro tergus preme;
Meumque trepidam belluam in ferrum incita.
Elph Magnanime Princeps.
Rod. Vocis humanæ est sonus.
Elph Audi precantis verba.
Rod Quid petis? *Elph* Alloqui.
Rod. Quem? *Elph.* Te. *Rod* Quis es?
Elph. Silere cupientem rogas. (metus.
Rod. Fare. *Elph.* Cupientem proloqui enervat
Rod. Assurge: nil verere. *Elph.* Quod dici jubes,
Siluisse cupies. *Rod.* Qui jubet dici, parat
Audire dicta. *Elph.* Sæpè sed pœnam luunt
Expressa verba. *Rod* Placidus eloquium audiam.
Elph. O quisquis aulam sequeris, & Regi fre-
Obsequia præstas, fata Castellæ aspice, (quens

Stri-

Strictoquo cœli fulmini scutum objice.
Rod Quidquamne possim?
Elph Plurimum. *Rod* Obniti Deo?
Elph Dei jubentis obsequi imperio. *Rod.* Refer.
Quid ille mandat? *Elph.* Scelera jam incessant polum,
Et expeditas Numen in flammas vocant.
Rod. An scelera populi? *E ph.* Regis. Hic menti dies
Restituat illum, parta medicina est malo,
Auramque rursus astra meliorem dabunt.
Si pertinacem crimina in seriem trahat,
Idem hic Tonantem coget in pœnam dies.
Rod. Qua tripode promis ista?
Elph. Quâ loquitur Deus.
Rod. Quàm facilè credit somnia hoc hominum genus!
Age hic quietos, incola antrorum, dies;
Quid moliatur aula, quid Reges agant,
Curare mitte. Si minus credas tibi,
Magis quietos exiges sylvis dies.
Quod turbat animum, fictio est mentis. Vale.
Vos ite mecum, quærite errantem Ducem.
Elph. Sic aula ludit serios sensus poli,
Superumque monita. Spernimur: sed non Deus
Elphege, in urbem concita festum gradum,
Ibi parata tela communi prece
Averte capite Regis, aut iram excipe
Tuo ipse capite. Summa hic poscit rei.

CHORUS.

Docet vindictam divinam severiore pœnâ abstinere, cùm potest sceleribus frænum injicere.

Nemesis, sub schemate Dianæ. Attributa Dei, & Virtutes. Theodynamis. Theosophia. Euphrosyna Theophobia Eromena. Alphenus Faunus.

Nemes. Adsum Nemesis, toties precibus
Lassata tuis. ô Theodynami,
Totiesque tuis, ô Theosophia:
Parcite lentæ. claudos jubeor
Tardare gradus; nec præcipitem
Nimis in fulmen laxare manum.
Ira Tonantèm suspensa decet
Lentusque furor. Qui citò plectit,
Amente parum distat. *Theo.* Sed qui
Prohibere potest, patiturque tamen
Regna everti scelerum peste,
Peccante parum distat. Namque
Impune scelus cumulat scelera.
Theos. Si tu pateris devota Deo
Regna everti; quis prohibebit?
Quæcunque micat spes bona rerum,
Succisa cadet. *Nem.* Mitte querelas,
Turba Dearum. Venio immane
Vetitura scelus; sed non tortâ
Fulminis irâ. *Euphr.* Sic ergò ibit
Impune scelus, quo populatur;

Ne-

Nemora Alphenus. *Nem.* Non, non ibit
Cùm pono manu fulmina, jura
Mihi sylvarum vendico. Nemesis
Exuo vultum; tota Dianam
Induo amictu. Quid me petitis?
Theod. Ultrice manu fulmina mitti.
Nem. In quem *Theo* Cœca es? non vidisti,
Quæ cuncta vides crimina mundi,
Non vidisti tibi charorum
Vulnera nemorum, nostrumque probrum?
Nem. Etsi videam, non vidisse
Simulo tacitâ sed mente noto.
Erom. Cadit interea gloria nemorum
Scelere Alpheni. *Nem.* Pœna parata est.
Non quâ perimam, sed quâ emendem
Eu. Nempe docebis bâlare lupum,
Ridere tigrin *Nem* Precium grande est
Sanguinis. Absit fundere; quando
Servare potes, totumque tamen
Tollere crimen. Non ego perimam;
Sed frenabo. Cingite silvam
Cassibus; omnem prohibete viam:
Istâ tantùm pateat parte
Semita eunti. *The* Studium sociæ
Urgete Deæ: huc jungite casses.
Erom. Istâ irrita tu parte feram,
Reliquæ fidis lateant umbris,
Donec ab antris sese in apertum
Proferat hircus, latro silvarum.
The. Bestia capripes: caput hircinum?
Homo caprinus: nec capra, nec homo?

Al Hæc probra inultus ferat Alphenus?
Quin ego? *Th.* Quid tu? *Al.* Caput infringâ.
Th. Cornibus hirci, quæ fronte geris.
Decoque vanum stulte furorem.
Ne. Scelerate latro. *Al* Quod mihi fulmen
Percúlit aures? *Ne.* Tempus in iras
Monet: insidias aperite Deæ.
Th. Hirce graveolens! *Al* Quæ me insidiæ
Undique cingunt? nec patet ullâ
Parte effugium. *Eu.* Larvate caper,
Putride cucumis. *Al.* Non sum nocuus;
Non sum, qualem creditis esse,
Ferus, immitis, sævus & atrox.
Non sum nocuus. *Eu.* Tu scelerate.
Non Theosophiæ sœpe illudis?
Al. Quodnam scelus est ludere? Lusum
Excipe lusu. *Th* Non Theodynamin
Sœpe irrides? *Al* Ridere scelus
Sanguine dignum est? *Th.* Non & regno
Sœpe laboras nos ejicere?
Al. Nondum ejeci. Quid vero nocet
Niti in cassum? *Era* Non ne Theotimam
Modò crudeli fuste petebas?
Al Estis placidæ nemorum Divæ!
Nem. Sed tu ferus es nemorum latro.
Al O Diva, tace: tu sola metu
Animum enervas. *Ne.* Jam diu tacitum est.
Tempus in æquas hoc vocat iras.
Al. O Diva, sile: quidquid posces,
Dabit Alphenus. *Ne* Dabis & vitam.
Al. Mitte furorem, Magnos animos

San-

Sanguinis expers vindicta decet.
Ne. Ergo capistrum hoc indue *Al* Dura
Lex metuenti sed subeunda.
Eu Ponere sævum crude tyranne
Disce furorem. *Ne.* Disce benignam
Nemesis dextram. Sternere potuit,
Maluit ori imponere frenum.
Quando tolerant crimina frenum,
Parca Severas exigo pœnas,
Fulmenque manu vindice pono.
Th. Frenum excussit. Superi! fugit.
Ne. Currite Divæ, parteque ab omni
Obvia tendite tela scelesto.

ACTVS II.

Scena Prima.

Petrus Manuelem Regis filium suæ cura commissum, instituit.

Patrus. Manuel. Ephœbus.

[M]anuel, paternæ stirpis augustum decus,
[C]olumenque regni, prime flos generis tui
[F]ecunde quondam fructibus, clari recens
[A]urora Solis; quam facis magno patri
[S]pem sceptra quondam & regna flectendi, pari
[i]ndustriâ æquâ. Magna consilia impiger

Labor juventæ gignit. A vernâ fluit
Ætate virtus omnis Auroram dies
Purus serenam sequitur. Hac eunt senes,
Quà cœpit ætas prima.
Man. Quà pandit viam
Sapiens Magister. Nemo se solo mali
Declinat ansam: quisque præeuntis viam
Tenet Magistri. *Pet.* Semita in dubiâ duce
Opus est; perito. *Man.* Sorte me hac faustum reor,
Quòd mihi favore Numinis talis datus
Vitæ institutor. *Pet.* Atra nox tenebris diem
Non dum explicavit; pulchra suspensis micant
Sidera per axem flammulis. Genium indolem,
Nomen situmque siderum, & cursum refer.
Man. Hac it Bootes, & pigro secum gradu
Septem gubernat Arcades. *Pet.* Quali influit
Fax illa genio? *Man.* Frigido, & terras gelu,
Glacieque fluvios induit. *Pet.* Causam nota.
Man. Procul remotam solis ardente à face
Tenet Bootes semitam. *Pet.* Sed quâ viâ
Lentus vagatur? *Man.* Stella, quæ tangit polum,
Est ursa; ponè sequitur Arctophylax. Brevis
Est cursus illi, sed piger. Quanto dies
Spacio per omnes ætheris campos meat,
Tanto ursa circùm vertitur punctum poli,
Pet. Redde rationem.
Man. Nescio. *Pet.* Rotam aspice.
Nonne axis iste circulo est toto minor?
Man. Minor est.
Pet. Tamen rotantis ad motum, suum

Non antè cursum peragit, quàm peragat rota.
Quo sphœrica magis corpora à centro fluunt
Moventur hoc velociùs.
Man. Quæ fax polo
Cadit sereno? *Pet.* Sidus hoc fortè æstimas?
Man. Par flamma certè est sideri.
Pet. Non est tamen
Man Quis ignis ergò? En alterum Sidus ruit.
Pet. Est fatuus ignis. Quando sublato ambiens,
Pugnat calori frigus, & circùm obsidet,
Arctatus in se accenditur: tum quà trahit
Linea vaporem, sequitur; ut flammam vides
Sparsum volare per nitrum: quando abstrahis
Flammæ voraci pabulum, in nihilum perit
Ignis meantis impetus *Man.* Gravior micat
E nube fulgor. *Pet.* Causa par illum creat.
Si copiosus nube stringatur vapor,
Abit in trisulca fulmina, & terras ferit,
Rupesque frangit.
Man. Tanta vis igni est? *Pet.* Nihil
Impunè tangit. Arborum reges suâ
Radice vellit; montium rumpit juga,
Ferrum in favillam redigit, in cinerem domos,
Rigidumque marmor: ossa pervadit cute
Intaminatâ: carnibus parcit, face
Absumit ossa: vasa comburit merum
Sine vase in aurâ pendet: exhaurit merum,
Stant vacua vasa.
Man. Mira, quæ narras. *Pet.* Tamen
Probata sæpè. *Man* Pulchrior sensim dies
Se reddit orbi, siderum illustris chorus

Extinguit ignes,noxque discedens sinum
Retegit olympo.
Pet. Cura nos ergo vocat
Ad solita pensa Palladis. *Eph.* Sedes patet,
Monetque tempus.
Pet. Agite: quæ memori data
Mandanda menti,exprome. *Ep* Quâ sese levent
In alta lege gravia,quâ mediis natent
Suspensa in auris.
Man. Cernere exemplum libet.
Eph. En ista moles quanta! versatur rotat
Se partem in omnem;verticem inclinat,levat
Se rursum in auras;nutat in dextrum latus,
Et in sinistrum;nec tamen centro excidit.

SCENA SECUNDA.

Alphonsus invisit scholam: audit, quæ à Petro doctus est filius. Negat sapienter omnia à Deo facta esse: repetitquè idem tibiâ offensâ.

Alphonsus, Manuel, Petrus, Rodericus.

Exploro Sobolis indolem. Et Regem juvat
Audire docta. Petre, quæ prodit meus
Indicia, Manuel ingeni? quantæ sinum
Capacitatis? quàm probæ mentis facem?
Pet. Aurora primæ ætatis augustum diem
Promittit olim: mentis est amplus sinus,
Æquè & sciendi cupidus. Auditum semel

Quod-

Quodcunque fuerit, marmori infixum putes,
Sic hæret animo: nec minor sequitur labor
Capacitatem; gustus illi unus, diem
Discendo fallere.
Al. Regis afflicti unicum
Hoc est levamen, filius dignus patre,
Dignusque regno. Nullus est sceptri labor,
Vel facilis ille, quando bene culta indoles
Par est labori, Regiæ mentis placet
Facere periclum. *Ma.* Nulla, mi genitor, mora est.
Al. Quid ista primam machina, & medio puer
Puncto locatus denotat? *Ma.* Cùm sors rotat
Per tragica regnum damna, cùm sævit ferox
Fortuna, ad omnem sortis adversæ impetum
Animo eminere, & stare rationis jugo.
Al. Bene est. At istud artis exemplo doce.
Ma. Versa, reversa: verticem inclina. Vides,
Ut hinc & inde nutat, & constans tamen
Stat puncto in uno? Stare sic Regem decet.
Quando minantur omnia ruinam ultimam,
Stet puncto in uno.
Al. Quod notas punctum? *Ma.* Deum.
Nullum Tonante nixa mens casum pavet.
Al. Sit animus ipse regius fulcrum sibi.
Qui centro in isto sistit, ad nullam pavet
Sortis procellam. Quid globus circùm ambitu
Redimitus aureo? *Ma.* Tuta quo sedeat loco
Corona, monstra. *Al.* Tuta quo sedet loco?
Ma. Quo dimovere nullus impulsus potest.
Inverte molem: mitte. Subigendam putes
Motu coronam. Rursus everte. En pater,

Et

Et firma constat, & globo toto eminet.
Alph. Quod arte ab ista nate documentum capis?
Ma. Debere niti Numine coronas Ducum.
Alph. Quicunque mente spiritum excelsâ gerit
Sibi ipse magnum numen est. Istâ decet
Fundare frontis regiæ augustum jubar,
Sceptrumque populi regulam. Hæc absit, cadit
Nolente cœli regulâ, invito Deo,
Auctoritatis regiæ splendor, metus
Amorque populi, quidquid & Regem facit.
Mittamus ista. Nate, quis regna optimè
Princeps gubernat. *Ma.* Lege qui cœli regit,
Justè pieque. Sceptra, quæ metuunt Deum,
Diu vigebunt. nesciunt ævum Duces,
Quibus esse vilis Numinis cultus solet.
Al Quidcunque flectat astra, curarum ultima est,
Qui dicit orbi jura, qui terras regit,
Ipse sibi dura fata in obsequium trahat.
Invita cogere astra mens grandis potest.
Quid tunc agendum, quando decumanos ciet
Mavors tumultus? quando metuendos agit
Bellona fluctus? *Ma.* Bella fortunat Deus,
Idemque palmam versat alternâ vice.
Hic consulendus, Ille si mandat, venit
Ab hoste laurus: ille si prohibet cadit
Fortuna Martis. *Al.* Ille si prohibet, traham
Martem obsequentem. Petre quid aniles doces
Ad sceptra, natum fabulas? Istud doce
Virtute niti propriâ, proprio aliquid
Audere Marte, mente fundari arduâ,
Suoque genio. Cuncta qui adscribit Deo,
Est

Est vilis animus, sortis ignarus suæ.
Nihilnè possit pulchra scintilla ætheris,
Animusque plebe major? Hic sortem premit,
Quacunque parte turbines motos ciet;
Et servituti subjicit fati vices.
Abjectus hebetem, celsus invictum facit.
Talia parentis Regis hæredem doce.
Est vis in animo, multus est mentis vigor
Ætate in istâ, & dignus imperio calor.
Pet. In quàm malignos venimus fecli dies!
Al. O pestis Erebi! tibia ostensa est. Vide.
An vulnus aliquod hiet, an assurgat tumor.
Equidem creanti sidera, & terras Deo
Ego si adstitissem, multa meliori modo
Condita stetissent. Tibiam decuit tegi
Obstante surâ. *Ro.* Magne Rex, nihil est mali.
Al. Sic est: creassem plura melius, quàm
DEUS.

Scena Tertia.

Petrus ex blasphemia malè ominatur Alphonso.

Petrus. Manuel.

Ad quos tyrannos venimus? quodnam solum?
Quæ regna? quasnam barbaræ gentis plagas?
Quod clima mundi incolimus? O regna impia,
Blasphema, cœlo invisa, Lethæo satu
Enata regna! digna Lethæis caput

Sepelire in umbris! Vivimus? In ultus Deus
Patiensque toleras ista? nec flammis pluis?
Nec fulmen urges? nec sinu evolvis maris
Omnem procellam, nosq; cum regno opprimis?
Nec terra hiatus pandit, aut ruptum solum
Cum Rege regnum absorbet? O Manuel patre
Meliore digne! sanguinem quamvis trahas
A patre, tantum trahere sed nefas cave.
Væ! væ! impiato pectori, quod se diu
Felice jactat scelere; quod tacita poli
Impunè transit ira! Si lento venit
Pede pœna; tandem Nemesis impellit gradum,
Certumque librat ultor à tergo Deus
Ictum in scelestos. Fulmen ad tempus silet,
At tandem acutà loquitur elisum face.
Si tamen & alia mitius tolerat Deus,
Scelus arrogantis pectoris graviùs ferit.
O nate, patre sanctior, quantum tui
Me cura tangit! *Ma.* Ne patris mores traham?
Pe. Exempla patrum pondus in soboles habent.
Fluere parentum crimina in natos solent.
Ma. Ne metue Petre: major hanc mentem Dei
Timor coërcet. Sanguinem in natum pater
Transfudit; at non impiæ nato ingeret
Vitæ tenorem. Mente stat fixum, prius
Per mille mortes ire, per ferri minas,
Ignisque flammas, scelere quam indigno ream
Mentem inquinare.
Pe. Manuel, ô quantum mihi
Solamen addis! Quidquid in mitem Deum
Violentus ore peccat incesto pater,

Pen

Pensabis olim. Vive, quo vivis modo.

SCENA QUARTA.

Elphegus Civibus denunciat horam supremam Regis, hortaturque ut per eos moneatur Rex ad resipiscendum.

Elphegus Cives.

Jussu Tonantis, rupis excitus cavo,
Peregrinus Urbem subeo. Sed Regis lares
Subire decuit Decuit: at vultu Ducum
Arcemur umbra vilior. Regem jubent
Superi moneri, Præstet hoc terri incola
Incultus antri, an civis; id refert parem.
Quin monita multâ civium à turbâ trahent
Immane pondus. Hora suprema imminet
Castella! Cives, hora suprema imminet:
Audite cives: hora suprema imminet:
Ci. 1 Quæ fata nobis tristis occentor canis?
El Funesta, dira, proxima, imminentia,
Suspensa ad horam perbrevem; irato polo
Decreta. *Ci.* 2 Post tot pestis invisæ lue
Corpora sepulta? post tot aggestas strues
Olentium cadaverum, superest adhuc
Pejus priore clade, quod clades sequens
Eripiat urbi? *Ci.* 1 Fare; quod malum imminet?
El. Immane, crudum, flebile, execrabile.
Ci. 1. Dilatione pectora excrucias: refer,
Quæ tragica tandem fata nos miseros manent?

El. Vox fauci adheret, verba consumit dolor.
Ci. 1. Resume mentem; quod Deus fatum tonat,
Prompti feremus. *El.* Dira, quæ cœlum mihi
Dedit videnda! dira, quæ cecinit mihi
Aliger ab astris missus. *Ci. 1.* Et species viri,
Cultusque vitæ incultus & frontis rigor,
Habitusque vilis facilè persuadent, Deo
Docente scire abscondita.
Ci. 2. At quid sit, refer.
Cuinam flagello destinat cives Deus?
El. Miseretur omnium: unicum in pœnas vocat.
Regi statutus ultimus vitæ dies
Hic ipse. *Ci. 1.* In aulam pestis irrumpet lues?
Et capita quæ jam civium imminuit, malo
Non abstinebit, donec & Regem opprimat?
El. Premit hæc minora capita: majori Duci
Gravius ab axe fulmen intentat Deus
Ci. 1. peribit ergò? *El.* Nisi suum eradat scelus.
In vos severa detonat cœli manus;
Sed scelera Regis luitis. In cives fluunt
Supplicia Regi debita: at certam quoque
Feret ipse pœnam. Si tamen resipit, Deus
Et pestem ab Urbe, & fulmen à Rege amovet,
Ut mitis ante nunciat pœnam & minis
Mutare mentem poscit; ita justus quoque
In pertinacem fulmine eliso tonat.
Quisquamne tantum pectore vigorem gerit,
Regis ut ad aures portet imperium Dei?
Ci. 2. A Cive Rex monendus est?
El. Cives pii
Hoc agite, si vos Regis & regni salus,

Vestrique tangit. *Civ.* 1. Ibimus, nam quid vetat
Aulam subire? *Elph.* Publicum hoc urbis bonum
Cardine rotatur. Audiet? pestem amovet
A cive; capite fulmen avertit suo.
Non audiet? pestem auget, & vorax malum,
Rigidumque proprium in verticem fulmen tra-
Una medicina duplici adhibetur malo. (hit.
Sic ite cives: publicæ exitium rei,
Regisque poscit. annuet cœptis Deus.
Ego relictos nemoris umbrosi lares,
Antrumque amatum repeto. - -

SCENA QUINTA.

Cives dubitant, an vi, an precibus Regem aggrediantur.

Cives.

Civ. 1. - - Nos verò decet
Librare mente, quâ viâ errantem juvet
Revocare Regem; vine & armatis minis?
An obsecrando? *Civ* 2 Nulla vis civi potest
Tuta satis esse. Pectoris marmor prece
Mollire præstat. Est suus miti locus
Orationi, robur est precibus suum.
Adde: obstinata vulnera immiti manu
Tractanda non sunt. Facilè distringi potest
In arma dextra; facilè sed frangi quoque.
Ambigua semper alea est Martis. Quid est,
Quod Marte petimus? Regis evelli scelus,
Servare Regem. Totus hic cardo rei est,
Neutrum per arma evincimus. Regum ferox

Animus ferocit civium assultu magis,
Et impotentem sumit à fluctu impetum
In sensa mentis propria. Si rigidus fuit,
Magis obrigescit· Dêinde quis Regem, furor
Ubi intumescit, servet? Insana ruit
Plebs omnis ira, nec capit modum calor.
Precibus agendum censeo. Hoc civem decet.
Hoc Regis urget dignitas.
Civ.3. Nunquam vacat
Discrimine æstus civium. Sumptis semel
Rex cedet armis: longa sed trahitur mali
Catena nostri. Tempori aptabit fidem,
Sed tacitum in imis toxicum fibris alet.
Erumpet istud, quando metuemus minus;
Nec providentes opprimet. Vulnus grave
Tegit cicatrix sæpè, non sanat: Furor
Regum abit in annos; tuncq; vindictam evocat,
Cùm prima flammæ occasio locum facit.
Simulare prima est indoles Regum. Undique
Seu vincat ira nostra, seu vincat Ducis,
Discrimen urget. Mollior cauto via
Tenenda civi est.
Civ. 4. Flectere immitem grave est.
Periculosum frangere.
Civ. 1. At si non sinant
Se dura flecti corda, quid agendum est super?
Ci.4. Media tenenda est semita: & minæ & preces
Saxo applicandæ. Si preces locum obtinent,
Minæ cavendæ: Si locus non sit preci, (mora
Minæ admovendæ. *Civ*. 1. Longa non superest
Nec scelera tolerant tempus: hæc debet dies
Regi salutem, Civibus vitam dare.
CHO-

CHORVS.

Docet vindictam de cœlo per hominum scelera violenter trahi.

Blasphemia. Arrogantia. Vindicta. Genius. Pertinacia.

Bl. Ar. Scelus ad summum pertigit apicem:
Vindicta veni, Sua cujusque
Crimina funes sibi contexunt;
Quibus in terras sæva Tonantis
Ira trahatur. Vindicta veni.
Vind. Venio Nemesis: sed violentis,
Testor Superos, tracta catenis.
Quis me cœlo trahit invitam?
Pressâque irâ grande volentem
Transire scelus rapit in terras?
Blasph. Ego blasphemâ docui voce
Violare polos. *Arr.* Ego deliri
Cæca tumoris documenta dedi.
Vtraque. Ille magistram vincit utramque.
Gen. Audio, sed quid, nescio. Tacitus
Terror in imum penetrat pectus,
Mentemq; gelat. *Vin.* Conscia sibi mens
Pavida est semper. *Per.* Nate quid hores?
Vilior animus timeat Superos:
Tu ipsos Superos terrere potes.
Gen. Audio quiddam dirum, insolitum,
Terribile, atrox! *Pert.* Non, non audis,
Nate, huc aurem. Ne tibi cœli
Murmur ad imum penetret pectus,

Bom

Bombyce aurem claudo utramque.

Bl. Ar. Vindicta veni! scelus in summo est.

Gen. Nihil auditum jam mihi turbat.
Sed tamen oculos plurima terrent.
Video, video; trepidatque animus.

Pert. Quid nate vides? *Gen.* Pavor instantis
Fati exanimat. *Pert.* Verte huc oculos,
Ne vel crebri fulguris ignes,
Vel monstra oculos tibi confundant,
Prætendo peplum. *Bl. Ar.* Quid Diva
Languida nectis, fulmenq; vetas (moras
Ire volante in crimina pennâ?

Gen. Nihil auditum, nihil aspectum
Amplius urget larvâ horroris.

Bl. Ar. Vindicta veni! scelus in summo est.

Gen. Nihil auditum jam mihi terret:
Nihil aspectum jam mihi turbat.

Bl. Ar. Satis est. Ego me subtraho scenæ,
Suadere nefas operæ nostræ est.
Cùm justa venit pœna, severum
Ferat ille flagrum, qui scelus egit.

Gen. Libet ire viâ, quâ semel ire
Cœpimus. *Vin.* Adsum. Jam nihil audit,
Adsum. Frustrà est clamor in aures.
Adsum. Frustrà est. Exero flagrum
Tergusque ictu verbero *Gen.* Quis mî
Terga flagellat? *Vind.* Perfide Superis,
Invise Deo! *Gen* Desine, quisquis
Mihi terga feris. Desine, satis est.

Vind. Nondum satis est, donec ademptum
Numini honorem crudè reponas.

Gen.

Gen. Desine, satis est. *Vind* Nondum satis est.
Sic ego moneo, sic ego flagris
Increpo mentem. Discite tumidos
Animos pœnæ frenare metu,
Si corda metus non satis arcto
Limite stringat, venio rursum, &
Scelus extremo fulmine perdo.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Alphonsus ex Roderico intelligit in populo conciri rebellionem: cujus componendæ onus suscipit Rodericus.

Alphonsus. Rodericus.

Quid ais? timenda plebis incensæ manus?
Magis timenda Regis irati est manus,
Rod. Manus imperantum populus est. Quidquid
Reges, per ipsas Civium vires valent. (valent
Al. Est umbra Regis, quem facit fortem suas
Civis. *Rod.* Jacere neminem tantum puta,
Quin, si furore exæstuet, in ipsos queat,
Pejora Reges. *Al.* Non amant? metuant suum
Regem scelesti. *Rod.* O Rex, metus non est bonus
Regni minister. *Al* Sed bonos cives facit.
Rod Etiam timendos Regibus. *Al.* Quibus tepet
In corde sanguis. *Rod.* Et quibus nimium calet.
Nec vilis hominis ira spernenda est. Jacet

Quan-

Quandoque sceptro oppressa, sed tandem timor
Diuturnus animos addit, & cæcam rapit
In arma turmam.
Alph. At undè? quæ nostrum caput
Procella poscit? *Rod.* Ira communis ducem
Non patitur: unus impetus cunctos rapit.
Al. Primum furoris prode communis caput.
Rod. Ubi quisque primus, nemo non primus fuit.
Sæpè sine capite plebs simul ferrum rapit,
Simulque sævit. *Al.* Ergò per cunctos ruam,
Promiscuoque funere extinguam malum.
Rod. Malè ferrum & ignes admoves, quandò ma-(lum
Lenem medelam postulat. Plebis furor
Gravior in iras surgit, ubi ferrum objicis;
Benignitate vincitur. *Al.* Non est meum
Precariò imperare. *Rod.* Sed Rex, hoc tuum est.
Cives habere, ut imperes. *Al.* Etiam meum est,
Demetere capita, quæ pati imperium abnuunt
Regem. - - Quid æris iste concussi sonus?
Rod. O Rex, procellam turbo vicinam impulit.
Nunc. Alphonse, capiti consule: in ferrum ruit
Popularis unda; Consul ardentem præit
Turbam, Senatus æstuat, vulgus fremit,
Furor it per urbis compita. In Regis caput
Hic turbo fervet. *Al.* Fervet in Regis caput?
Sine me furorem solus in medium ruam,
Feriamque capita sontium, aut insons cadam.
Rod. Cave, ô, furori regiũ obtendas caput. (fides.
Al. Sine me. *Rod.* Ministri prohibet hoc constans
Al. Perimam nocentes. *Rod.* Ipse non nocens ca-
Al. Sine me perire. *Ro.* Cede tantisper malo: (des.
Ce-

Cedendo franges. *Al.* Regium hoc magis puta,
Frangere cadendo. *Ro.* Si quid Augusto fides
Probata, si quid merita Roderici valent,
Subtrahe furori plebis invictum caput.
Al. Quis sistet ignem? quis rebellantûm manu
Excutiet arma? *Ro:* Mitte Rex curas; ego,
Ego incitatas leniam plebis minas:
Nec ante sacrum Regis attinget caput,
Quàm nostra se per pectora enervet furor.
Al. Frenemus iram: plebis emotæ impetum
Tu siste. At altra juro.
Rod. Se turbo huc rotat.
Occurro inermis. - -

Scena Secunda.

Componitur à Roderico tumultus populi.

Rodericus. Consul. Tribunus plebis.

- - Talis hoc limen subis? (jubet,
Hanc Consul aulam? *Con.* Tempus id præsens
Pietasque civi debita. *Rod.* Sed hoc non jubet
Jurata pietas, & sacramento fides
Promissi Regi. *Con.* Quando Rex cœlo fidem
Frangit, meretur civium frangi fidem.
Trib. Insiste cœptis Consul: accensum mora
Placat furorem. *Rod.* Siste: Pietati dabo,
Quodcunque poscit. Sana non suadet furor.
Remittite arma. Vultis hoc pelagus pio
Transire remo? *Trib.* Civium sistet salus,
Et vita populi. *Rod.* Stabit hoc pacto mei
Sancio cruoris. Consulem sit fas mihi

So-

Solum alloquendi. quidquid est voti, feres.
Con. Abscede modicum. *Ro.* Consul armatã ma-
Video tuorum civium; at nondum tamen (num
Causam furoris video. Nil humile arbitror
Quidcunque fit quod dextris ferrum ingerit,
Con. Vides ruentem patriam, atque urbis statum
Miserè cadentem, quæque violentum imprimit
Animis dolorem, fata misceri, rapi
Juvenes, senesque, filios mœsto patri,
Mœstumque patrem filijs: causam tamen
Nostri doloris postulas? *Rod.* Quisnam Deo
Statuere leges possit? Arbitrio vices
Mundi hic gubernat: jam salutifero solum
Amica cœli sidera influxu beant:
Jam gravis, & ater incubat mundo vapor.
Sed & meremur siderum invisas faces
Per nostra scelera.
Conf. Non grave est unquam pati,
Quod quis meretur scelere supplicium suo
Sed scelera Regis populus immeritus luit.
Rod. Regis? quis ista finxit? Est justus Deus,
Rigidus nocenti, mitis innocuo pater.
Conf. Sed justus idem ac mitis, in populo expiat
Delicta Regum. *Rod.* Labe si populus caret,
Deus minace fulmine in populum abstinet.
Conf. A Rege culpa ducta sceleratum facit
Populum. *Rod.* Tonantis æquitas istud vetat.
Quod quisque peccat, hoc luit.
Conf. Verum est: reum
Supplicia poscunt; est tamen Regis sui
Pars magna populus. Indè cùm Regum Deus

Delicta punit, magna pars pœnæ cadit
In non nocentes. *Rod* Culpa si Regis facit
Civem nocentem; culpa, quam civis patrat
Civem innocentem faciet? *Conf.* At saltē minus
Faciet nocentem. *Rod* Nemo sine culpa gravi
Arma violenta Regis in vitam tulit.
Conf. Regia potestas, est potestatis Dei
Pars aliqua. Desinit esse Rex, qui non regit
Populum Tonantis lege. Si hoc nomen cadit,
Jam vindicandi jura me stringunt.
Rod. Dei est
Statuere Reges: tollere, hoc quoque est Dei.
Conf Quandoque Reges Numen expungi sinit.
Rod. Ut reliqua scelera, quæ tamen & idem ve-
Conf. Ergò feremus impij Regis jugum? (tat.
Abi: statutum est: ibit in Regem furor,
Quo stante sexus omnis ac ætas ruit.
Rod. Meliora Consul. Causa si constet, nihil
Cœpta remorabor: causa dum nondum patet,
Cautiùs agendum est. *Conf.* Ore veridico Deus
Edixit ista: *Populus immeritus luit*
Delicta Regis. Ista testatus palam
Incola propinquæ rupis Elphegus, cui
Arcana sæpè pandit è cœlo Deus.
Rod. Adverto fraudem. Consul, excelsæ tene
Mentis tribunal: pondera & dicta & virum.
Quæ somniavit dormiens, vigilans putat
Decreta cœli. Durus hic morum vigor,
Hæc silvicultrix vita plerumque objacet
Illusioni. Demus haud modicum notæ
Prudentis animi, levia si credis. Tamen

Fac

SCENA TERTIA.

Intelligit Rex incentorem tumultûs esse Anachoretam, quē jubet carceri mancipari.

Rodericus. Alphonsus.

Quàm sæva populus bellua, atq; audax fera est!
Quæ cum furori fræna laxaverit semel,
Ægrê domatur. Multiceps hydræ genus
Vice rationis impetus primos habet,
Sequiturque: qualis fluctus in fluctum ruit
Agente Boreâ. Sidit aliquantum calor:
Sed prima vis repressa vim sæpè alteram,
Et sæviorem concitat. Cardo strepit.
Al. Roderice fluctus concidit? vel res loco
Periculoso vertitur? *Rod.* Non est levis
Procella, populus asper, atque iræ impetu
Exasperatus. Sed tamen mentis furor
Remittit æstus. At nihil tutum puta:
Brevis hora mentem mutat, & veterem coit
Ira in procellam. Causa tollenda est mali,
Incendiumque pabulo abstracto cadet.
Al. Quæ causa flammæ?
Rod. Si jubes, dicam. *Al.* Volo.
Jubeoque. *Rod.* Vano tota tempestas furit
Errore nixa; culpa vel tota est tua.
Al. Mea culpa tanti sceleris?
Rod. Hoc velum impiæ
Audaciæ prætenditur. Regis scelus
Se lucre populus autumat. Quòd se ferox

Libitina jactet; quod simul cadant patres,
Patribusque juncti filij, & pueris senes,
Crebræque circum funera exequiæ gemant,
Tuis sceleribus imputant. *Al.* Cur non Deo?
Quod gemimus, ipse patrat; atq; hominum ne-
Videre gaudet. Ille consilio suo (ces
Mundum gubernat: quamlibet, si res meo
Placito ageretur, multa meliori darem
Fluere meatu. Fateor, hoc vulnus grave est,
Quòd luctu in ipso luctus oriatur novus,
Alterque trudat alterum. Sed quis jubet?
Quis inquietat publicum cursum rei?
Si præsidendi rebus humanis mihi
Esset potestas, meliùs & terræ vices,
Et astra regerem. Sed quis Alphonsum facit
Reum? quis imputare Regi audet scelus?
Rod. Fortuna nullum sede tam celsâ locat,
Quò non sinistra plebis inveniant viam
Judicia. vilis nemoris abstrusi incola
Elphegus, actus mente non sanâ (licet
Pietate fors majore) per medios choros
Plebisque, civiumque raptus, sic ait:
Delicta Regis populus immeritus luit.
Hinc ille turbo concitus ferro sacrum
Regis petebat verticem. *Al.* Elphegus? ferax
Pestis malorum! Elphegus? O fallax Sinon!
Annosa vulpes! rigidus hoc vitæ tenor!
Hoc ficta pietas? hoc supercilij gravis
Agitabat arcus? Crede jam fronti piæ,
Vitæ rigori crede, qui tantos coquit
Movetque fluctus. Juro per regnum meum,

Non

Non antè Phœbus iste in occasum ruet,
Quàm pestis illa victima inferno cadat.
Roderice nemoris antra, & umbrosos lares,
Omniaque latè lustra perquiri jube.
Scelusque ab antro, carceris ad antrum trahi.
Cui lingua nimis est libera, catenas ferat.

SCENA QUARTA.

Elphegus in sua eremo Deum pro Rege deprecatur.

Elphegus.

Castella, regnum nuper augustum, modò
Vix larva regni! Strage jam latè editâ,
Cadaverumque strue, nihil tui amplius
In te reperio. Cecidit antiquum decus
Et forma regni: vasta successit lues
Chaosque rerum! sed quod in pectus fluit,
Et dente acuto viscerum fibras vorat,
Nos, nos sceleribus fecimus cœlum nocens:
Nos impiata sidera in tristes faces
Per ausa nostra accendimus. Non est Deus,
Ut arbitratur vulgus, inclemens, minax,
Amansque sævi fulminis: sed nos bonum,
Mitem, quietum, & indole benignâ pium,
Nos inserenum facimus, immitem, asperum.
Nos fabricamus tela, queis nostrum petat
Severus ultor verticem. At quod est caput,
Si scelera populi transit, in Reges tonat,
Hinc immerentes pœna communis ferit.
O magne cæli Rector, vitæque arbiter,

Vindexq; Numen; quem tibi Alphonsus negat,
Hunc tribuo honorem. Cuncta sapiente ordine,
Modo, tenore, lege statuisti: omnia
Sapiente pariter ordine, ac modo regis.
Sed tibi potestas cordium est: si vis, potes
Mutare Regis indolem, & honoris tui
Ingerere amores. Istud, ut porrò velis,
Valeat profusus sanguis, & merita tui,
Et mors acerba filij. Tanti haud leve est
Precium cruoris. Unicam impende, ô Pater,
Regis saluti guttulam: quantus fremit,
Tantus Tonanti serviet.

SCENA QUINTA.

Elphegus ex media oratione in carcerem abducitur.

Satellites Elphegus.

Sat. 1. Hic ipse est. *Sat.* 2. Sile;
Venemur aure verba. *Elph.* Procidua m Deus
Populo salutem redde: *Non meritus luit*
Delicta Regis. Si quod in Regem cadit
Facinus, id esse patere materiem tuæ
Clementiæ. Eadem causa clementem facit,
Justumque te. Non ardet in pœnas manus,
Si scelera desint: nomen amittis pij,
Si nemo peccet: parcere est proprium tibi,
Plectere alienum.
Sat. 2. Commodus fraudi est locus,
Et urget hora.
El. Parce, mi Deus! *Sat.* 1. Irrue,

Sat.1. O machinator fraudis! ô mundi lues!
It vile terræ pondus; in casses venis.
Sat.2. Age, quid olympus possit, exemplo doce.
Precare, cœlos rumpe singultu, Dei
Aures fatiga: nemo te nostris dabit
Hinc ire manibus liberum. Sat. 1. Quis me pavor
Retro coërcet? Sat 2. Perage meditatum scelus.
t me timoris nescium invadit gelu.
Sat.1. Repetamus orsa. Cœpta texuntur benè,
Malè licet inchoata. Da vinclis manus.
Da colla resti. El. Vinculis nihil est opus
nimo innocenti. Sponte, quò vultis, grave
rgebo senium. Sat.2. Pone simulatum modum,
arvámque vitæ: scena jam mentis patet
virus animi. El. Jura si sequeris, forum
oncede causæ: jura si nolis, lubens
enas in omnes innocens pectus dabo.

CHORVS

Videt sæpè à Clementia vindictam Dei sustineri, ne feriat.

Vindicta. Clementia.

Vid. Ite tela. venit hora
Jam suprema. Fulminandum est:
Ite tela. quid moramur?
Crimen auget omnis hora.
Ite flammæ vindices.
Rex negat malo medelam:
Blanda ridet, sæva spernit;
Verba ludit, flagra damnat:

Spes adempta est. Ite tela:
Hora venit ultima.

Clem. Parce Diva, fulminisque
Vim coërce. *Vind.* Quid moraris?
Venit hora: mitte fulmen.
Regis impij ut rebellem
Eruamus spiritum.

Clem. Est benignus Rector orbis.

Vind. Estque justus. *Clem.* Sed benignum
Indoles facit. *Vind.* Severum
Cogit esse perfidorum
Indoles mortalium.

Clem. Fac severum semper esse,
Detonare, ac fulminare
Semper igne: quisnam amabit?
Dissolutus in favillam
Totus orbis occidet.

Vind. Fac benignum semper esse,
Nec minari, nec vibrare
Tela dextrâ; quis timebit?
Orbis ibit in ruinam
Criminum licentiâ.

Clem. Desinet pater vocari.

Vind. Desinet justus vocari.

Clem. Lenitatis laus jacebit.

Vind. Æquitatis laus peribit.

Clem. Mitis est *Vind.* Et æquus est.

Clem. Lenitate se fatetur
Esse Numen. *Vind.* Æquitate
Imperare gaudet orbi.

Clem. Sæpè parcit *Vind.* Sæpè punit.

Clem. Mitis. *Vind.* Ultor imperat.

Clem. Siste fulminis fragores.
Vind. Mitte me. maturat hora:
Crimen urget. *Clem.* Spem recidis?
Vind. Spes recedit *Clem.* Spes doloris
Pollicetur lacrymas.
Vind. Pono fulmen, si resurgat.
Clem. Pone fulmen, ut resurgat.
Vind. Pono fulmen. *Utraque.* Ira differt.
Rex inique, surditatem
Pone duri pectoris.
Nil morari suadet hora:
Vita fallit finis instat,
Mors minatur, orcus ardet,
Rex inique, surditatem
Pone duri pectoris.
Numen advocat morantem,
Numen adjuvat volentem,
Gratiamque dat cadenti.
Rex inique, surditatem
Pone duri pectoris.

ACTVS IV.

SCENA PRIMA.

Petrus ijs, quæ in Choro acta sunt, per quietē visis, territus, docetur ab Angelo esse minas Dei in Alphonsum, jubeturq́; eum admonere.

Petrus. Angelus.

Quis me soporis sede tranquillâ excitum
Vocat tumultus? Somnium? an vates fuit

Hæc ſcena veri? Numen, heu! rigidum procul
Averte fulmen! Mens ſtupet, animus riget;
Et adhuc per oſſa gelidus exerrat pavor.
O mitis, iræ parcus, & pœnæ abſtinens,
Facilîſque veniæ, Nemeſis invitæ Deus!
Suſpende lentâ fulmen accenſum manu.
Siluêre cœli, poſita tempeſtas minas
Abſterſit. At non ſemper hæc cœlo quies:
Non ſemper iram Numinis lentus ſopor
Tenet ſepultam. Languet ad tempus: tamen
Aliquando flammæ vindicis torquet faces.
Si tardat ictum, gravius hunc quondam exerit,
Et ſæviore clade compenſat moram.
Aliquid minatur Diva, quæ ſceptrum manu
Audace fregit; aliquid alliſum ſolo
Decus coronæ, & laurea in ventos data.
Sed quid? Peribit hujus auguſtum decus
Et forma regni? perijt. in civem lues
Plebemque ſævit: nulla funeribus dies,
Nox nulla vacua. Quod ſupervivit, mera
Eſt larva vitæ. Namque qui nondum necis
Colore pallet, pallet aſſiduo metu.
Superi! quid ultrà poſcitis? cui me malo
Cœlum reſervas? Quis repercuſſis fragor
Sonuit ab aſtris?
Ang. Petre. *Pet.* Te veneror: jube.
Ang. Deus parentis lege moderatur ſolum,
Et occupare pectora aggeſtis amat
Muneribus. At ſi pertinax mentis rigor
Cervice dura pugnet, intorto minax
Flagro pavores ingerit. Si nec minæ

Prosint, flagellis erudit. Verbera flagri
Si corda nondum conterat, tandem admovet
Sceleri supremum fulmen. Alphonsi stupor
Hucusque venit. Crimina invitum Deum
In ultionem provocant. Quæ se tuis
Oculis dederunt spectra, sunt minæ ultimæ.
Nisi resipiscat, occidit. Stat jam Deo
Fixum scelestum perdere, atque unà scelus.
Pet. Concede Numen aliquid oranti *Ang.* Nihil.
Pet. Aliquid benigno nomini Patris. *Ang.* Nihil.
Pet. Aliquid tuæ clementiæ.
Ang. Nihil, nihil. (stine.
Pet. Tuo cruori aliquid. *Ang.* Nihil. Prece ab-
Matura nullas fulmina admittunt preces,
Abi, & supremas nuncia Alphonso minas.
Si scelere mentem revocat, & Numen suas
Deponit iras: scelera si cumulat, Deus
Severus ultor antecedentem premet.
Quam quisq; serere gloriam aut pœnam volet,
Hanc à benigno, aut vindice severo metet;
Abi; hora restat unica. Hæc Regi refer.

Scena Secunda.

Hæret Petrus, quid agat.

Petrus solus.

Quæ me rebellem fulmina ad Regem pater
Deferre mandas? Gravior imperio heu labor!
Abi & supremas nuncia Alphonso minas.
Quis? cui? superbus illemonitorem audiet?
Heu! triste nimis Elphegus exemplum dedit,
Adhuc sepultus nocte tenebrosi specûs.

Sed quid patravit criminis? Regem sui
Sceleris moneri jussit, & culpam elui.
Par culpa nostra comparem pœnam feret.
Si scelere mentem revocat, & Numen suas
Deponit iras. Sceleris agnoscet notam?
Umbramve culpæ? Mentis hoc glacies vetat,
Rigidumque marmor. Qui semel mentem obsti-
Ægrè monetur: *Si scelera cumulat, Deus* (nat,
Severus ultor antecedentem premet.
Probatus antè terror obstipum nihil
Commovit animum: tetra mercedis loco
Elphegus antra inhabitat. At cœlum jubet
Regem moneri, veterem ut exosus viam
In sanctiorem flectat errantem gradum.
Abi, hora restat unica. Hoc Regi refer.
Quid est agendum? scopulus utrinque obviat;
Et nolle, velle, prælium alternum cient.
Quidquid agimus, nihil agimus. Monitor luet.
Monita jacebunt. Sed tamen cœlum jubet:
Huic obsequendum est. Petre, cui gaudes magis
Parêre? Regi? an Numini? Dubias agis
Animo procellas? Quid times, quando Deus
Jubet? Ille verbis robur, & nervum dabit.
Etiam meare lympha de saxo potest
Tangente cœlo. Si cadant verba irrita,
Equidem dolebo; non meam sortem, at Dei
Elusum honorem. Tela si jactet furor
In innocentis colla; qui imperium dedit,
Idem paternâ reprimet ferrum manu.
Si sit cadendum, causa honestabit necem.
Est grande lucrum pro Dei causa mori.

Sic

Sic constitutum est. Qui jubes præsens ades.
Sed ecce Rex. Occasio in votum fluit.

SCENA TERTIA.

Petrus, ut ab Angelo jussus, Regem monet: jubetur aulâ excesse, Manuële frustrà deprecante.

Alphonsus. Manuel. Petrus.

Ne crede, nate, fabulas vulgi levis.
Sapiente stare lege cœlorum faces,
Cursus, recursúsque ire sapiente ordine,
Pendere terras, aërem fluere, mare
Ire, & redire non nego: nævo tamen
Suo notavi plurima, ut condi queant
Meliore lege, & ordine, & formâ, & modo.
Hoc, nate, crede; multa consilio potes
Sapientiore, quàm Deus, quondam dare.
Sint multa numeris condita expletis, tamen
Ratione si rem ponderes, multis quoque
Perfectionis adjici multum potest.
Man Aliquem præesse rebus humanis Deum,
Genitor fatemur.
Alph Quis negat? At istud nego:
Hoc Numen ipsum cuncta sapienter satis
Aut condidisse, aut regere.
Petr. Funestum heu scelus!
Al. Petre, mitte puero fabulas canere. Hoc doce
Quâ lege regna temperet, cives domet,
Populos gubernet pacta constituat, metus
A se repellat hostium, pacem colat;

Vel si gerenda bella, quo gerat auspice,
Quâ sede, milite, Duce, tempore, & loco.
Arcana Regem hæc scire perfectum decet.
Figmenta reliqua trade plebejo gregi.
Pet. Ars temperandi regna sumenda à Deô est.
Hôc quisque melius sceptra moderatur. Deum
Quô propiùs æmulatur. *Al.* Hæc vetulis cane;
Graviora Regi *Pet.* Sapida si fari haud licet,
Proficua dicam. Magne Rex, grandem trahis
Molem pericli Parce: non ego sum eâ
Præsumptionis indole, ut Regis velim
Arguere dicta: sed tamen cogor prece
Humili rogare Parce blasphemo pium
Scelerare Numen ore. *Al.* Quod Numen? meo
Quod erudiri fortè consilio queat?
Pet. Dabisné veniam, arcana si cœli loquar?
Al Edic aniles fabulas *Pet.* Testor Deum,
Non me: sed ipsa sidera hæc Regi loqui.
Tibi supremus imminet cœli rigor.
Al. Quis? cui minatur? *Pet.* Major è cœlo Deus
Premit minores Principes *Al.* Veneror Deum,
Qua promeretur parte. *Pet.* Sed ab omni coli
Meretur ille parte. *Al.* Num solus sapit?
Pet. Collata mens mortalium menti Dei,
Stultitia pura est. Desipit quisquis putat
Se sapere. Fecit cuncta sapiente ordine,
Sapiente cuncta flectit.
Al. Est falsum. *Pet.* Hinc minas
In te Tonantis provocas *Al* Steriles minas,
Fatuumque fulmen. *Pet* *Scelera si cumulas, Deus*
Severus ultor antecedentem premet.

Sup-

Sunt verba nuncij. *Al.* Premat: & ego
Premam sequentem.
Pet. Rex, propè est pœnæ dies,
Imò *hora restat unica.* *Al* Quid ulula crepas?
Pet. Rex, *hora restat unica.* Exemplum dabis,
Quid provocatus possit in pœnas Deus.
Al. Malefauste bubo, larva Cocyti, stygis
Feralis echo. *Man.* Parce, mi genitor! fidem
Imploro natus Regiam. *Al* Exemplum dabo,
Quid provocatus possit in pœnas Deus!
Et astra falli, teque mentiri scies.
Pet. Jussa expedivi verba: nil addo amplius.
Al. Sed ego profundæ victimam te addam Stygi.
Ma. Genitor, furori parce. *Al.* Sine, sparso solum
Cruore inundem. *Man.* Parce mi genitor.
Alph. Mihi,
Non ominosæ parco Cocyti strigi.
Sed hinc recede, laribus Augusti procul
Avolve pestem. *Man.* Grande, mi genitor, decus
Et magna meritũ submoves aulâ virum. (cens?
Al. Pejora meritum. *Ma.* Nam quid admisit no-
Al. Quod traxit auram, maximum crimen putas:
Quod aula honores addidit, scelus alterum est.
Man. Commune primum est, alterum est genitor tuum. (pio.
Al. Commune tolero; quod meum est, pœnâ ex-
Man. Te per ego lacrymas oro, per quidquid sacrum est,
Amande genitor. *Al.* Amove à genibus manus.
Man. Immerita Petrum pœna non sontem ferit.
Al. Insons scelestus? cujus ululatu parens

Post horam armata victima Inferno Jovi
Mactata destinatur? Degener sanguis Patris,
Ut hic superstes vivat, extremâ patrem
Nece vis perire? Quin tibi elisum solo
Dispergo cerebrum? pestis augustæ domûs!
Ite hinc uterque; postque sepositas procul
Mundi latebras condite scelestum caput.

SCENA QVARTA.

Petrus valefacit suo Manueli, & ultima documenta ingerit.

Petrus. Manuel.

Manuël quid agimus? *Man.* Petre, quid agimus?
Petr. Pater
Excesse ab aula jussit. *Ma.* Innocuum tamen,
Scelerisque purum, nullius culpæ reum.
Pet. Solamen hoc est unicum, & solidum; innocens
Purusque labis animus. Excedo lubens
Regalis aulæ limine, ubi nunquam, nisi
Coactus egi. Fateor, invito tamen
Tu mihi voluptas unica, & grandis mei
Merces laboris, digne meliore patre
Princeps fuisti. Me ille virtutis capax,
Cupidusque tenuit animus, & puro indoles
Infusa cœlo, pectus adnatum Deo,
Olim per omnes gloriæ fausto impetu
Gradus iturum. *Man.* Hoc laudis est punctum (tuæ,
Tu me parentis impij infaustum genus,
Cœlo advocâsti. *Pet.* Numini hoc tribue, & tibi,
Si quid tamen salubre traxisti Petro

Docente, Manuel; istud in seros tene
Ætatis annos: hocque supremum cape
Monitum: verere Numen; huic toto sinu
Animoque adhære. Regula hæc prima est boni.
Tum fuge vel umbram sceleris Hoc solo Deum
Procul fugamus pectore. At quando reges
Populos & urbes, patrio affectu rege.
Nil tam potenter civium affectum exprimit,
Quam si paternum Civis affectum colat.
Concede populo plura, quam rapias. Nihil
Æque in ruinam regna cum populis trahit,
Quam Rex avarus: sed nihil magis quoque
E subditorum pectore affectum rapit,
Quam liberalis, mitis, innubis, pius,
Clemensque Princeps. Rarius fulmen vibra,
Quam dona spargas Sic Deus mundo imperat,
Parcus severi fulminis, & amplo in bona
Profusus amne. Scelera si leni queant
Tolli medelâ, sanguine & ferro abstine.
Hoc precio amicos civium affectus emes:
Sociusque tecum sceptra moderatus Deus
Felicitatem perpetem regno dabit.
His te supremum venero. O superis caput
Terrisque amandum Manuel, extremum vale:
Ma. Quocunque pergis Petre; me tecum trahes.
Pet. Privata Petrum vita, te sceptrum vocat.
Ma. Privatus esse Regius sanguis potest.
Pet Non absque probro.
Ma. Ut grandius vitet probrum.
Cum Patre vivo Tartaro tecum Deo.
Pet. Absiste nate. *Ma* Si negas, animum ultimo

Vulnere cruentas. *Pet.* Nisi negem incertam necem
Utrumque rapio. *Ma* Nisi sinis, certam necem
In me revolvis. *Pet.* Ergò vis unà duos
Perire, meque, teque?
Man. Non pater hoc volo:
Sed si cadendum est, cadere ego tecum volo.
Pet. Est nocua pietas, quæ simul secum trahit
Alium in ruinam. *Ma.* Innocuus est amor, licet
Nocitura poscat,
Pet. Manuel, abeundum est. Vale.
Ma. Non valeo sine te Si nihil possunt preces,
Concede lacrymis aliquid.
Pet. O vulnus grave!
Amare, & abigi. - - - -

SCENA QVINTA.

Manuel per Rodericum à Petro jussu Regis revocatur.

Rodericus. Manuel.

- - Manuel, hic ante situs,
Hæc forma prolem Regis Augusti decet?
Quid verò poscunt lacrymæ?
Ma. Ereptam mihi
Fleo salutem. *Rod.* Cœlites tantum malum
A capite sobolis Regiæ avertant procul.
Fortè ira patris vulnere inflicto premit?
Man. In innocentem sævit.
Rod. Est patrius furor;
Si quando sævit iste, mox animo redit
Paterna pietas. Esse non patitur diu
Sævum ferumq́; monitor internus jubet Pa-

Patrios redire rursum in amplexus, prius
Qui jussit ire patrio ab aspectu procul.
Ma. Simul redire & alterum jubeat patrem.
Ro. Quem? *Ma.* Quem innocentem & nullius culpæ reum
Furens abesse jussit *Rod.* An Petrum? *Ma.* Virum
Amore dignum, gratiâ ac meritis gravem:
Quem sola virtus Regiæ invisum facit.
Rod. Manuel, parentis indolem nosti: Furit
Repente; sed repente compositus redit
Furor in amores. Exulem quem hodie jubet,
Cras advocabit. Manuel ad patrem redi:
Sic imperavit. *Man* Redde Manueli Petrum.
Rod. Quem prima rapuit hora, posterior dabit.

SCENA SEXTA.

Petrus aulâ ejectus vitam aulicam detestatur, privatam laudat.

Petrus solus.

Confide Regum gratiæ, & fallax bonum
Venare mente; quisquis ignoras, malè
Felicitatem splendido inniti vitro.
O malè locatos optimæ ætatis dies,
Quos servitutis regiæ absumpsit rigor!
Parum est, merentem negligi, augeri bonis
Minus merentem; gratiam infidis dari,
Fidis negari; pendere obsequia, & grave
Odium referre; multa promitti, at nihil
Dari fruendum; multa sperare, at sibi
Tandem perire; grandius malis malum est,
Sic occupari Principum obsequiis, Deo

Ut non superſit hora. Quàm fallax bonum!
Quod vera mentis damnat exilio bona.
Aulam vocamus; carcerem dicam: ubi
Sepulta virtus clauditur, & arcem tenent
Soluta vitia; luditur honeſtus pudor,
Laudatur effrons Veneris impuræ nepos;
Doli tribunal obtinent, premitur fides
Pietas necatur, omnis improbitas placet
Et omne latè ſpargit in vulgus nefas.
Sed jam theatrum teneo; jam fas eſt meæ
Vacare menti, Numine & toto frui.
Valete pulchrâ nomina, infames lares,
Spelæa ſcelerum, luſtra mendacis poli.
Et quidquid aula dicitur. Jam ſum meus,
Idem mihi imperator, & civis ſimul,
Et jura dico, & jura dictantis fero.
Valete. Vixi Regiæ; vivam Deo.

CHORVS.

Vmbræ Majorum terrentes Alphonſum docent, Deum prius terrores & ſigna immittere, quàm ultimo plectat.

Genius Alphonſi. Vmbra Ferdinandi Regis.

Gen Heu! quæ fidis me tegat umbris
Latebra? E cœlo trepidum Phœbe
Devolve diem. Quæ mihi circùm
Monſtra minantur? Nox, caligo,
Chaos antiquum ſepelite orbem.
Vmb Nate infelix. *Gen* Fulmen in aure eſt
Vox iſta mihi *Vmb* Nate infelix,
Cur te genui, labem ſtirpis,

Ma-

Maculamque mei nominis? At non
Docui sanctum scelerare Deum
Gen O vox, gravior fulminis ictu!
Vmb Scelerate, tui conspice generis
Circum attonitos Manes, Scelerum
Exempla stupent dira tuorum,
Ante hac generi non nota suo.
Ego te genui: nate infelix!
Ego te, donec sapias iterum,
Armata minis insequar Umbra.
Ite severæ Majorum umbræ,
Ite, minaci terrete oculos
Undique flammâ. *Gen.* Sæva ô facies!
Triste theatrum! Quò? quo fugio?
Quò me verto? quo sceleratum
Caput abscondo? Latus hoc flammæ
Tergusque premunt, frontemque urunt.
Quâ parte fugam tento, in graviùs
Discrimen eo. *Vmb.* Cingite adauctis
Undique flammis latus, & frontem,
Tergusque rei, stringite, in arctum
Cogite. *Gen.* Superi! si tamen estis
Superi, mundum qui ratione,
Mente, & rectâ regitis lege,
Non, non estis. Mea me virtus
Eripe monstris. *Vmb* Non effugies.
Gen. Propria mihi mens Deus est. Aude
Scelere assuetum cumulare scelus.
Non habet unâ satis in culpâ,
Qui plura dedit documenta sui.
Vmb. Satis est unâ scelerasse polos

Cul-

Culpâ ut pereas. Est elapsus:
Non tamen omnem pœnam effugiet.
Nulla est sceleri tuta latebra.
Gen. Astra subibo Numenque ipsum
Frena docebo tractare orbis,
Meliore modo, legeque rerum
Condere seriem. *Vmb.* Non tolerabo.
Gen. Heu! heu! *Vmb.* Domitus disce superbam
Ponere mentem Non ante Draco
Te dimittet, quam tu Superûm
Numen adores.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Icitur fulmine Alphonsi aula, & turbatur. Nactus occasionem Rodericus Alphonsum monet.

Alphonsus Consul Tribunus Rodericus.

QUis sævientûm nubium elisus sinu
Fragor, propinquo regiam, & Regem sono
Percellit? Aliqua parte violati lares
Trahunt ruinam. Sonitus indicium mali est.
Iterumne noster invido cœlo status
Sortisque fluxus displicet? *Co.* Princeps fuge:
Perimus omnes *Alph* Quis fugam Regi intonat?
Cui vilis anima corde sub trepido sedet,
Ille incitatos vertat in fugam pedes:
Me non moveri, quidquid immineat, decet.
Trib. Rex, aula flammis undique infestis crepat,

Vio-

Violensque sese noxa per tectum trahit.
Excede laribus. *Alph* Quod tibi suadet metus,
Regem timere dedecet. *Co.* Non est metus:
Res ipsa loquitur. Icta fulminco impetu
Pars magna turris corruit; pars altera
Lapsum minatur; ignis impunè exerit
In tecta vires: omnia in cineres eunt,
Et in favillas. Cede ne labens domus
Uno sepulchro semet, & Regem tegat.
Alph. Non cedo; tecta corruant, crepet domus,
Suoque Regis opprimant lapsu caput.
Rod. Audis tonantes desuper cœli minas;
Et convolutum murmure irato polum,
Repetita perque fulmina in Regis lares
Ignem volantem? Cede dum Princeps potes,
Coacta in istos ira conspirat lares.
Alph In quem Tonantis ista tempestas poli
Distringit iras?
Rod. Impetu cœco volant
Elisa tela: jamque sublimes domos,
Jam tecta tuguri vilis incendunt facis
Vorace flammâ.
Alph. Nempe sapiente ordine -
Omnia reguntur *Rod* Ma, neRex, non sunt joci,
Non sunt anil s fabulæ, quæ vel senex
Sylvæ inquilinus, vel Petrus cœlo data
Denunciavit monita. *Alph* Quid? justo Deus
Ordine, modoque temperat mundi vices?
Exempla nempe cernimus. Nam quid domus
Peccavit ista? scelera si plectit, caput
Petat scelesti. quid domum frustra quatit,

Et

Et innocentem, fulmine; Hoc fixum est; Deo
Si socius orbem flecterem, rebus darem
Meliore lege currere. *Rod.* Heu! Regem propè
Afflavit ignis fulminis. Propius tonat,
Suumque honorem vindicat, quisquis polum
Deus gubernat, & vices mundi rotat.
Alph. Quæ me procella afflavit? aut quæ me solo
Afflixit ira? *Rod.* Fulmen: ut credas, Deum
Amabilem indole esse; per nostrum scelus
Fieri severum. Quanta peccamus? tacet,
Dissimulat, ire patitur ad tempus nefas;
Retrahit amicè, lenè adhortatur, monet
Blande, minatur eminus; deinde & propè
Sua tela mittit: cuncta pertentat, reum
Ut flectat animum. Cuncta si prosint nihil,
Demum coactus fulmen extremum jacit.
Auguste, mente repete, quæ Numen tibi
Ingessit animo monita. Per cives lues
Grassata latè sustulit florem optimum
Juvenum, senumque: monuit Elphegus polo
Jubente: monuit Petrus, & tui inclyta
Propago generis Manuel innocua prece
Patrem rogavit, debitum magno dare
Tonanti honorem. Deinde ceciderunt minæ
Fulminis in ædes; propius & telum tuos
Afflavit artus: sæva tempestas adhuc
Plures pavendo murmure in pœnas furit
Hæc sunt Tonantis monita. Jam tandem voca
In cura sensus, antequam iratus Deus,
Quod inter atros nubium volvit sinus,
Elidat igne fulmen, & Regem opprimat.

Alph.

Alp. Roderice, quantus pectori incumbis meo,
Et pene frangis! Da locum soli, & moram.
Abi insolentes ignium ut sistant minas,
Impelle studia civium: si quod tamen
Discrimen instet gravius. Alphonsum mone,

Scena Secunda.

Alphonsus ponderat animo accepta monita per Elphegum, eumque sibi reddi mandat.

Alphonsus.

Quó me superbæ mentis abstraxit furor.
Cœlo rebellem, Numini infidum, gravem
Patriæ, mihique! Mentis ò durum gelu,
Rigidumque cordis marmor! Audivi rigens
Ferusque & atrox monita veracis senis:
Delicta Regis, populus immeritus luit.
Vidi veneno pestis extingui viros,
Juvenes, senesque; funerum ingentes strues
Agi in sepulchra; quotque pene horæ fluunt,
Tot ire cives triste Libitinæ ad forum.
Audita cœli fata, quod sceptrum vorax
Lethum per urbem jactet, & latè imperet
Mors virulenta civibus, nostro hoc malum
Crimine parari Risimus cœli minas,
Vel in furorem mentis erupit calor.
Hinc in catenis vinctus Elphegus gemit
Antri sepultus nocte. Civilis furor
In arma visus ruere, & excidium face
Ferroque in aulam fundere: at duro stetit
Animus rigore contumax, cœlo impius,
Deo rebellis, Petrus auditus loqui

To-

Tonantis ore: *Scelera si cumulas, Deus*
Severus ultor antecedentem premet.
Linguæ procacis creditus, jussus meâ est
Aula exulare. Quodque supremum addidit,
Horrore demum pectus attonitum quatit:
Hæc hora restat unica. O monstrum ferax
Alphonse scelerum, quô ruis? cœlum tonat,
Gi hiat Averni, terret ex alto Deus
Severus ultor, tela non patiens moræ
Mors ultima acuit: hora suprema imminet;
Hæc hora restat unica. & demens tumes?
Tuumque Numen ore blasphemo increpas?
Brevis hora, rapidaque mora! quâ condes caput
Alphonse latebrâ? quo trahes tutus loco
Animam furori proximè objectam Dei?
Undique pavoris horror, & timor, & tremor
Mentem flagellant; undique occurrit mei
Sceleris imago torva, terrifica, horrida,
Animumque laniat. Quis mihi Elphegum dabit
Carcere solutum? Fida famulorum manus
Adeste: ferro liberum Elphegum volo.

SCENA TERTIA.

Eripitur igni Manuel Alphonsi filius.

Rodericus. Alphonsus. Manuel Civis.

Adhuc ferocit ignis. E tecto intimos
Sese in recessus egit, & rupto obice
Per ipsa regni precia bacchatus, famem
Gemmis & auro satiat. *Al.* Alphonso hoc leve est
Tolerare pondus: plura promerui. *Rod.* Deus!
Alphonsus ista loquitur? *Al.* Absumat domum,

Qui

Quà præpediri industriâ humanâ nequit.
Gemmas & aurum, precia regnorum voret;
Meruimus ista. *Ro.* Credat hoc quisquam, gelu
Illud rigentis pectoris spatiô brevi
Potuisse frangi? *Al.* Pereat hoc, quidquid leve est.
Servate gemina decora Manuelem meum,
Petri & solutum pondere Elphegum. Duo
Sunt omne regnum, & omne regnorum decus,
Quodcunque voveo. Ubi Manuel nostri salus
Futura regni? *Ro.* Credidi socium suo
Adesse Patri. *Al* Cœlites! meus mihi
Manuel superstes vivat. *Ma.* ô Genitor! *Al.* Mei
Vox ista nati est. *Ma*, Genitor! ô genitor! tuo
Succurre nato. *Al* Frangite obstantes moras.
Quis mihi feroce pignus ex flammâ eruat?
Aurum & favorem spondeo *Ro.* Hac audax viam
Rimare parte. *Ma.* Flamma me circum undique
O genitor ambit. *Al* Sinite, Manuelem meum
Medios per ignes eruam. *Ro.* Princeps tuam
Oro salutem! Regis obsequio mea
Debetur anima. Liceat extremo fidem
Testari in apice. *Ma* O genitor! auxilium impera
Meæ saluti, *Al.* Nate! quam rigido fodis
Vulnere parentem! Sinite me medios viam
Rumpere per ignes. *Civ* Abstine, Princeps, tui
Capitis periclo; tutus est Manuel tuus.
Al. Propera salutem. Video te Manuel!
Ma. Pater
Te video. *Al.* Dulcis nate, quàm pectus gravi
Timore solvis! *Ma.* O pater! quam cor mihi
Amo-

Amore ſatias! *Al* Vivimus fili! Levis
Jactura reliqua eſt. Pereat hoc, quidquid poteſt
Semel perire, aut debet. Æternum nihil
Fortuna cœca Regibus terræ dedit.
Servemus illa, quæ eripi nunquam valent.
Ma. Ita Pater: illa propria natura & Deus
Virtuſque faciunt: reliqua fortunæ objacent.
Al O nate, patris grande ſolamen tui,
Quantum parentis indolem excedis tuâ!
Ma. Petro Magiſtro. *Al.* O Petre! confuſi dolor
Secundus animi! quanta regalem quies
Mentem teneret, Verba ſi Petri meo
Penitus bibiſſem pectore! At nondum integram
Felicitatem teneo: & Elphegum volo.
Et Petrum adeſſe. Magna pars ſortis meæ
Erunt uterque. Serò virtutem æſtimo,
Quam vel profundo carcere inſanus tego,
Vel in remotas exulem mundi plagas
Abire juſſi. - - -

SCENA QVARTA.

Alphonſus veniam precatur ab Elphego. Reſipiſcit: ſe, ſceptrum, & coronam Deo dedicat.

Elphegus. Alphonſus.

- Ad ultimum lethi innocens
Ducor theatrum? *Al.* Elphege, da veniam precor
Tuo latroni. *El.* Cœlites! Regem meis
Accidere genibus? Surge, cui par eſt mihi
Lunare poplitem. Surge, *Al.* Da veniam Pater.
El-

El Peccas precando. *Al.* Sceleris admiſſi dolor
Jubet precari. *El* Sceleris admiſſi dolor
Vetat precari. Grande ſit quamvis nefas
Quodcunque Regis, ſceleris amittit notam
Per vim doloris. Una ſat lacryma eſt gravi
Culpæ eluendæ. Poplitem terrâ leva,
Quem regna adorant. *Al* Antè non genua erigo,
Quàm me reponas gratiæ. *El.* A læſo hoc pete.
Al. A te petendum eſt; cujus in collum probra,
Ferrum, catenas, vincla, conjeci impius.
El Quodcunque fuerat crimen, hoc culpâ vacat.
Al. O me ſceleſtum Principem! auguſti luem
Probrumque regni! ſcelera præcipitem mea
Quò me tulerunt! Eſtnè ſpes veniæ ſuper,
Quæ me nefandum reddere Tonanti queat?
El. Sinus apertos gratiis Numen gerit,
Quas in volentes nube munificâ pluit.
Al. Quis occupandæ gratiæ Alphonſo modus?
El Qui cuique proſtat. *Al.* Limitem nullum Deo
Tot ſcelera figunt? *El.* Fateor immani polos
Scelere impiaſti: ſæpe (quod grande eſt nefas
Vel cogitare) conditis rebus ſua
Ineſſe vitia, lege meliore & modo
Potuiſſe condi, voce blaſphemâ furens
Pronunciaſti. Tacuit ad tempus Deus;
Deinde vindex aëri infudit nocens
Peſtis venenum, magna pars urbis malo
Hoc expedita eſt. *Al.* *Populus immeritus luit*
Delicta Regis *El.* Monita ſuggeſſit calor
Tumultuantium civium, & plebis furor:
Non audiiſti! Monita repetivit meo

Vulnere cruentas. *Pet.* Nisi negem incertam necem
Utrumque rapio. *Ma* Nisi finis, certam necem
In me revolvis. *Pet.* Ergò vis unà duos
Perire, meque, teque?
Man. Non pater hoc volo:
Sed si cadendum est, cadere ego tecum volo.
Pet. Est nocua pietas, quæ simul secum trahit
Alium in ruinam. *Ma.* Innocuus est amor, licet
Nocitura poscat.
Pet. Manuel, abeundum est. Vale.
Ma. Non valeo sine te. Si nihil possunt preces,
Concede lacrymis aliquid.
Pet. O vulnus grave!
Amare, & abigi. - - -

SCENA QUINTA.

Manuel per Rodericum à Petro jussu Regis revocatur.

Rodericus. Manuel.

- - Manuel, hic an te situs,
Hæc forma prolem Regis Augusti decet?
Quid verò poscunt lacrymæ?
Ma. Ereptam mihi
Fleo salutem. *Rod.* Cœlites tantum malum
A capite sobolis Regiæ avertant procul.
Fortè ira patris vulnere inflicto premit?
Man. In innocentem sævit.
Rod. Est patrius furor,
Si quandò sævit ille, mox animo redit
Paterna pietas. Esse non patitur diu
Sævum ferumq; ; monitor internus jubet Pa-

Patrios redire rursum in amplexus, prius
Qui jussit ire patrio ab aspectu procul.
Ma. Simul redire & alterum jubeat patrem.
Ro. Quem? *Ma.* Quem innocentem & nullius culpæ reum
Furens abesse jussit *Rod.* An Petrum? *Ma.* Virum
Amore dignum, gratiâ ac meritis gravem;
Quem sola virtus Regiæ invisum facit.
Rod. Manuel, parentis indolem nosti: Furit
Repente; sed repente compositus redit
Furor in amores. Exulem quem hodie jubet,
Cras advocabit. Manuel ad patrem redi:
Sic imperavit. *Man* Redde Manueli Petrum.
Rod. Quem prima rapuit hora, posterior dabit.

SCENA SEXTA.

Petrus aulâ ejectus vitam aulicam detestatur; privatam laudat.

Petrus solus.

Confide Regum gratiæ, & fallax bonum
Venare mente; quisquis ignoras, malè
Felicitatem splendido inniti vitro.
O malè locatos optimæ ætatis dies,
Quos servitutis regiæ absumpsit rigor!
Parum est, merentem negligi, augeri bonis
Minus merentem; gratiam infidis dari,
Fidis negari; pendere obsequia, & grave
Odium referre; multa promitti, at nihil
Dari fruendum; multa sperare, at sibi
Tandem perire; grandius malis malum est,
Sic occupari Principum obsequiis, Deo

Ut

Ut non superſit hora. Quàm fallax bonum!
Quod vera mentis damnat exilio bona.
Aulam vocamus; carcerem dicam: ubi
Sepulta virtus clauditur, & arcem tenent
Soluta vitia; luditur honeſtus pudor,
Laudatur effrons Veneris impuræ nepos;
Doli tribunal obtinent, premitur fides
Pietas necatur. omnis improbitas placet
Et omne latè ſparget in vulgus nefas.
Sed jam theatrum teneo; jam fas eſt meæ
Vacare menti, Numine & toto frui.
Valete pulchra nomina, infames lares,
Speluæa ſcelerum, luſtra mendacis poli.
Et quidquid aula dicitur. Jam ſum meus,
Idem mihi imperator, & civis ſimul,
Et jura dico, & jura dictantis fero.
Valete. Vixi Regiæ; vivam Deo.

CHORVS.

Vmbræ Majorum terrentes Alphonſum docent, Deum prius terrores & ſigna immittere, quàm ultimo plectat.

Genius Alphonſi. Vmbra Ferdinandi Regis.

Gen Heu! quæ fidis me tegat umbris
Latebra? E cœlo trepidum Phœbe
Devolve diem Quæ mihi circùm
Monſtra minantur? Nox, caligo,
Chaos antiquum ſepelite orbem.
Vmb Nate infelix. *Gen* Fulmen in aure eſt
Vox iſta mihi *Vmb* Nate infelix,
Cur te genui, labem ſtirpis,

Maculamque mei nominis? At non
Docui sanctum scelerare Deum
Gen O vox, gravior fulminis ictu!
Vmb Scelerate, tui conspice generis
Circum attonitos Manes, Scelerum
Exempla stupent dira tuorum,
Ante hac generi non nota suo.
Ego te genuit nate infelix!
Ego te, donec sapias iterum,
Armata minis insequar Umbra.
Ite severæ Majorum umbræ,
Ite, minaci vertite oculos
Undique flammâ. *Gen.* Sæva ô facies!
Triste theatrum! Quò? quo fugio?
Quò me verto? quò sceleratum
Caput abscondo? Latus hoc flammæ
Tergusque premunt, frontemque urunt.
Quâ parte fugam tento, in gravius
Discrimen eo. *Vmb.* Cingite adauctis
Undique flammis latus, & frontem,
Tergusque rei, stringite, in arctum
Cogite. *Gen.* Superi! si tamen estis
Superi, mundum qui ratione,
Mente, & rectâ regitis lege,
Non, non estis. Mea me virtus
Eripe monstris. *Vmb* Non effugies.
Gen. Propria mihi mens Deus est. Aude
Scelere assuetum cumulare scelus.
Non habet unâ satis in culpâ,
Qui plura dedit documenta sui.
Vmb. Satis est unâ scelerasse polos

Cul-

Culpâ ut pereas. Est elapsus:
Non tamen omnem pœnam effugiet.
Nulla est sceleri tuta latebra.
Gen. Astra subibo Numenque ipsum
Frena docebo tractare orbis,
Meliore modo, legeque rerum
Condere seriem *Vmb.* Non tolerabo.
Gen. Heu! heu! *Vmb.* Domitus disce superbam
Ponere mentem Non ante Draco
Te dimittet, quam tu Superûm
Numen adores.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Icitur fulmine Alphonsi aula, & turbatur. Nactus occasionem Rodericus Alphonsum monet.

Alphonsus Consul Tribunus Rodericus.

QUis sævientûm nubium elisus sinu
Fragor, propinquo regiam, & Regem sono
Percellit? Aliqua parte violati lares
Trahunt ruinam, Sonitus indicium mali est.
Iterumne noster invido cœlo status
Sortisque fluxus displicet? *Co.* Princeps fuge:
Perimus omnes *Alph.* Quis fugam Regi intonat?
Cui vilis anima corde sub trepido sedet,
Ille incitatos vertat in fugam pedes:
Me non moveri, quidquid immineat, decet.
Trib. Rex, aula flammis undique infestis crepat,
Vio-

Violensque sese noxa per tectum trahit.
Excede laribus. *Alph* Quod tibi suadet metus,
Regem timere dedecet. *Co.* Non est metus:
Res ipsa loquitur. Icta fulmineo impetu
Pars magna turris corruit; pars altera
Lapsum minatur: ignis impunè exerit
In tecta vires: omnia in cineres eunt,
Et in favillas. Cede ne làbens domus
Uno sepulchro semet, & Regem tegat.
Alph. Non cedo; tecta corruant, crepet domus,
Suoque Regis opprimant lapsu caput.
Rod. Audis tonantes desuper cœli minas,
Et convolutum murmure irato polum,
Repetita perque fulmina in Regis lares
Ignem volantem? Cede dum Princeps potes,
Coacta in istos ira conspirat lares.
Alph In quem Tonantis ista tempestas poli
Distringit iras?
Rod. Impetu cœco volant
Elisa tela: jamque sublimes domos,
Jam tecta tugurî vilis incendunt facis
Voracè flammâ.
Alph. Nempe sapiente ordine
Omnia reguntur *Rod* Ma[illegible]ne Rex, non sunt jocis
Non sunt anil[illegible]s fabulæ, quæ vel senex
Sylvæ inquilinus, vel Petrus cœlo data
Denunciavit monita. *Alph* Quid? justo Deus
Ordine modoque temperat mundi vices?
Exempla nempe cernimus. Nam quid domus
Peccavit ista? scelera si plectit, caput
Petat scelesti. quid domum frustra quatit,

Et

Et innocentem, fulmine; Hoc fixum eſt; Deo
Si ſocius orbem flecterem, rebus darem
Meliore lege currere. *Rod.* Heu! Regem propè
Afflavit ignis fulminis. Propius tonat,
Suumque honorem vindicat; quisquis polum
Deus gubernat, & vices mundi rotat.
Alph. Quæ me procella afflavit? aut quæ me ſolo
Afflixit ira? *Rod.* Fulmen; ut credas, Deum
Amabilem indole eſſe; per noſtrum ſcelus
Fieri ſeverum. Quanta peccamus? tacet,
Diſſimulat, iſte patitur ad tempus nefas;
Retrahit amicè, lenè adhortatur, monet
Blande, minatur eminus, deinde & propè
Sua tela mittit: cuncta pertentat, reum
Ut flectat animum. Cuncta ſi proſint nihil,
Demum coactus fulmen extremum jacit.
Auguſte, mente repete, quæ Numen tibi
Ingeſſit animo monita. Per cives lues
Graſſata latè ſuſtulit florem optimum
Juvenum, ſenumque: monuit Elphegus polo
Jubente: monuit Petrus, & tui inclyta
Propago generis Manuel innòcua prece
Patrem rogavit, debitum magno dare
Tonanti honorem. Deinde ceciderunt minæ
Fulminis in ædes; propius & telum tuos
Afflavit artus: ſæva tempeſtas adhuc
Plures pavendo murmure in pœnas furit.
Hæc ſunt Tonantis monita. Jam tandem voca
In cura ſenſus, antequam iratus Deus,
Quod inter atros nubium volvit ſinus,
Elidat igne fulmen, & Regem opprimat.

Alph.

Alp. Roderice, quantus pectori incumbis meo,
Et pene frangis! Da locum soli, & moram.
Abi insolentes ignium ut sistant minas,
Impelle studia civium: si quod tamen
Discrimen instet gravius. Alphonsum mone,

SCENA SECUNDA.

Alphonsus ponderat animo accepta monita per Elphegum, eumque sibi reddi mandat.

Alphonsus.

Quó me superbæ mentis abstraxit furor.
Cœlo rebellem, Numini infidum, gravem
Patriæ, mihique! Mentis ò durum gelu,
Rigidumque cordis marmor! Audivi rigens
Ferusque & atrox monita veracis senis:
Delicta Regis, populus immeritus luit.
Vidi veneno pestis extingui viros,
Juvenes, senesque: funerum ingentes strues
Agi in sepulchra; quotque pene horæ fluunt,
Tot ire cives triste Libitinæ ad forum.
Audita cœli fata, quod sceptrum vorax
Lethum per urbem jactet, & latè imperet
Mors virulenta civibus, nostro hoc malum
Crimine parari. Risimus cœli minas,
Vel in furorem mentis erupit calor.
Hinc in catenis vinctus Elphegus gemit
Antri sepultus nocte. Civilis furor
In arma visus ruere, & excidium face
Ferroque in aulam fundere: at duro stetit
Animus rigore contumax, cœlo impius,
Deo rebellis. Petrus auditus loqui

To-

Tonantis ore: *Scelera si cumulas, Deus*
Severus ultor antecedentem premet.
Linguæ procacis creditus, jussus meâ est
Aula exulare. Quodque supremum addidit,
Horrore demum pectus attonitum quatit:
Hæc hora restat unica O monstrum ferax
Alphonse scelerum, quò ruis? cœlum tonat,
Os hiat Averni, terret ex alto Deus
Severus ultor, tela non patiens moræ
Mors ultima acuit: hora suprema imminet;
Hæc hora restat unica. & demens tumes?
Tuumque Numen ore blasphemo increpas?
Brevis hora, rapidaque mora! quâ condes caput
Alphonse latebrâ? quo trahes tutus loco
Animam furori proximè objectam Dei?
Undique pavoris horror, & timor, & tremor
Mentem flagellant; undique occurrit mei
Sceleris imago torva, terrifica, horrida.
Animumque laniat. Quis mihi Elphegum dabit
Carcere solutum? Fida famulorum manus
Adeste: ferro liberum Elphegum volo.

SCENA TERTIA.

Eripitur igni Manuel Alphonsi filius.
Rodericus. Alphonsus. Manuel Civis.

Adhuc ferocit ignis. E tecto intimos
Sese in recessus egit, & rupto obice
Per ipsa regni precia bacchatus, famem
Gemmis & auro satiat. *Al.* Alphonso hoc leve est
Tolerare pondus: plura promerui. *Rod.* Deus!
Alphonsus ista loquitur? *Al.* Absumat domum,
Quà

Quà præpediri industriâ humanâ nequit.
Gemmas & aurum, precia regnorum voret;
Meruimus ista. *Ro.* Credat hoc quisquam, gelu
Illud rigentis pectoris spatiô brevi
Potuisse frangi? *Al.* Pereat hoc, quidquid leve est.
Servate gemina decora Manuelem meum,
Petri & solutum pondere Elphegum. Duo
Sunt omne regnum, & omne regnorum decus,
Quodcunque voveo. Ubi Manuel nostri salus
Futura regni? *Ro.* Credidi socium suo
Adesse Patri. *Al* Cœlites! meus mihi
Manuel superstes vivat. *Ma.* ô Genitor! *Al.* Mei
Vox ista nati est. *Ma*, Genitor! ô genitor! tuo
Succurre nato. *Al* Frangite obstantes moras.
Quis mihi feroce pignus ex flammâ eruat?
Aurum & favorem spondeo *Ro.* Hac audax viam
Rimare parte. *Ma.* Flamma me circum undique
O genitor ambit. *Al* Sinite, Manuelem meum
Medios per ignes eruam. *Ro.* Princeps tuam
Oro salutem! Regis obsequio mea
Debetur anima. Liceat extremo fidem
Testari in apice. *Ma* O genitor! auxilium impera
Meæ saluti. *Al* Nate! quam rigido fodis
Vulnere parentem! Sinite me medios viam
Rumpere per ignes. *Civ* Abstine, Princeps, tui
Capitis periclo; tutus est Manuel tuus.
Al. Propera salutem. Video te Manuel!
Ma. Pater
Te video. *Al.* Dulcis nate, quàm pectus gravi
Timore solvis! *Ma.* O pater! quam cor mihi

Amo-

El Peccas precando. *Al.* Sceleris admissi dolor
Jubet precari. *El* Sceleris admissi dolor
Vetat precari. Grande sit quamvis nefas
Quodcunque Regis, sceleris amittit notam
Per vim doloris. Una sat lacryma est gravi
Culpæ eluendæ. Poplitem terrâ leva,
Quem regna adorant. *Al.* Antè non genua erigo,
Quàm me reponas gratiæ. *El.* A læso hoc pete.
Al. A te petendum est; cujus in collum probra,
Ferrum, catenas, vincla, conjeci impius.
El Quodcunque fuerat crimen, hoc culpâ vacat.
Al. O me scelestum Principem! augusti luem
Probrumque regni! scelera præcipitem mea
Quò me tulerunt! Estne spes veniæ super,
Quæ me nefandum reddere Tonanti queat?
El. Sinus apertos gratiis Numen gerit,
Quas in volentes nube munificâ pluit.
Al. Quis occupandæ gratiæ Alphonso modus?
El Qui cuique prostat. *Al.* Limitem nullum Deo
Tot scelera figunt? *El.* Fateor immani polos
Scelere impiasti: sæpe (quod grande est nefas
Vel cogitare) conditis rebus sua
Inesse vitia; lege meliore & modo
Potuisse condi, voce blasphemâ furens
Pronunciasti. Tacuit ad tempus Deus;
Deinde vindex aëri infudit nocens
Pestis venenum, magna pars urbis malo
Hoc expedita est. *Al.* *Populus immeritus luit*
Delicta Regis. *El.* Monita suggessit calor
Tumultuantum civium, & plebis furor:
Non audiisti! Monita repetivit meo

Ab ore in urbem sparsa Rodericus tuus:
Non audiisti. Monita repetivit Petrus;
Non audiisti. Denique elisâ face
Mollivit animum, quodque glaciatum gelu
Pectus rigebat, gratiæ inflexit calor.
Redde ergo, quidquid ore sacrilego Deo
Tulisti honoris. parta jam venia est reo.
Al. Quàm lenitatis grande documentum Deus
In me dedisti! Justus es, clemens tamen
Magis. Ego, sævum & Tartaro dignum caput,
Dignumque mille distrahi pœnis! Ego,
Pudet profari, scelere non uno reus
Totum sub uno pectore Acherontem tuli.
O parcum in iras Numen! ô magni Deus
Potens amoris! Quidquid est per me tibi
Ereptum honoris, reddo, quà possum. Meo
Utinam cruore reddere liceret! Tibi
Regni coronam consecro; sceptrum tibi,
Laterisque nostri purpuram; ô Numen dico.
Quidquid cruoris bullit in venis tuum est;
In corde quidquid spiritûs ardet, tuum est.
El Assurge Princeps, victimam accepit Deus:
Et se redonat. *Al* Fide tu posthac meo
Elphege lateri socius incede, & comes,
Idemque monitor Regis, & culpæ reo
Decerne pœnas. Vita, quam traham, tuo
Stat arbitratu. Petrus ad nostram redux
Vocetur aulam: Medius incedam duos
Princeps Achates inter, & certam legam
Viam salutis. Nate, quem læsit nimis
Abominando sceleris exemplo parens;

Me-

Meliore vitam semitâ innocuam trahe
Documenta Patris abjice, & Petri tene.
Demum remotus discat hoc mundus: Dei
Dare signa pœnæ; plectere benignâ manu;
Nec amare nostra damna; sed reduces suis
Sceleribus arcto stringere affectu patris.

EPILOGUS.

Docet Deum dare signa imminentis pœnæ, & clementer punire.

Umbra Ferdinandi Regis. Genius Alphonsi. Clementia Vindicta.

Sapit Alphonsus. Meus est iterum.
Jam pono minas; exuo spectrum,
Vultusque trucem detraho larvam,
Et simulatos, patris affectu
Muto furores Sapit Alphonsus:
Quodque sacrilego contudit ore
Numen, amanti corde veretur.
Tu quoque patri sancta minanti
Sat famulatus Draco, quem rictu
Patulo hausisti, redde Alphonsum:
Meus Alphonsus, meus est: redde.
Dicite posthac: Deus est justus;
Deus est clemens. Etiam quando
Contrahit axem, & sæva minatur
Fulmina terris, mundumque omnem
Tonitru terret; Deus est clemens.
Satis est tonitum; satis in pectus
Ivêre faces. Ego succedo

Patrio cœlo. Tu Draco repete
Veteres silvas. *Gen.* Deus est justus,
Clemensque simul. Terret amaris,
Dulcia prodit: perdere fingit,
Servare cupit: fulmina mittit,
Non ut perdat; sed meliore ut
Imbuat animo. Fulmina facilè est
Vitare Dei; si terrorum
Prævia series animos tangat.
Semper pœnas præit indiciis;
Datque sequentis signa furoris.

Cle. Meus Alphonse es. *Vin.* Meus Alphon se es.

Cle. Meus es. *Vin.* Meus es. *Cle.* Tibi divino
Pando amplexus. Ades Alphonse!

Vin. Tibi pacatas depono faces:
Ades Alphonse! *Vir.* O ades Alphonse!

Cle Meus es. *Vin.* Meus es. *Vir.* Jam tibi a micus
Panditur æther: jam meliore
Cursu imperium; jam continuo
Ibit honorum semita fluxu.
Alphonse veni; propiorque subi
Tibi placati Numinis ora.

Cle. Ego sum Bonitas. *Vin.* Ego sum Ne mesis:
Sed deposito fulmine pia sum.
Ego terrores animo admovi.

Cle. Ego, terrores ut penetrarent,
Mollivi animum. *Gen.* Deus est justus,
Deus est clemens. *Vir.* Mens commun

St

Studiumque unum fuit utrique;
Terrere minis, parcere pœnæ,
Gen. Deus est justus, clemensque simul.
Dicite mecum. Deus est justus,
Clemensque simul. *Om.* Deus est justus,
Clemensque simul. Lentus in iras;
Parca severæ fulmina Nemesis
Jacit ex alto. Sæpè minatur
Fulmina; rarò fulmina torquet.
Si quandò tamen scelus humanum
Vindice cogat sævire manu;
Prius ignavo murmure nubes
Undique cogit, crebroque igne
Oculos stringit; prius in dominas
Nemorum quercus tela exonerat,
Quàm sceleratum caput intorto
Fulmine feriat. Perdere fingit,
Perdere non vult. Semper pœnas
Præit indiciis, datque sequentis
Signa furoris, queis meliorem
Suadet animum. Signa attende,
Domitumque stude meliore viâ
Ducere sensum; pœna repressa est.
Deus est justus, Deus est clemens.

**
*

CONNVBIVM MERITI ET HONORIS:
SIVE
EVERGETES, ET ENDOXA.

ARGUMENTUM.

V*Eritatem præsentem Fabulâ tegimus.* Evergetes *Regij sanguinis adolescens ab* Aretino *Patre, eoq; olim Rege, sed iniquitate fortunæ ad pastoritiam sortem devoluto, ad contrahendas cum* Endoxa *Regiâ viduâ nuptias urgebatur; sed severè respuebat, institutione & suasu potissimum* Euprepiæ, *à qua educatus fuerat, quaq; identidem eum ad privatam vitam hortabatur. Igitur hujus monitis dissimulat habitum, aspectum, & linguam; & à suo parente in servum admitti postulat: à quo, jam suum Evergetem se perdidisse existimante, in filium adoptatur. Observatus demum proditusq; quòd nec blæsus sit, neque altero oculo cæcus, suspicionem sui facit, & captâ majore experientiâ de-*

pre-

Prehenditur esse Evergetes, & tandem Endoxa desponsatur. Annal. Passav. ad Ann. 1664.

Data Passavij, Reverendiss. ac Celsiss. Principi Episcopo, 1665.

PERSONÆ, ET CLAVIS.

Evergetes. sive, Meritum.
Endoxa. sive, Gloria.
Aretinus. sive, Virtus parens Evergetæ.
Ponus. sive, Labor parens Endoxæ.
Euprepia. sive Moderatio.
Florillus, | Servi.
Batillus, |
Alphenus Faunus.
Chori.

ACTVS I.

SCENA PRIMA.

Evergetes propositas ab Aretino parente cum Endoxa nuptias severè respuit.

Aretinus. Evergetes.

Quid mente semper pendulâ incertum trahis
Fili parentem? Nostra res agitur. Decus
Resarciendum stirpis hæc mentem meam
Flexit. Vetustum respice ad nomen Patrum:
Reges fuerunt; sceptra exerunt manu,
Et sancta populis jura dixerunt. Nisi
Huc nate vota dirigas, clarum diem

Sanguinis aviti mente degenere obtegis.
Verum est: iniquo sortis afflatu, prior
Splendor familiæ cecidit, & adempto inclyti
Honore sceptri ad rusticam ducti casam
Sanguine minorem ducimus vitam: tamen
Ubi se priorem pandit ad sortem via,
Degeneris animi est, flectere aliorsum gradum.
Ev. Vereor paterna monita Sed liceat tamen
Aperire sensa cordis, & clausam sinu
Retegere mentem. *Ar* Fare. *Ev.* Majorum decus
Honorque sceptri, & frontis augustæ jubar,
Invitat equidem pectus, at plures tamen
A nuptiarum legibus causæ avocant.
Ar. Cùm genitor orat?
Ev. Sponsa cùm forte est ferox,
Parumque blanda Nympha; quæ cupiat emi
Doloribus, suspiriis, & lacrymis.
Ar. Annuit & ipsa. *Ev.* Genitor & Sponsæ? *Ar.*
Ev. Placeat necesse Evergetæ est. (Annuit.
Ar. Et non placet?
Ev. Fastidit illam. *Ar.* Cœlites! quænam tibi
Placebit unquam sponsa, si Endoxa haud placet.
Considerasti frontis augustæ notas?
Ev. Consideravi. *Ar.* Dentium candens ebur.
Risûs leporem, gratiam augustam Deæ?
Ev. Consideravi *Ar.* Nonne de geminis micant
Soles ocellis? Nonne placatus tenor
Frontis sereno prælium indicit polo?
Et non gemellæ Charites in labris sedent?
Sed adde dotis Regiæ opulentum sinum,
Provinciarum jura, Regnorum insulas:

Adde

Adde & vetusti sanguinis avitum genus,
Ductumque ab atavis Regibus clarum decus.
Et pulchra, dives, nobilis: quid plus petis?
Ev. Et pulchra dives, nobilis: sed non placet.
Ar. Sed nō placet? Mi nate, quàm affligis patrem?
Ev. Afflictioni demo majori, pater.
Ar. Addis minori, Grande supplicium puta,
Quod sorte nuper Regiâ ejectus dies
Subter mapali rustico obscuros agam:
Sed majus hoc existima; quòd cum patet
Aperta rursus Regium ad solium via;
Per te parenti ad gloriam eniti haud licet.
Ev. Meminisse genitor liceat, olim quæ mihi
Dicere solebas: Non facit Regem, aureum
Jubar coronæ; non manus sceptro gravis;
Non purpurati lateris augustus color;
Aut tecta Sole gravida radiantis Tagi,
Spoliisque Erythræ; quidquid aut Indus legit,
Aut demetit Arabs; non satellitii cohors
Affixa lateri: Regis hic nomen ferat,
Qui nec secundo tollitur fortis joco,
Nec infecundo sternitur casu; cui
Idem serenum mentis est, seu se erigat
Turbo malorum, seu cupitorum affluat
Torrens bonorum: jura qui dicit suæ
Legesque menti; qui nihil metuit, nihil
Nimis ambit. Ista, chare mi genitor, mihi
Olim canebas: ista condidici puer,
Juvenique inhærent; nec seni attrio excident.
Ar. Verum est: Beatus, regna qui mentis tenet:
Sed si tenere mentis, & mundi simul

Imperia possis; nullus infaustum arguet. (mul-

Ev. Imperia mundi, & mentis haud constant si-

Ar. Constare si quis nolit: at si quis velit,
Simul imperare civibus & animo potest.

Ev. Unus duobus hostibus nunquam benè
Rex imperavit. Mentis imperium quies
Tenet alta; mundi regna volvuntur maris
Instar procellæ.

Ar. Stat tamen Tiphys suâ
Navi quietus, quamlibet pontus fremat,
Multoque tabulas impete lacessant Noti.

Ev. Sed in quiete trepidat, atque omnem timet
Fluctum supremum

Ar. Cautus evitat quoque. (vet:

Ev. Quandò procellam lentus Hippotades mo-
Sed cùm ferocit, Aquilo cùm lævum latus,
Auster flagellat dextrum, & proræ incubat
Violentus Eurus, Zephyrus in puppim suas
Despumat iras, hincque stat cœlo minax,
Et hinc, & indè scopulus; an quisquam, Pater,
Vitare cautus Tiphys interitum queat?

Ar. Mi nate; non sic nostra tempestas furit.
Tiphyn per umbras turbo violentus rapit,
At nos volentes agimur.

Ev. Et miseri ad stygem
Imus volentes. *Ar.* Nemo, si nolit, perit.

Ev. Est blanda quoque necessitas; tantò magis
Violenta; quantò amœna titillat magis.
Volupta fit necessitas, quando semel
Sequeris trahentem.

Ar. Non sequi, arbitrij est tui.

Ev.

Ev. Sed sensus ipse sæpè nolentem abripit.
Ar. Mi nate, mitte bella verborum: Patrem
Sequere rogantem. *Ev.* Chara libertas placet.
Ar. Et liber esse poteris, & Conjux simul.
Ev. Da tempus, oro. Quod semel tantum licet
Statuere, mente seriâ & cautâ decet
Deliberare. *Ar.* Justa, mi fili, petis.
Meliora sensa crastinus Phœbus dabit.

SCENA SECUNDA.

Ponus Endoxæ filiæ suæ proponit sponsum Evergetem, dubitat illa de ejus affectu, quòd sciat totum ab Euprepiæ documentis pendere.

Ponus. Endoxa.

Pulsâ doloris nocte, lætitiæ diem
Aurora profert. Carolo nuper tuo,
(O dulce nomen Caroli!) nuper tuo
Viduata Nympha Carolo inamœnum dies
Mœsti tulêre vulnus, & acerbo fibras
Scidêre morsu; quanta in unius nece
Succisa spes est! Nostra sed tetigit Deos
Ærumna. Spes in proximo est nobis. Placent
Parenti utrique conjugî leges: tibi
Placere patris placita conveniens puta:
Et ut Aretinum Evergetes semper colit,
Non nolet ille, quod senex genitor volet.
En. Tuus est labor jubere; me ad placitum tuum
Fingere, verende genitor. Ad leges quidem
Redire casti conjugî suadet mihi

Ab ore in urbem sparsa Rodericus tuus:
Non audiisti. Monita repetivit Petrus;
Non audiisti. Denique elisâ face
Mollivit animum, quodque glaciatum gelu
Pectus rigebat, gratiæ inflexit calor.
Redde ergò, quidquid ore sacrilego Deo
Tulisti honoris: parta jam venia est reo.
Al. Quàm lenitatis grande documentum Deus
In me dedisti! Justus es, clemens tamen
Magis. Ego, sævum & Tartaro dignum caput,
Dignumque mille distrahi pœnis! Ego,
Pudet profari, scelere non uno reus
Totum sub uno pectore Acherontem tuli.
O parcum in iras Numen! ô magni Deus
Potens amoris! Quidquid est per me tibi
Ereptum honoris, reddo, quà possum. Meo
Utinam cruore reddere liceret! Tibi
Regni coronam consecro; sceptrum tibi,
Laterisque nostri purpuram; ô Numen dico.
Quidquid cruoris bullit in venis tuum est;
In corde quidquid spiritûs ardet, tuum est.
El Assurge Princeps, victimam accepit Deus:
Et se redonat. *Al* Fide tu posthac meo
Elphege lateri socius incede, & comes,
Idemque monitor Regis, & culpæ reo
Decerne pœnas. Vita, quam traham, tuo
Stat arbitratu. Petrus ad nostram redux
Vocetur aulam: Medius incedam duos
Princeps Achates inter, & certam legam
Viam salutis. Nate, quem læsit nimis
Abominando sceleris exemplo parens;

Me-

Meliore vitam semitâ innocuam trahe
Documenta Patris abjice, & Petri tene.
Demum remotus discat hoc mundus: Dei
Dare signa pœnæ; plectere benignâ manu;
Nec amare nostra damna; sed reduces suis
Sceleribus arctò stringere affectu patris.

EPILOGVS.

Docet Deum dare signa imminentis pœnæ, & clementer punire.

Vmbra Ferdinandi Regis. Genius Alphonsi. Clementia Vindicta.

Sapit Alphonsus. Meus est iterum.
Jam pono minas; exuo spectrum,
Vultusque trucem detraho larvam,
Et simulatos, patris affectu
Muto furores Sapit Alphonsus:
Quodque sacrilego contudit ore
Numen, amanti corde veretur.
Tu quoque patri sancta minanti
Sat famulatus Draco, quem rictu
Patulo hausisti, redde Alphonsum.
Meus Alphonsus, meus est: redde.
Dicite posthac: Deus est justus;
Deus est clemens. Etiam quando
Contrahit axem, & sæva minatur
Fulmina terris, mundumque omnem
Tonitru terret; Deus est clemens.
Satis est tonitum; satis in pectus
Ivere faces. Ego succedo

Patrio cœlo. Tu Draco repete
Veteres silvas. *Gen.* Deus est justus,
Clemensque simul. Terret amaris,
Dulcia prodit: perdere fingit,
Servare cupit: fulmina mittit,
Non ut perdat; sed meliore ut
Imbuat animo. Fulmina facilè est
Vitare Dei; si terrorum
Prævia series animos tangat.
Semper pœnas præit indiciis,
Datque sequentis signa furoris.

Cle. Meus Alphonse es. *Vin.* Meus Alphonse es.

Cle. Meus es. *Vin.* Meus es. *Cle.* Tibi divinos
Pando amplexus. Ades Alphonse!

Vin. Tibi pacatas depono faces;
Ades Alphonse! *Vtr.* O ades Alphonse!

Cle Meus es. *Vin.* Meus es. *Vtr.* Jam tibi amicus
Panditur æther: jam meliore
Cursu imperium; jam continuo
Ibit honorum semita fluxu.
Alphonse veni; propiorque subi
Tibi placati Numinis ora.

Cle. Ego sum Bonitas. *Vin.* Ego sum Nemesis:
Sed deposito fulmine pia sum.
Ego terrores animo admovi.

Cle. Ego, terrores ut penetrarent,
Mollivi animum. *Gen.* Deus est justus,
Deus est clemens. *Vtr.* Mens communis

Stu-

Studiumque unum fuit utrique;
Terrere minis, parcere pœnæ,
Gen. Deus est justus, clemensque simul.
Dicite mecum. Deus est justus,
Clemensque simul. *Om*, Deus est justus,
Clemensque simul. Lentus in iras,
Parca severæ fulmina Nemesis
Jacit ex alto. Sæpè minatur
Fulmina; tarò fulmina torquet.
Si quando tamen scelus humanum
Vindice cogat sævire manu;
Prius ignavo murmure nubes
Undique cogit, crebroque igne
Oculos stringit; prius in dominas
Nemorum quercus tela exonerat,
Quàm sceleratum caput intorto
Fulmine feriat. Perdere fingit,
Perdere non vult. Semper pœnas
Præit indiciis, datque sequentis
Signa furoris, queis meliorem
Suadet animum. Signa attende,
Domitumque stude meliore viâ
Ducere sensum; pœna repressa est.
Deus est justus, Deus est clemens.

**
*

CONNVBIVM MERITI ET HONORIS:

SIVE

EVERGETES, ET ENDOXA.

ARGUMENTUM.

V*Eritatem præsentem Fabulâ tegimus.* Evergetes *Regij sanguinis adolescens ab* Aretino *Patre, eoq; olim Rege, sed iniquitate fortunæ ad pastoritiam sortem devoluto, ad contrahendas cum* Endoxa *Regiâ viduâ nuptias urgebatur; sed severè respuebat, institutione & suasu potissimum* Euprepiæ, *à qua educatus fuerat, quaq; identidem eum ad privatam vitam hortabatur. Igitur hujus monitis dissimulat habitum, aspectum, & linguam; & à suo parente in servum admitti postulat: à quo, jam suum Evergetense perdidisse existimante, in filium adoptatur. Observatus demum proditusq; quòd nec blæsus sit, neque altero oculo cæcus, suspicionem sui facit, & captâ majore experientiâ de-*

pre-

prehenditur esse Evergetes, & tandem Endoxa desponsatur. Annal. Passav. ad Ann. 1664.

Data Passavij. Reverendiss. ac Celsiss. Principi Episcopo, 1665.

PERSONÆ, ET CLAVIS.

Evergetes. sive, Meritum.
Endoxa. sive, Gloria.
Aretinus. sive, Virtus parens Evergetæ.
Ponus. sive, Labor parens Endoxæ.
Euprepia. sive Moderatio.
Florillus, | Servi.
Batillus, |
Alphenus Faunus.
Chori.

ACTVS I.

SCENA PRIMA.

Evergetes propositas ab Aretino parente cum Endoxa nuptias severè respuit.

Aretinus. Evergetes.

QUid mente semper pendulâ incertum trahis
Fili parentem? Nostra res agitur. Decus
Resarciendum stirpis hæc mentem meam
Flexit. Vetustum respice ad nomen Patrum:
Reges fuerunt; sceptra exerunt manu,
Et sancta populis jura dixerunt. Nisi
Huc nate vota dirigas, clarum diem

Sanguinis aviti mente degenere obtegis.
Verum est: iniquo sortis afflatu, prior
Splendor familiæ cecidit, & adempto inclyti
Honore sceptri ad rusticam ducti casam
Sanguine minorem ducimus vitam: tamen
Ubi se priorem pandit ad sortem via,
Degeneris animi est, flectere aliorsum gradum.
Ev. Vereor paterna monita. Sed liceat tamen
Aperire sensa cordis, & clausam sinu
Retegere mentem. *Ar.* Fare. *Ev.* Majorum decus
Honorque sceptri, & frontis augustæ jubar,
Invitat equidem pectus, at plures tamen
A nuptiarum legibus causæ avocant.
Ar. Cùm genitor orat?
Ev. Sponsa cùm forte est ferox,
Parumque blanda Nympha; quæ cupiat emi
Doloribus, suspiriis, & lacrymis.
Ar. Annuit & ipsa. *Ev.* Genitor & Sponsæ? *Ar.*
Ev. Placeat necesse Evergetæ est. (Annuit.
Ar. Et non placet?
Ev. Fastidit illam. *Ar.* Cœlites! quænam tibi
Placebit unquam sponsa, si Endoxa haud placet.
Considerasti frontis augustæ notas?
Ev. Consideravi. *Ar.* Dentium candens ebur,
Risûs leporem, gratiam augustam Deæ?
Ev. Consideravi. *Ar.* Nonne de geminis micant
Soles ocellis? Nonne placatus tenor
Frontis sereno prælium indicit polo?
Et non gemellæ Charites in labris sedent?
Sed adde dotis Regiæ opulentum sinum,
Provinciarum jura, Regnorum insulas;
Adde

Adde & vetusti sanguinis avitum genus,
Ductumque ab atavis Regibus clarum decus,
Et pulchra, dives, nobilis: quid plus petis?
Ev. Et pulchra dives, nobilis: sed non placet.
Ar. Sed nō placet? Mi nate, quàm affligis patrem!
Ev. Afflictioni demo majori, pater.
Ar. Addis minori, Grande supplicium puta,
Quod forte nuper Regiâ ejectus dies
Subter mapali rustico obscuros agam:
Sed majus hoc existima; quòd cum patet
Aperta rursus Regium ad solium via;
Per te parenti ad gloriam eniti haud licet.
Ev. Meminisse genitor liceat, olim quæ mihi
Dicere solebas: Non facit Regem, aureum
Jubar coronæ; non manus sceptro gravis;
Non purpurati lateris augustus color;
Aut tecta Sole gravida radiantis Tagi,
Spoliisque Erythræ; quidquid aut Indus legit,
Aut demetit Arabs; non satellitii cohors
Affixa lateri. Regis hic nomen ferat.
Qui nec secundo tollitur fortis joco,
Nec infecundo sternitur casu: cui
Idem serenum mentis est, seu se erigat
Turbo malorum, seu cupitorum affluat
Torrens bonorum: jura qui dicit suæ
Legesque menti; qui nihil metuit, nihil
Nimis ambit. Ista, chare mi genitor, mihi
Olim canebas: ista condidici puer,
Juvenique inhærent; nec seni attri o excident.
Ar. Verum est: Beatus, regna qui mentis tenet:
Sed si tenere mentis, & mundi simul

Imperia possis;nullus infaustum arguet: (mul.
Ev. Imperia mundi, & mentis haud constant si-
Ar. Constare si quis nolit: at si quis velit,
Simul imperare civibus & animo potest.
Ev. Unus duobus hostibus nunquam benè
Rex imperavit. Mentis imperium quies
Tenet alta; mundi regna volvuntur maris
Instar procellæ.
Ar. Stat tamen Tiphys suâ
Navi quietus,quamlibet pontus fremat,
Multoque tabulas impete lacessant Noti.
Ev. Sed in quiete trepidat,atque omnem timet
Fluctum supremum
Ar. Cautus evitat quoque. (vet:
Ev. Quando procellam lentus Hippotades mo-
Sed cùm ferocit,Aquilo cùm lævum latus,
Auster flagellat dextrum, & proræ incubat
Violentus Eurus, Zephyrus in puppim suas
Despumat iras, hincque stat cœlo minax,
Et hinc,& indè scopulus; an quisquam, Pater,
Vitare cautus Tiphys interitum queat?
Ar. Mi nate;non sic nostra tempestas furit.
Tiphyn per umbras turbo violentus rapit,
At nòs volentes agimur.
Ev. Et miseri ad Stygem
Imus volentes. *Ar.* Nemo,si nolit,perit.
Ev. Est blanda quoque necessitas; tantò magis
Violenta; quantò amœna titillat magis.
Volupta fit necessitas, quando semel
Sequeris trahentem.
Ar. Non sequi,arbitrij est tui.

Ev. Sed sensus ipse sæpè nolentem abripit.
Ar. Mi nate, mitte bella verborum: Patrem
Sequere rogantem. *Ev.* Chara libertas placet.
Ar. Et liber esse poteris, & Conjux simul.
Ev. Da tempus, oro. Quod semel tantum licet
Statuere, mente serià & cautâ decet
Deliberare. *Ar.* Justa, mi fili, petis.
Meliora sensa crastinus Phœbus dabit.

Scena Secunda.

Ponus Endoxæ filiæ suæ proponit sponsum Evergetem, dubitat illa de ejus affectu, quòd sciat totum ab Euprepiæ documentis pendere.

Ponus. Endoxa.

Pulsâ doloris nocte, lætitiæ diem
Aurora profert. Carolo nuper tuo,
(O dulce nomen Caroli!) nuper tuo
Viduata Nympha Carolo inamœnum dies
Mœsti tulêre vulnus, & acerbo fibras
Scidère morsu; quanta in unius nece
Succisa spes est! Nostra sed tetigit Deos
Ærumna. Spes in proximo est nobis. Placent
Parenti utrique conjugî leges: tibi
Placere patris placita conveniens puta:
Et ut Aretinum Evergetes semper colit,
Non nolet ille, quod senex genitor volet.
En. Tuus est labor jubere; me ad placitum tuum
Fingere, verende genitor. Ad leges quidem
Redire casti conjugî suadet mihi

Numerosa proles: sed tamen.
En. Quid, sed tamen?
End. Evergetes, *Pon.* Hic non placet?
En Non est satis.
Po. Quid ergò nata poscis? *En.* Ut placeam quoq;
Amare mentis grande tormentum est, nisi
Amor vices rependat. *Po.* Endoxa es, satis,
Ut ameris, hoc existima. *En.* Est Evergetes,
Satis, ne amemur, hoc puta. *Po.* An duræ indolis,
Animi ferocis, barbari genii putas?
En. Non est. Parentum sanguis in natum fluit:
Est mitis, animi nobilis, genii aurei;
Nec avita virtus esse crudelem sinit.
Po. Et tamen amanti reddere haud credis vices?
En. Imò amat amantem.
Po. Ergò nihil restat super.
En. Imò, ergò confectum est nihil. *Po.* Si mutui
Conjugium amores sanciunt; si amat, & amas,
Res est peracta. *En.* Genitor, Euprepian amat
Evergetes, non me. *Po.* Quid? Euprepian amat?
Habes amantûm vitia: rivalem sibi
In amore fingunt. Suspicax res est amor,
Suisque sese somniis torquet. Mihi
Endoxa crede, falleris. *En.* Superi velint,
Ut fallar! at quem longa sociavit fides,
Ususque longus, esse sine amore haud potest.
Po. Duram, fugacem honoris, obscuram abditam,
Semper tenebris, semper invisam faci
Sobolem diurnæ, filiam noctis sibi
Sanguine oriundus Regiò adolescens legat!
End. Statu minora sæpe diligimus. *Po.* Suam

Pares amores fingere ad stirpem decet.
End. Decet. sed usus sæpè in aversum trahit.
Quæcunque teneri discimus, amamus senes.
Primum ille florem ætatis Euprepiæ dedit.
Prima hæc cadentem matre, subjecto sinu
Excepit, illa fovit, ac uber dedit,
Primosque gressus figere, & primos sonos
Proferre docuit, nec adolescentis latus
Unquam reliquit. Ivit in Italiam comes,
Comes per omnem Franciam, & Germaniam:
Et adhuc adhæret pertinax lateri. Quibus
Assuescit ætas prima, adhærescit sequens:
Nec ullus est constantior in animis amor,
Quàm quem tenellus hauseris.
Pon. Verum id quidem est;
Sed multa amamus sæpè, quæ nostro tamen
Non usque digna genere censemus. Licet
Aliquid amare; cui tamen nunquam licet
Sese obligare.
End. De pari hæc, genitor, meant, (ter
Amare, amari; obstringere, obstringi. *Po.* At pa-
Sanctâ spopondit lege consensum sui
Evergetæ. *End.* Quid hoc juvat? Potuit pater
Id velle, nolle filius. Non hoc novum est.
Conjugia sobolis non facit sensus patris,
Si absit voluntas filij.
Pon. At patris tamen
Sensum veretur filius. Quidquid jubet,
Id exequetur. Summa lex placitum est patris
Bene educato filio. *End.* Sed lex patris
Nondum est voluntas filij. Nec ego velim

Coactum amorem. Conjugum infelix nimis
Conditio non se amantium est.
Pon. Endoxa habes,
Quod trahat amorem Evergetæ; egregiæ decus
Illustre frontis, sanguinem Regum, Infulas
Virtute avorum conditas, virgam auream,
Et dignitatem purpuræ, & vastas opes:
Immane quodque cæteris precium adjicit,
Virtutis omnem gloriam, prudentiam,
Maturitatem, consilî plenum sinum,
Justi tenacem, grandibus curis parem;
Severitatem in improbos, æquam in probos
Serenitatem, Cœlitum curam, Dei
Studium, & amorem civium mea nata habes.
Pone ergò amictum lugubrem, & cultum indue
Amœniorem. Festa, quæ soboli pater
Instruo, serenæ postulant frontis jubar,
Lætumq; mundum *End.* Patris hoc jussis dabo:
Sed dubia adhuc spes nutat. *Po.* Ego certâ dabo.

SCENA TERTIA.

Anceps Evergetes, consilij capiendi causâ, Euprepiam convenire statuit.

Evergetes.

Quantis rotamur fluctibus! quæ me regat
Cynosura, sævos inter ambigui maris
Nantem procellas! Nolo. Sed Patri est nefas
Non obsequi. Sed & obsequi, par est nefas.
Parere nolo. Evergetes patri? volo.
Quid velle juvat, ubi reluctantem nequis
Impellere animum? Testor æternis Deum

Po-

Polos regentem nutibus, non sum meus.
Patris voluntas filij assensum trahit,
Sed plura retrò filij assensum trahunt.
Non amo, & amare cogor. Infelix amor
Necessitatus! Liberum quiddam est amor,
Nec lege stringi, nec potest patris ingeri
Auctoritate. Quisque genitori subest,
Sed lege amandi liber est. Sæve ô amor!
Quantos dolores pectori infausto paris!
Nec blandientem ferre genitorem queo,
Nec sævientem cernere: alterutrum tamen
Evergetæ est necesse; vel patris minas
Iramque sustinere, vel jussum sequi. (gravis,
Quid misero agendum est? scopulus hinc surgit
Nec inde levior. Conjugem, quam non ames,
Habere, quantus cordis afflicti est dolor!
Amare tenerè, & semper iratum patrem
Videre, amanti filio quantum parit
Sub corde vulnus! quodque me tangit magis,
Sese esse miserum genitor exclamat, miser
Nisi velis esse Evergetes. Miser est pater,
Si sceptra renuam, quæ maritali feret
Eudoxa dote: filius quoque est miser,
Si de quieto ad turbidum evadat statum.
O fraude tecta purpura, & cladis ferax
Sceptri potestas: siccine afflatu malo
Vel obsequentem filium charo patri,
Vel patrem amanti filio inimicum facis?
Sed quid moramur? Facta non questus juvant,
Vel abdicare Evergetes temet patris
Debes amore, vel reluctantis fibras

Per-

Pervincere animi, vel novas sponsus faces
Concipere amoris. Fateor, hîc non sum meus.
Sana dubitanti Euprepia consilia dabit.

CHORUS.

Vita publica fraudes deteguntur.

Idiotimia. Epitimia.

Nolo. colore de suo
Illusa corda fallis:
Illudis, ac illuderis,
Aliosque, teque captas.
Ep. Vides coronam? *Id.* Non volo.
Meros alit chelydros.
Ep. Meros chelydros? *Id.* Vertici
Impone. An experiris?
Ep. Utcunque serpens mordeat,
Grata tamen est corona.
Viden' catenas, aureas
Notas beatitatis?
Id. Sunt vincula mentis liberæ.
Incinge colla. Cernis?
Ep. Utcunque colla vinciat,
Grata tamen est corona.
Assume sceptra Regia,
Et disce principari.
Id. Et sceptra fraude plena sunt:
Quid me colore ludis?
Propius medullas inspice:
Hæc Principi minantur.
Ep. Utcunque sceptra sint minæ,
Mihi tamen æstimantur.

Pul-

Pulvinar ecce Regium:
Est eminere pulchrum.

Id. Tibi: non mihi. Plumis cygni
Solium tumere credis?
Est spina; spina est undique,
Quæ pungit usque mentem.

Ep. Utcunque spina torqueat,
Grata tamen est amanti.

Id. Sed non mihi. Non tanti emo
Nocitura. *Ep.* Stulta, deses,
Ingnava non intelligis:
Indigna es hoc honore.

Id. Indigna sæpè est dignior.
Ringâre: non movebis.

ACTVS II.

Scena Prima.

Evergetes consilia confert cum Euprepia. Ejus suasu statuit occultus degere. Ideoque vestitum mutat, se oculo lævo cæcum, linguâ blæsum fingit. Vestes priores arbori appendit cum Epigrapha.

Evergetes. Euprepia.

Quid Diva suades? hactenus totus tuo
Nutu pependi; consilia semper tua
Rebus dederunt exitum optatum meis.

Eup. Minate, genio multa debentur tuo

Mo-

Modestiæque: facilis assensus boni
Pronus ad honestum sensus, est virtus tua.
Ev. Tua documenta Diva, quæ semper colo,
Colamque. *Eup.* Nôsti quanta me semper tui
Tetigêre studia. Quæ juvant, non quæ placent;
Suadere soleo. Meta consilijs meis (lis
Commodum & honestum, non voluptas est. Do-
Blanditur ista: at exitu tandem ferit.
Errare non vis? sequere, quà præfert diem
Fax pulchra honesti.
Ev. Fixa mihi mens est, tuo
Pendere suasu. *Eup.* Nate, momentum est grave
Præesse populis. Quanta magnorum cadunt
Pondere sub isto pectora! O stultæ nimis
Mortalium mentes! Amant quæ sat sciunt
Nocitura, solida mentis oderunt bona.
Rerum colorem defluum agnoscunt; tamen
Rerum colore defluo falli placet,
Quæruntque falli. Nate, quid sceptrum juvet,
Noceatvé, cura providè. unius tui
Cura tibi gravis est; anné multorum feres?
An obsequentem nutibus habebis gregem?
Hæc fama nulli contigit Regum. Mare est
Tempestuosum populus. Hic semper rotat
Æstus procellam: semper est aliquis ferox,
Durusque flecti, publico inimicus bono,
Osor quietis, juris eversor, Dei
Odium, hominumque. Fac tamen cunctos tuis
Parere nutibus, obsequi promptos, sacro
Juri obsequentes, publico intentos bono,
Probos, quietos, integros: quales tuæ

Tibi

Tibi ipse menti figere optatu potes:
Ipsum jubere, pondus est nimium grave.
Nam quidquid alios jusseris, factis prior
Implere debes. Sarcina hæc Reges premit,
Ut verba factis comprobent; jubeant nihil,
Quod exhibere pudeat. Imperium optimum est,
Jubere factis: pessimum imperium est, pia
Mandare verbis, impia operibus dare.
Firmanda factis jussa sunt. Tamen hinc nihil
Tibi nate vereor. Facilis ad honestum indoles,
Genius parentum nobilis, avitum genus,
Virtutis avidus animus haud ægre darent
Exempla recti: colla sed gravius premit
Onus imperantum: Regere sic populos, Dei
Ut sancta jura servet, atque illos Deo
Iterum reponat. Scelera populorum migrant
In capita Regum. Subditus si quis perit,
A Rege pœna poscitur. Non est leve hoc,
Aliena ferre crimina *Ev*: Hanc pœnam ferat,
Qui sceptra Regia ambitu insano petit.
Eup. At tu latere doctus, atque hominum oculis
Subtrahere frontem, vive curarum gravi
Pondere solutus, sorte contentus tuâ.
Qui scit latere, nobilem partem tenet
Solidæ quietis *Ev.* Diva, consilium tuum
Ante occupavi mente. Sic certum est mihi
Vivere. Sed artem, Diva quâ vivam, doce.
Obstant parentis monita, & assiduæ preces;
Obstant amici, & sanguinis aviti genus,
Stirpemque Regiam ingerunt. *Eup.* Cave, audias
Secùs monentes. Ipse feralem tibi

Pa-

Paras catastam, sceptra si sumis manu,
Ev, Satis ipse, Diva, grande sum pondus mihi,
Aliena nedum pondera incautus meis
Humeris ferenda congeram. Ut lateam, doce,
Iramque vitem patris. *Eup*. Ut lateas, modum
Accipe, viamque. Pone, quam collo geris
Circumligato fasciam: sume hanc togam,
Totumq; vela Evergetem. *Ev*. Sed frons patens
Sonusque vocis, veste quod tego, aperiet,
Doli iis secundo fine. *Eup*. Lævum oculum tege,
Cæcumque finge. Loquere; sed blæsos sonos.
Ev. Sum blæsus, & sum cæcus; & video tamen
Et expeditè proloquor. Non sum prior,
Cùm volo, iterumque sum prior, quando volo.
Eup. Es, qui volebas esse, jam totus tuus.
Alius videris; tamen es ipse Evergetes.
Vultu parentem fallere, & amicos potes.
Laudabilis fraus illa, quæ temet tibi,
Deoque servat. *Ev*. Adde, si placeat, Deæ;
Veteres amictus arbori appendam, meum
Ut mentiantur funus. *Eup*. Appendas, licet.
Ev. Et lemma scribam: *Hanc arborē patris, ac patri*
Moriturus, isto Evergetes spolio induit.
Eup. Jam tutus ora Civium, & vultus patris
Subire poteris: proprio in patris lare
Potes hospes esse ignotus, & notus tibi.
Libetne patrio forsan à tecto fugam
Suscipere? *Ev*. Durum, Diva, me quiddam rogas.
Fateor, hic ipse sensus haud pectus semel
Pulsavit: at me filium memini. Nimis
Amo parentem. Filium avelli à patre,

Con-

Coditio dura est; quando tam natum pater,
Quâm natus etiam diligit patrem. *Eup.* Potes
Peregrinus esse domesticus: tutus lates,
Nisi sponte prodas. *Ev* Patris ut teneam latus,
Servire poscam. Servitus blanda est, suo
Servire patri. *Eup* Talis, ô mi Evergetes,
Cura esse, vives semper & cœlo, & tibi.

SCENA SECUNDA.

Aretinus intelligit Evergeten ad Euprepiam abijsse: confert cum Pono consilia. hic suadet, ut filij affectui ad Euprepiam tantisper cedat.

Aretinus. Florillus. Ponus.

Quonam abijt ergò. *Fl*. Quò solet.
Ar. Sed quò solet? (trahunt?
Fl Veteres amores quò trahunt. *Ar.* Sed quò
Fl. Suam ad magistram, prima quæ excepit sinu,
Primoque lacte pavit, & primos gradus,
Sonosque primos docuit, & puerum statâ
Cura educavit, ad suam Euprepiam. *Ar.* Puer
Juvenisque semper tenuit Euprepiæ latus,
Sed nihil amoris prodidit. Verum est. Dea est
Matura, prudens, consili grandis capax,
Placida, modesta, moribus adultis gravis,
Quæque sui amores ingerere possit viris,
Sed non Juvenibus. Indolem Juvenes gravem,
Rugas severæ frontis, obtutum asperum
Non facilè amant. Sed longus in amorem potest
Usus migrâsse. Fateor, Euprepiam æstimo,

Sed esse sponsam filij nolim. Nimis
Lucem veretur publicam,& noctes amat,
Gaudetque vitam ducere remotam procul
Mortalibus. *Pon.* Aretine, consilium Poni,
Si placet, amori cede tantisper. Potens
Amor esse primus assolet Juvenum: tamen
Volatilis etiam esse, & inconstans solet.
Obex amorem irritat, enervat mora.
Communis hæc affectuum lex est: cito
Exsuscitantur; si moram trahas, cadunt.
Nec obviandum est, quando fervescunt. Obex
Oppositus animum indurat,& mentem obstinat.
Juvenile pectus cùm semel amorem bibit.
Consilium, & omne mentis amittit jubar;
Illúdque solùm conspicit, cujus tenet
Affectus animum: totus hic hæret sui
Impos. Serenum lenta sed pandit mora,
Facilemque præstat ductui. Nato breve
Concede tempus. Nuptias si non amat,
Dissimula amare: regere si populos fugit,
Et avita Patrum sceptra, & augustum jubar,
Genio id relinque.
Ar. Cauta sectari velim.
Si prima patior semina, exsurget seges.
Po. Si prima semina opprimis, fructu cares.
Aliquid necesse est semper adolescens amet,
In hoc parentis studia versari decet,
Ut nati amorem flectat in cursum boni.
Ar. Sed ipsâ amori robur accrescit morâ.
Po. Etiam remittit. Peccat ad tempus calor
Juvenilis animi, & impotens æstus sui:
Sed

Sed ipsa per peccata fit sapiens amor.
Devia secutus semitam in rectam gradus
Referre discit.
Ar Sera medicina est malo,
Diuturna amori quando concessa est mora,
Ut flamma, vires auget, & crescit morâ.
Po. Sed quanta, quanta flamma, seseipsam vorat.
Ar. Non antè, quàm per ædium clades merum
Bustum relinquat.
Pon. Melior è bustis domus
Deinde surgit. *Ar.* Sed bona in busto jacet.
Pon. Sic est: amantes error ad mentem vocat:
Nec antè sapiunt, quàm per errores suos
Peccâsse videant. Nullus affectus morâ
Non languet: at nec impetu frangi potest.
Ad summa cum pervenerit, cadere incipit.
Ar. Nimium juventæ fidis.
Pon Expertus loquor.
Sæpius amoris Juvenis affectum bibit,
Iterumque ponit, unda quàm fluctus suos
Levet, prematque. Sequere consilium meum.
Dies quod una denegat, id adfert sequens.
Ar. Sequar. sed an proficua consilia, hæreo.
Sed quis repentè clangor increpuit nemus?
Succede frondi: Faunus huc flectit gradum.

SCENA TERTIA.

Alphenus Faunus vestem Evergetæ invenit, & plaudit. Agnoscit eam Aretinus: sclopo monstrum in fugam agit.

Al-

Alphenus. Satyrus. Aretinus. Pontus.

Prô! quàm serenum Phœbus accendit diem,
Nostræque grande sortis auspicium vehit!
Opima spolia hæc arbor Alpheno dedit.
Adeste Fauni, adeste, festivum diem
Exigite plausu. *Ar.* Fallor! an falli placet?
Sat. Quæ festa mandas?
Al. Divitem Alphenum vides?
Ar. Evergetæ hæc sunt symbola.
Al. O faustum diem,
Suoque dignum lumine! Hoc spolium benè
Plausum meretur nemoris. Est rarus dies,
Qui sic beare soleat. *Pon.* Absiste hinc parum.
Ar. Agnosco chlamydem.
Pon Plura prodibunt. Sile.
Al. Ite, ite, plausum turba Faunorum date,
Diemque lusu frangite: Alphenus jubet.
Ar. Amor morari ulterius haud patitur.
Pon. Sile.
Aperiet ista tempus, & lucem dabit
Rei tenebris obsitæ. *Ar.* Excusso tubo
Terrebo monstra. Pulverem huc nitri exhibe.

SCENA QUARTA.

Aretinus ex veste, & additâ inscriptione mortuum filium arguit, & deplorat.

Aretinus. Pontus. Florillus.

Et fascia, & chlamys, & gladius Evergetæ est.
Pon. Aretine, quidnam existimas? *Ar.* Quoddam (sapit
Res ista monstrum. Nonne dicebas suam
Ivisse ad Euprepiam?

Flor.

Flor Iterum dico. *Ar* Hoc loco
Euprepia degit? *Flor.* Ire ad Euprepiam suam
Sed dixit ipse.
Ar Fraudibus dominum, & dolis
Mendacibus circumvenis. Certè salus
Proxima periclo filij nutat *Pon.* Metus
Tibi ipse fingis, nullus ubi metus est mali.
Ar Suspecta meritò est lucta, quâ, semper patri
Obtemperare assuetus, Endexam abnuit.
Pon. Summam timoris explica. *Ar* Forsan sibi
Ipse laniantem in viscera mucronem manu
Violentâ adegit. forsan infelix dedit
Pendere collum ex arbore. Ah genitor! meum
Natum peremi *Pon.* Sponte si perijt, Patrem
Quæ culpa tangit?
Ar. Quòd voluntati obvius
Steti, ac amoris nescium ad amorem impuli.
Pon Atque indè se peremerit? ferrum tibi
Immerserit? Quod hujus indicium exhibes?
Ar. Et fascia, & chlamys, & gladius Evergetæ
Loquuntur. *Pon.* At non nunciant morti datum,
Aliquo latebit nemore. *Ar* Sic Superi velint.
Optare, non sperare genitori hoc licet.
Pon Opima spolia hæc arbor Alpheno dedit:
Scrutemur antè cuncta; fors aliquid facis
Absterget umbras.
*At. Arborem hanc, patria, ac patri
Moriturus, isto Evergetes spolio induit.*
Miserande genitor! *Pon* Lege rationis regê
Fluctum doloris.
Ar. Pereo! *Pon,* Florille huc aquam.

Ar. Infauste genitor! durus obtentæ preci
Aurem negavi: fascino illectus pio
Patribus ademptam purpuram ambivi, & juba
Regale frontis, sortis oblitus meæ,
Securitatis, gaudij, pacis, boni;
Quod sub mapali rustico Aretinus tuli,
Supplicia facto paria non insons fero,
Ampleque mereor. *Arborem hanc, patria, ac pat*
Moriturus. O si Parca rupisset prius
Mihi stamen! unâ morte perijssem? Miser,
Nunc morte geminâ, & filij, & meâ occido.
Abrumpe vitam Lachesis, ut natum sequar:
Mortis per umbras filij amplexus petam.
Quid vivo frustrà? quando pars melior meæ
Vitæ perempta est.
Po. Arborem hanc, patria, ac patri
Moriturus, isto Evergetes spolio induit.
Fateor, acerbum vulnus est animo patris
Talis peremptus filius, tamque obsequens,
Tam certus, tam facilis, ac tantæ spei.
Sed ubi repetere perditum jam non licet,
Malo obsequendum est: fluctui danda est ratis
Cùm non licet pugnare. Magnanimum virum
Casus sinistros vincere ferendo decet. (mali
Ar. Quando est ferendo? quando sed supe
Vires ferentis, opprimit, quem sic premit.
Po. Quandoque navis fluctuum arbitrio data
Secura portum tenuit. *Ar* Id rarus tulit
Eventus. *Po.* Etiam rarus eventus tibi
Succedere potest. *Ar* Crebrior terret magis
Quæ facta video sæpius, prudens mihi

Ventura timeo. *Po.* Est facilis in pejus fides.
Ar. Ubi nulla rima pandit ad melius viam.
Po. Fortuna quà severa præmunit viam
Sereniori, semper ad melius bonum
Rima aliqua patuit. *Ar.* Nulla sed nostris malis
Potest patere. Magna jam cecidit mei
Meliorque pars. Si restat aliquid adhuc super,
Leve est. perire cœpimus. jam pertuli,
Quodcunque totis gravius in fatis fuit.
Et dum perijt Evergeta, exhausi necem.
Miserande Juvenis! sic tibi in luctum patris
Perire placuit, funere ut patrem tuo
Simul perimeres? Si peris, me etiam trahe
Tecum sub umbras. Sole sublato super
Est umbra sola patris, & perijt pater,
Si strata forsan ossa adhuc sparsim jacent
Inhumata campis, ibo per sævas tigres,
Per & leones, filium ut repetam meum,
Ibo, & levamen ultimum ærumnis dabo;
Videre saltem, & nôsse, quâ perijt nece.
Vos interempto Evergetæ luctum date.
Po. Cùm dolor in apice est, ipse linquēdus sibi est,
Ut aut fatiscat lassus, aut mora cadat.

CHORVS.

Ostenduntur vitæ publicæ pericula: privata laudatur.

Idiotimia. Epitimia in persona Icari.

Beatus ille qui procul
Negotijs ab aulæ est!
Infaustus ille, publicâ

Qui mergitur procella.
O vita dura! ô splendida
Miseria! cur amaris?
Quid est potestas publica?
Professio est laboris,
Quies in aula Principum
Non invenit quietem.
O vita dura! ô splendida
Miseria! cur amaris?
Cum Sole curæ transeunt,
Cum Sole non recedunt:
Habet graves meridies,
Neque nox habet minores.
O vita dura! ô splendida
Miseria! cur amaris?
Quodcunque telum publicæ
Casum rei minatur,
Prius lacessit Principes,
Quàm vulnerat minores.
O vita dura! ô splendida
Miseria! cur amaris!
Aulam timores occupant,
Erynnidesque mentis;
Fraudes & æmulatio,
Et livor, ambitusque.
O vita dura! ô splendida
Miseria! cur amaris?

Ep. Valete mundi cardines,
Ad astra provolabo.
Id. Quis hic? *Ep.* In alta tendimus.
Id. Tuam paras ruinam,

Ep. Cui sanguis ardet nobilis,
Lentus jacere nescit.
Quâ sede Phœbus considet,
Illâ sedebo sede.
Hàc indoles sese erigit
Honoris in theatra.
Id. Hàc indoles se nobilis
Devolvit in ruinam.
Ep. Luminis avarum publici
Levate in alta nubes.
Id. Luminis avarus publici
Sterneris in sepulchrum.
Ep. Io! volamus. *Id.* In tuos
Casus ad astra tendis.
Nunquam secundus exitus
Immodica vota honestat.
Ep. Heu! *Id.* Nonne dixi? Credite,
Gravis est ruina ab alto.
Quicunque tentat ardua,
Quærit suam ruinam.
Privata amare discite,
Suâque quisque sorte
Contentus esse; discite
Amare tutiora.
O vita felix! lumine
A publico remota!
Tu sola regnum possides,
Et sola non amaris.
Tu sola motus comprimis,
Et exhibes quietem.
Tu sola nescis crimina,

Et sola non amaris.
Tu sola carpis otium,
Tutosque nocte somnos;
Tu sola vivis innocens,
Et sola non amaris.
Tu sola turbæ incognita es,
Sed tibi, Deoque nota.
Tu sola felix occubas,
Et sola non amaris.
O stulta gens mortalium,
In profutura cœci!
Amate, quæ vos enecant;
Ego tutiora amabo.
Ego hîc remota ab urbibus
Leni fruar quiete.
Ignota moriar urbibus,
Mihi Deoque nota.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Aretinus ob filium amissum dolore agitur, videturque sibi identidem ejus umbram videre.

Aretinus solus.

QUòcunque gradior, filij genius meos
Stat ante vultus. Capto, nec capio tamen:
Sequor, nec assequor: suo est præsens patri,
Fugitque semper: Specto, respectat: loquor,
Ri-

Ridet modestè: blandior, rursum mihi
Blanditur ipse: lacrymor, lacrymas meo
Detergit ore: fronte mœrorem induo,
Mœrore prohibet: tacitus hæc suri ingerit:
Mœrore, genitor, abstine, & pectus gravi
Pondere doloris exime: dolorem mea
Sors non meretur; quando me meis beat
Fortuna votis. Ista mihi nocte, & die
Versat, reversat animus, & pugnant simul
Gaudia dolori, gaudijs dolor. Volo
Premere dolorem gaudio at superat dolor;
Quando, quod adfert gaudiū, est umbra: & dolet
A b orbitate nascitur verâ domus.
Quid sit perisse filium, nemo capit
Qui prole caruit. Rursus hic Evergetes
Stetit ante vultus patris, & ridens ait:
Luctum voluptas claudet. At quænam patrem
Tanget voluptas, quando non fas est meo
Nato potiri? Hic unus omnia mihi erat:
Hoc perdito omnia perdidi Hàc rursum volat!
Adsum, inquit, O mi nate, quò patrem fugis!

SCENA SECUNDA.

Evergetes mutato habitu, simulato capillo, vultu, & loquelâ, assumpto Meritini nomine, dum ignotus parenti servire petit, in filium adoptatur.

Aretinus. Meritinus, seu tectus Evergetes.

Mi nate! *Me.* Domine! *Ar.* Quem teneo? non est meus.

Me. Mi Dñe, parce, incautus huc gressum impuli.
Ar. Tibi nemo visus, semitâ hac trahere gradũ?
Me. Quis Dñe, quæso? *Ar.* Evergetes. *Me.* Nomen
Sæpius ad aures istud allapsum est: tamen (quidẽ
Evergeten de fronte non vidi. *Ar.* Viâ hac
Quis ambulavit? *Me.* Ego Domine!
Ar. Nemo obvius? (fuit.
Me. Te nemo præter. *Ar.* Mira res! tamen hic
Ubi tu pedem defigis, ubi veniens gradum
Huc attulisti. *Me.* Verus? an fictus fuit? (rogas?
An ipse? an umbra Evergetæ? *Ar.* Quid me hoc
An vera sint, an ficta, quæ sequitur amans,
Nec ipse novit. Utraque per amorem trahunt,
Utraque dolorem leniunt. *Me.* Multum interest,
An vera sint, an ficta. *Ar* Sed amans non videt,
Quando omnis illi fictio tangit pari
Gustu medullas. Dum careo vero bono,
Me pasco ficto. *Me.* Sed vices veri boni
Bona ficta non supplent satis.
Ar. Verum est: tamen
Quando carere fata me veris volunt,
Recreare mentem umbratili indulgent bono.
Sed ficta species gaudij excessit quoque.
Me. Verâ frueris. *Ar.* Quando?
Me. Quando tu voles.
Ar Hæc innocenter loqueris ignarus rei.
Sed undè juvenis? quò gradum?
Me. Infelix patris
Fortuna memet esse peregrinum jubet;
Servire egestas cogit. *Ar* Hoc Juvenis jugum
Non promereris. Sorte meliori tuam
Fe-

Fecêre mores indolem dignam. *Me.* At facit
Mendicum egestas. *Ar* Sæva sic semper bonos
Fortuna vexat Ergò servire est tibi
Mens fixa? *Me.* Et est necessitas. *Ar* Etiam mihi?
Me. Ego me beatum dixero, sorte hac frui.
Ar. Si fata jubeant. Multus est Evergetes,
In fronte, in oculis, in genis in moribus,
Totâque corporis indole *Me.* Heu! prodor.
Ar. Quid est?
Quid ora vertis? *Me.* Tangor affectu tui,
Dum tanta me benignitas miserum excipis.
Ar. Fueris misellus hactenus, jam non eris.
Me. Si vis beatum facere me, solus potes.
Ar. Volo. *Me.* Tuis me servulum servis jube.
Ar. Hoc nolo. *Me.* Summũ fortis hoc duco meæ.
Ar. Quod flagitare te decuit, hoc flagitas,
Conferre quod me convenit, ego conferam.
Me. Servire si non sustines servis tuis,
Servire tibi, sed ultimum è servis jube.
Ar. Non impetrabis.
Me. Ergô deceptum prior
Conditio me torquebit. *Ar.* Ærumnis modum
Conditio melior statuet.
Me. At prohibes tamen
Tuos clientes inter accessum mihi.
Ar. Nolo clientes, nolo famulorum gregem.
Me. Quid ergò?
Ar. Majus genius, & mores tui
Merentur aliquid. *Me.* Vile quodcunque est, mea
Est merita supra: vilius quoque est, tibi
Majore gustu serviam. *Ar.* Hac ipsâ prece

Majora poſcis: pertinax ſortem bonam,
Quam fugis, habebis Filium te ego mihi
Poſt fata adopto Evergetæ, genitor niſi
Tuus recuſet. *Mer.* Id ſcio, Patri meo
Equidem placere, ſed ſupra ſortem meam eſt,
Supraque vota.
Ar. Non tamen merita ſupra.
In te lucrabor filium, quem ſors patri
Iniqua rapuit. *Mer.* Aſt ego partes agam
Servi obſequentis.
Ar. Quod tibi eſt nomen? *Mer.* Pater,
Omniſque me familia Meritinum vocat.
Ar Adludit iſtud nomini nomen, mei
Evergetæ. Illud voce Romanâ exprimis,
Quod voce Græcâ Evergetes. Meritum dedit
Utrique nomen, nominis at nomen dedit
Utrique morum candor, & vitæ tenor.
Meritine. *Mer.* Domine.
Ar. Me patrem poſthac voca. (tris
Meritine. *Mer.* Dne. Parce dum ad vocem pa-
Aſſueſco. *Ar.* Totam Evergetæ aſſume indolem.
Mer. Quaquà licebit, genitor, in me Evergeten
Patri exhibebo.
Ar. Sic mihi ſpondent tua
Virtus, tuuſque genius, & morum indoles.
Conſtabis iſta? *Mer.* Filium dum me tuum
Patieris eſſe, gutta dum calidis fluet
Venis cruoris. *Ar.* Ergò jam meus es. *Mer.* Tuus
Et eſſe cupio vivus, & tuus mori.

SCI-

Scena Tertia.

Ponus suadet filiæ suæ Endoxæ, ut postquam Evergetes interijt, ipsa ad alium sponsum animum adjiciat; sed frustrà.

Ponus. Endoxa.

Mea nata, nondum sponsa, jam vidua es. Habes
Infesta cœli fata. vix annus caput
Erexit alter, tertius sponsus tibi
Cecidit in urnam. Siccine in fatis Dij
Scripsêre brevia gaudia, & longos tibi
Endoxa luctus?
End. Numinis regimur manu:
Illo volente faustitas votis litat,
Illo volente faustitas rursum cadit.
Decreta menti fixa sunt; Evergeta
Transcripto in astra, nullius fidei fidem
Ultrà obligare, ferre viduales dies,
Sortemque sponsi nesciam. *Pon.* Sed non potest,
Dilecta nata, non potest, tua sors diu
Carere sponso. Regij generis status,
Et multitudo prolium hoc vitæ genus,
Endoxa prohibet. Queis Deus celso dedit
Sedere solio, jussit aliorum bono
Vitam obligare. *End.* Non tamen nostro malo,
Sic serviendum cæteris, nulla ut mei
Jactura fiat commodi. *Pon.* Quid nata ais?
Pronunciatum hoc mentis est humilis: suis
Plebejus animus commodis servit: cui
Scintilla flammæ Regiæ in venis calet,

Bono obligatus civium, minimum suis
Gaudet studere commodis. Qui te velit
Endoxa sponsam, multus est sponsus super.
End. Sed qui vel æquet merita, vel penset pari
Virtute raptum Evergeten, nullum dabis.
Pon Dabo hoc amanti Nobilis mentis bona,
Natura facilis, genius humanus, gravis,
Clemensque vultûs gratia, modestus tenor,
Adulta pietas cura Cœlituum, timor
Et amor Tonantis, publicæ studium rei,
Animusque prudens, & sinus mentis capax
Curarum, & ignis pectoris magnis amans
Exercitari rebus, & gravium humerus
Patiens laborum, decora virtutum omnium
Fecêre dignum Evergeten Endoxâ; tamen
Odiosa comparatio est: mores sui,
Sua quemque virtus ornat, & dignum facit. (suâ;
End. Sua quemque, sed & Evergetem ô genitor
Cui quisque cedit sponte. Da mî Evergeten,
Endoxa vivet.
Pon Nemo non fieri potest
Evergetes virtute si quisquam tibi
Minor videtur, esse per honorem potest,
Conditio sæpè fecit eximium, cui
Non favit usque genius, & morum tenor.
End Sperare possum; habere sed malim optimũ.
Deliberandi causa non ursit prius,
Cùm singulorum vota trax flet sua
Evergetes virtute: nunc me major me agit;
Cùm quæro ab omni parte, quæsitum tamen
Nusquam reperio Evergetem.

Pon.

Pon. Endoxa, hoc licet,
Deliberare : ſtatuere at debes quoque
Deliberanti vita ne pereat Moram
Conſilia ſana poſtulant; ſed ſi mora
Trahitur in annos, implicat mentem gravi
Nebulâ, nec antè finis aſpicitur rei, (pent
Quàm fata ſtringant ſpiculum, & tandem occu-
Deliberantem. Statue, quo natam decet,
Te vinculare lege conjugij *End.* Pater,
Jam conſtitutum eſt: qui placuit, adhuc placet.
Aut nubo ſoli Evergetæ, aut ſolum pari.

SCENA QUARTA.

Super dolore patris dolet Evergetes, nunc Meritinus. Vt mœrorem ſoletur, fingit literas, quibus patri ſignificat, ſuperſtitē vivere Evergeten.

Meritinus ſolus.

Quot ille vultus fingit, & cordis vices
Immutat idem? fervet, elanguet, riget,
Anhelat, ardet, æſtuat, plorat, calet,
Amat, doletque. Filium quærit, quem habet;
Defletque raptum morte, quem vivum videt.
Poteronè gemitus patris, & amoris vices
Fletuſque ſiccus cernere, & fraude impiâ
Adhuc latere? Potero tot ſuſpiria,
Luctus, dolores, lacrymas, mœſti ſenis
Tolerare, meque tegere, vel nullum dare
Natus levamen? lene ſolamen dabo.
Senex meretur, filium decet, gravis

Ærumna poſcit. Litteras fingo, ſolo
Miſſas remoto à filio. Vivum ſciat,
Qua parte mundi vivat, haud multum intereſt,
Percepta vita filii patrem ſibi
Iterum reponet. Mortuum deflet, ſciat
Vivere; reſident lachrymæ; ad vitam pia
Redibit arte, & filium urgebit minus
Mœror alienus. Huc pater tendit gradum
Quid eſt? quid adfers? - -

SCENA QUINTA.

Litteras, tanquam ab ignoto acceptas exhibet Aretino Meritinus: exhilaratur pater, filium undique quæſiturus abit.

Aretinus. Meritinus.

- - Nate, quò vertis gradum
Veniente patre?
Mer. Qui hic ſtetit, tabulas dedit
Tibi exhibendas. *Ar.* Cujus oblatas manu?
Mer. Id non rogavi.
Ar. Signa num fallunt ſenem?
Hoc eſt ſigillum Evergetæ? hic Evergetæ
Character eſt, Quis tibi dedit tabulas?
Mer. Mihi
De fronte nunquam viſus eſt. *Ar.* Forſan datæ
Fatis priuſquam cederet. mortis genus
Narrant parenti, & funeris ſtrati locum.
Vivus valenſque Evergetes mœſto patri,
Avere mœſtum filius patrem jubet.
Hác, ut dolorem lenias, ſcribo. Scio

Video-

Videoque calidas lachrymas causa mei
A te profusas aud o gemitus;meo
Et ipse corde lancinor. Patris dolor
In me redundat. Sorte cùm fausta fruor,
Hoc cruciat unum, quod meus genitor dolet.
An ista ab alta siderum scribit domo?
An ab remotis ultimi mundi plagis?
Sed mitte luctus: dulce lenimen cape.
Vivo:quid ultra genitor à nato petis?
O nate! vivis! vivo, mi fili, quoquè.
O me beatum; Evergetes vivit meus.
Vivo:quid ultra genitor à nato petis?
Audi, quid ultra genitor à nato petat:
Ut te reponas patriæ, ac patriam tibi.
Non crede natum, genitor, immemorem tui:
Sæpe tibi præsens adsto, tu præsens mihi.
Videor parenti, videoque parentem. Procul
Nunquam recedo, quamlibet credar procul.
Sic est; vel umbra filii, vel filius
Oberrat oculis. Si procul non es, redi
Mi nate; redde te mihi, & memet tibi.
Dilecte genitor, parce lamentis; tuum
Lacerare natum: parce. Quò pleras magis,
Hoc sæviore dente mihi scindis fibras.
Quis temperare lachrymis possit satis?
Tuus dolor meus est dolor. Vivo, tamen
Si & usque & usque diffluis lachrymis, facis
Quod esse factum credis, & defles pio
Errore. Parce nate, si injussus dolor
Me rapiat ipsum mihi reluctantem. Impotens
Affectus omne mentis imperium excutit.

Dole-

Dolere, non dolere, vix quisquam poteſt
Ad libitum. Amantis iſtud ingeni j eſt, rapi
Dolore. *Si me poſtulas vivum, abſtine*
Deflere lacrymis mortuum. Vivo: vale.
Sed undè ſcripta pagina eſt? nullum locum
Fini adnotavit. Nate, quid torques patrem?
Si non amarem, dicerem ingratum: tamen
Vel ſic parenti gratus es. Vivis: mihi eſt
Aliquod levamen. Nuncias vivum: cupis
Fortaſſe quæri. Sæpè ſic præceps rapit
Juventa in actum; cumque regreſsûs pudet,
Revocari amat. Nihil moror. Raptus ferar
Sylvas per omnes. Nullus eſt nimius labor,
Duruſvè amori. Nate, tu mecum quoque
Evergetem require. *Mer* Mi genitor, tuus
Jam quando vivit filius, natum abſtine
Me nominare; ſervus ut dicar, jube.
Vices peregi Evergetæ; rurſus migro
Sortem in minorem, ſed mihi excelſam nimis.
Ar Sors iſta binos ſuſtinet. Nam Evergeten
Natura amanti filium patri dedit,
At te voluntas fecit. Et es, & eris meus
Meritinus, aut Evergetes alter. Boni
Superi, favete, ut perdito ex uno duos
Pater recipiam filios!
Mer Aut ut vices
Unus duorum penſet. *Ar.* Huc urge gradum
Meritine mecum: quà trahit & amor, & dolor,
Stat mente fixum, non prius ſomno dare
Levanda membra, quàm meus natus mihi
Reddatur iterum. Perge, diſperſam trahe

In

In hæc juventam ſtudia, ut amiſſam patri
Sobelem reponat. Quiſquis inveniet, manu
Condigna ſtudio præmia è noſtrâ feret.

CHORVS.

Oſtenditur vitæ publicæ neceſſitas.
Idiotimia. Epitimia. Prometheus.
Promethei figmenta.

O quâm diu Prometheu
 Vagaris inter aſtra?
Deſcende tandem Cœlite
 Armatus igne Solis,
Limoque redde ſpiritum.
 Deſcende: quid moraris?
Ades Prometheû? *Prom.* Juſſibus
 Adſum tuis paratus.
Quid Diva mandas? *Idiot.* Ad mea
 Effinge verba maſſam.
Vides, ut omnes publici
 Ardeant amore Solis;
Privata tangunt neminem.
 Homines volo, ſaluti
Suæ ſtudentes, ſimplices,
 Proboſque. *Prom.* Parva tali
Minorque flamma ſufficit.
 Aduro. ſurge. conſta.
Et tu movere. ſurrige
 Tu corpus. Hic morare.
En juſſa facta. *Idiot.* Quid piger
 Collaberis? reſurge.
Inſiſte pedibus. plumbeum

Caput reflecte Collum
Attolle.rursum laberis ?
Studium omne perdo tecum.
Tu stertis altum?ut dormias,
Tibi data flamma cœli est?
Assurge. Credo in terream
Rursus abiisse massam.
Assurge: fulcro sustine
Pontus luti labantis.
Actum est. Prometheû quàm rudem
Hic spiritum indidisti.

Prom. Sic jussit is, qui arbitrio
Solum, polumque flectit:
Quoscunque privato paras
Minore adure flammâ.
Sed quos reservo publico,
Majore adure sole.

Epit Ergò age Prometheû, publico
Aptum mihi refinge.

Prom. Hic totus ignis ardeat,
Rex suscitandus orbi est,
Vides, ut est serenior,
Amœnior què vultus!
Omnisque gestus comptior,
Capaxque mens honesti!
Proloquere piscis: quid sapis.

Prom. fign Audite nostra jussa
Massæ rudes. Non audior:
Altum trahunt soporem,
Audite: flagra prompta sunt
Si verba negligantur.

Audi-

Audite:pondus tollite:
Pigrum levare corpus.
Insistite pedi. Occurrite
Furentis hostis armis.
Hic intus ardet:illicò
Aquis domate flammam:
Abite:tuti vivite:
Agros coloni arate,
Ego vigilabo publico, &
Periculi monebo.
At non pigri vos jussibus
Parebitis monentis.

Idiot. Pudet Prometheû perfide,
Dolose, fraudulente,
Et innocentis proditor!
Sic me opprimi juvabat?
Excedo nunc, sed criminis
Tui revertar ultrix.

Epit. Prom. Abi: & remotam publico
Sectare stulta vitam,
Quæ nec movetur, nec movet,
Nisi publicâ juvetur:
Ut inter astra Cynthius
Dat singulis vigorem,
In membra corrumpit dividit
Animantque, sanguinemque:
Sic Principes Rempublicam
Animamque, sustinentque,
Ergò est latere turpius,
Honestius patere.

ACTVS

ACTVS IV.
SCENA PRIMA.

Ponus ex Florillo intelligit Evergeten vivere: in spem redit Endoxam suam eidem matrimonio locandi.

Ponus. Florillus.

FLorille, vera nuncias? an me dolo
Fallente ludis? *Fl.* Omne redivivum sonat
Evergeten nemus. *Po.* Unde? quis famam tulit?
Fl Aretinus ipse paginâ acceptâ legit
Superstitem esse filium. *Po.* Sed quis dedit?
Quis exaravit paginam? *Fl.* Ignotus tulit,
At scripsit ipse Evergetes. *Po.* Ex quo loco?
Fl Hoc non notavit.
Po. Fraudis hic aliquid latet.
Memini, quod ille ab arbore appendit suæ
Mortis epigramma: fascia & pendens chlamis.
Evergetæ ensis signa non dubia dabant
Per lemma mortis. *Arborem hanc, patriæ, ac patri*
Moriturus isto Evergetes spolio induit:
Et jam redisse fertur ad vitam *Fl.* Redit.
Po. Sic falsa nempe scripta testantur.
Fl. Fidem
Facit ipsa dextra Evergetæ. *Po.* Si mortuus
Evergetes est, scribere haud potuit *Fl.* manus
Obiisse nunquam funus extremum probat.
Po. Nosti tenorem paginæ?

Flo-

Fl. In promptu est. *Po* Lege.

Epistola.

Vivus, valensque Evergetes mœsto patri,
Avere mœstum filius patrem jubet.
Ha[illegible] ut dolorem lenias, scribo. Scio,
Videoque calidas lachrymas causâ mei
A te profusas, audio gemitus; meo
Et ipse corde lancinor. Patris dolor
In me redundat Sorte dum faustâ fruor.
Hoc cruciat unum, quod meus genitor dolet.
Sed mitte luctus; dulce lenimen cape:
Vivo quid ultra genitor à nato petis?
Non crede natum genitor, immemorem tui.
Sæpe tibi præsens adsto, tu præsens mihi.
Videor parenti, videoque parentem. Procul
Nunquam recedo; quamlibet credar procul.
Dilecte genitor parce lamentis suum
Lacerare natum parce. Quò ploras magis,
Hoc sæviore dentem hi mordes fibras:
Tuus dolor meus est dolor. Vivo, tamen
Si & usque & usque diffluis lachrymis, facis
Quod esse factum credis, & defles pio
Errore. Si me postulas vivum, abstine.
Deflere lachrymis mortuum Vivo: Vale.

Po Utcuuque res est clara. Quid genitor ait?
Fl. Dolor omnis in spem versus est. Evergetem
Et hàc & illàc quærit, & totam occupat
Silvæ juventam ut reperiat. Certum tenet
Non procul abesse. Tempus id suadet quoque,
Quò se paternis laribus eripuit, procul
Non abmigrasse. *Po.* Vana quæ finxit modò

Ima-

Imago veri, agnosco. Spes animo redit,
Quæ pacta nostra firmet, & sponso meam
Felice natam prosperet Quæ credidi
Erepta vota, video dilata. Avolat,
Revolatque sors secunda, & ingenti fugax
Si cor dolore sauciat, rediens pari
Instaurat animum gaudio Non est spei
Statuenda meta, quando res omnes jacent,
Etiam procella in ultima affulget salus.
Hoc est quod animus dixit Endoxæ meæ:
Stat inquiebat, qui placuit, adhuc placet,
Aut nubo soli Evergetæ, aut solum pari.
Habes, quod optas filia. Vivit tuus
Evergetes. Flor ille, ad Endoxam præi;
Fluere natatu nuncia faustò ratem
Votisque pandi semitam: Vivi tamen
Evergetæ nil memineris: patrem sequi
Plenumque ferre gaudium natæ refer.
El. Volabo, jussis impiger fungar tuis.

Scena Secunda.

Evergetes clàm cum Euprepia agit. Observatur à Batillo, nec cæcus esse, nec blæsus,

Evergetes. Euprepia. Batillus.

Faustè pericla fregimus Semper tua
Sic profuerunt, Diva consilia *Eup.* Hactenus
Nil suspicatur genitor? *Ev.* Omninò nihil.
Eup. Servire num te patitur? *Ev.* In nati locum,
Me jussit esse filium *Eup.* Mi Evergetes
Bis sorte gaudes filii: natus semel,

Dein-

Deinde lectus. Alteram sortem dedit
Natura; amoris alteram afflictus dedit.
Ev. utraque felix sorte sum: quodque unicum
Semper vovebam, vivo, documento tuo,
Curis solutus, conjugi liber metu,
Metuque regni fluctuum; & vano capi
Rerum colore nescius, veras opes
Animi, voluptæ limpidos rivos sequor,
Puramque capio gloriam, & dominus mei
De me triumpho. *Eup.* Laudis hoc veræ decus,
Hac esse crede proximum, ad Superos itur.
Sed nate, quid si tibi optati decus
Parem procellam concitet? quid si thori
In jura, & inde in jura regnandi trahat?
Ev Dum stirpe natus Regia ignoror, nihil
Reor timendum. Sceptra non nubunt, nisi
Pari: superbum sanguinem sanguis legit
Superbus. Esse rustici natus casâ
Dum videor, alti stemmatis cautus bene
Eludo amores. Aula, quem vili satum
De plebe credit, arcet à sceptris procul.
Eup. At sæpe sceptrum rustica rotavit manus,
Ev. Vel vi, vel astu. Vi nihil quæro: nihil
Doli per artes. Nemini ignoto datur
Regina sponsa. Quæritur notus pater,
Avique noti, & Regia stirpe editi.
Ba. Estnè Meritinus? verba sine scopulo exprimit,
Eu. Tamen cavendum moneo. Dum cedit dolus,
Ne fide nimium. Sæpe qui tectus favet
Dolus, nocet deprensus,
Bat. Ex isto angulo

Venabor astum. *Ev.* Prima cum ex voto obtigit
Fraudis paratæ linea, secundam traho.
Quicunque amoris semper est felix dolus.
Eup. Non creditur amor esse, qui fingit dolos.
Simulare fraudes vera vix potuit fides,
Ev. Cùm casus urget, exuit vultus amor,
Omnesque formas induit. *Eup.* Sic est: licet
Subire larvam, quando sub larvæ dolo
Fideliore fulget ornatu fides.
Mi nate, rursus moneo, bene cautus late.
Abi, ratemque prosperis ventis age,
Ev. Meritinus esse rursus incipio. Vale.

SCENA TERTIA.

Batillus conversationem Meritini cum Euprepia secum expendit, & fraudē suspicatur.

Batillus solus.

Suspecta res est. Aliquid in puero latet,
Quod non videtur. Sponte profitetur dolum
Fraudemque, non deprensus. *Ex voto obtigit*
Vbi prima fraudis linea, secundam traho.
Quæ prima? quæ secunda? Si memet meus
Non fallit error, plenus hic technis puer
Nil humile tentat: Nympha conspirat, monet,
Urgetque cœpta & cauta moliri jubet.
Molitur ergó quidpiam. Sed quid; satis
Nondum videtur. Adde, qui blæsus fuit,
Hic expeditè loquitur. Hæc magni probant
Doli architectum, & conditum produnt scelus.
Non vacua mens est scelere, quæ larvam induit.

Si;

Simulare fraudes candidum pectus fugit.
Referam parenti? versus in furiam exiget
Domo scelestum. At exigat. Talem dolus
Pœnam meretur. Commodùm en redit senex.

SCENA QVARTA.

Refert Batillus Aretino, quæ acta clam à Meritino cum ignota Nympha observavit. Vnde indignatus Aretinus, Simulatorem suâ domo exigere statuit.

Aretinus. Batillus.

Neque tibi visus uspiam est natus meus
Batille? *Ba.* Vidi Domine, sed vidi dolens.
Ar. An fortè cæsum, aut dente discerptum feræ?
Ba. Vivit, valetque filius. *Ar.* Sed quis dolor
Tetigit videntem? *Ba.* Moribus quod se tuis
Non usque dignum fingat. *Ar.* Indignum meo
Aliquid patravit filio? *Ba.* In patris domo
Et fermè in oculis. *Ar.* Natus in patris domo est,
Quē nemore toto quæro? *Ba.* Meritinus domi est.
Ar. Iterum parentis pectus ingenti feris
Vulnere Batille. *Ba.* Quod tuus natus domi est?
Ar. Quod non domi est. *Ba.* At huc modo gressum intulit.
Ar. Sed non meus. *Ba.* Tuus ipse Meritinus.
Ar. Meum.
Evergeten requiro. *Ba.* Meritinum tuum
Loquebar. *Ar.* At quod ille patravit nefas?
Ba. Quod architectus fraudis occultus solet.

Ba. Statura honesta est, Vultus aspectu gravis,
Matura species, subniger frontis color,
Simulque vegetus.
Ar Fallor? Euprepiam notas.
Rapuisse patri Evergeten non est satis,
Etiam innocentem rapere Meritinum volet?
Sit licet honestum semitam Euprepiæ sequi,
Se seque lege regere privatâ; tamen
Non usque honestum est, publici pondus boni
Subire nolle; quando quis sensu omnium
Censetur aptus; quando quem hoc pondus jubet
Subire numen. Iste, quem optavi, puer
Quamvis parente rustico natus; tamen
Virtute sortem patris excedit sui;
Olimque magnum publico poterit bono
Firmamen esse. Si domi est Juvenis, domi
Tenebo clausum Nolo cum Euprepia ineat
Commercium *Ba.* Ut sit indolis magnæ, tamen
Molitur aliquid fraudis.
Ar. Et quidnam putas? (Probat
Ba. Domine, impeditæ credis hunc linguæ? *Ar.*
Istud loquela: *Ba.* Tacitus ex antro audii
Diu loquentem, verba sine scopulo fluunt
Non impedita *Ar.* Blæsulus non est? *Ba.* Minus
Parente. *Ar* Blæsus at fuit? *Ba.* Puto dolo
Finxisse linguam. *Ar* Vera si narras, dolus
Pueri tenetur *Ba.* Vera narravi, Deo
Firmanda teste. Quodque manifestum dolum
Probare credo. quando supremum Vale
Deæ reposuit? *Diva*, dicebat, *Vale*:
Meritinus esse rursus incipio, Subit

Suspicio mentem, nomine sub isto tegi
Infame quiddam *Ar.* O nominis probrum mei,
Scelerate Juvenis! Ergò sum visus tuis
Materia digna fraudibus? Non est meus
Doli magister; fraudis & tantæ artifex,
Tentabo pueri verba: si imponit seni,
Fraudis retectæ debitas pœnas dabit.

CHORUS

Ostendit & sibi, & aliis vivendum esse.

Pax. Idiotimia, Epitimia.

Satis est belli: ponite ferrum:
Ponite sævum corde furorem:
Pax ego jubeo, ponite bellum.
Huc mihi gladios, huc arma mihi.
Utraque paci reddita. festis
Utere rebus. Nil sine pace
Datur humanis lætum in rebus.

Id. Pareo jussis. ô Diva, tuis
Exuo ferrum, pono furorem.

Ep. Pacis amœnæ jussa amplector,
Positis armis ruo in amplexus,
Soror, ò animi dulcedo mei!

Idi. Soror, ò melior vita sororis!

Epi. Nectarque meum! *Id.* Cœlumq; meum
Porrige dextram. *Ep.* Tu mihi lævam
Pacis amatæ in vincula sponte
Utraque ruimus. *Pax.* Sic vos vitam
Lætam alternis trahite officiis.

Idi. Pulchrum est, aliquid dare privato.

Epi. Pulchrum est, aliquid dare communi.

Utr

Vtraque. Sic nemo dies agat, ut tantum
Sibi se impendat. Sic nemo dies
Agat, ut tantum publica curet.
Pax Publica pereunt, si quis que suis
Studeat rebus: privata cadunt,
Si communi nemo studeat
Utilitati. *Om.* Sic ergò dies
Quisquis impendat, se ut possideat,
Dominusque sui constante manu
Teneat frenum: quantumque licet,
Publica solers commoda curet.
Ep. Est segnities, nimium fugere;
Id. Est ambitio, quærere nimium
Populo exstare, & dicere jura.
Volo communi. *Ep* Volo privatæ
Vtr. Vivere curæ, junctæque simul
Semper agemus. Fœlix vita!
Ambitionem, quæ moderatur:
Quæ se, & populos unâ lege
Flectit honesti. Sic vivemus.
Id. Ego communis studiosa boni:
Epi. Ego privatæ studiosa rei.
Vtraque. Utraque curam geret utramque.
Om. Fœlix vita est, quæ dum surgit,
Sese imperio meliore sui
Sub juga cogit; quæ dum premitur,
Tenet excelsæ solium mentis.
Sic vivemus. Sic vivemus.

Crimen, quod actis perfide fateris tuis.
Speras dolosâ posse me larvâ capi?
Mer Quod lingua loquitur, acta testantur scelus
Nequit fateri lingua, quod vitæ tenor
Negat *Ar.* Ipsa lingua crimen & negat, & probat.
Larvâ sub unâ mille velantur doli.
Edic scelestè; blæsus es? dubitas? taces?
Me. Etiam innocentem verba destituunt.
Ar. Palàm
Fatere fraudem. blæsus es? rursum taces?
Me. Audis loquentem Aretine!
Ar Fallentem audio.
Depone larvam: fraudis est pridem satis,
Pronunciare Sigma te jubeo *Me.* Pater,
Lingua impedita est.
Ar Quando præsentem me habes:
At cùm latere te putas, quando tuos
Euprepiæ amores explicas. (*Me.* Superi boni!)
Ar. Tum tibi solutis vinculis sermo fluit.
Me. Euprepiæ amores?
Aret. Calide in fraudes puer!
Sine nunc amores; vis trahere ad alia senem.
Quid ad hoc reponis? blæsus? à linguâ integrâ es?
Me. Pater, fatebor quidquid hic fictum vides,
Amor suâsit. *Ar.* Quo fidem dictis facis?
Hoc nemoe firmant illa secreto angulo
Commissa verba: *quàndo mi ex voto obrigit*
Incepta fraudis linea, secundam trahi.
Hoc est amare? in lineam textos dolos
Agere? *Mer.* Videntem mentis arcanæ sinus
Testor Tonantem, nil mali hic actum est doli.

Aret. Si nil mali hic actum est doli, cur tui exitum
Malum timebas? cur revelari dolos
Tua Diva vetuit?
Mer Diva? quàm tectum est nihil!
Ar. Etiam hoc negabis? Nonne dicebat tibi:
Tamen cavendum moneo: cum cedit dolus,
Ne crede nimium. Sæpe qui tectus favet
Dolus, nocet deprensus Hæc forsan tegi
Potuisse credis? scelera non latent diu.
Hæc pœna semper sequitur occultum nefas,
Prodire tandem. Sed quid est illud tuum:
Cum casus urget, exuit vultus amor,
Omnesque formas induit. Quos tu in domum
Juvenis amores, tacitus, & patre inscio?
Scelerate juvenis, cede; jam non es meus,
Mer O parce!
Ar. Cede perfide, nec oculos meos
Subire posthac liceat. Exundans dolor
Decernit istud. Siste. Quid si cum dolo
Primo secundus pateat? Hoc non est novum.
Qui fallit uno, fallere in multis solet.
Dic, esnè cœcus lumine sinistro? an dolo
Mentiris esse? Detege. O fallax caput!
O execrande fraudis impostor! *Me.* Pater!
Ar. Patrem reposui; judicem jam agam tuum,
Qui refugis uti gratia, pœnas feres.
Sed quis repente vultus ex vultu emicat?
Ades Recede. - -

SCENA SECUNDA.

Aretinus ex quibusdam signis in suspicionem
ve-

nit, quod Meritinus sit suus filius Evergetes.

Aretinus solus.

- - Quis mihi mentem rotat
Repente fluctus? Ira desidit, licet
Meritò excitata. Patris affectus redit,
Seque in medullas tacitus insinuat amor.
An vultus oculos fallit? an hic est meus
Evergetes? sic ora, sic oculos tulit;
Sic & serenum frontis explicuit diem:
Sic moribus, sic gestibus, sic indole
Evergetes placebat. At cur se meam
In servitutem tradidit? primus dedit
Aspectus aliquid, aliquid extremus notat.
Sed fortè constans ludit affectus patrem.
Namque Meritinus semper est visus mihi
Evergetes. Imago semel animo indita
Adhuc inhæret prorsus, & fallit senem.
Non est; sed est similis tamen, sed quid notant
Ambigua verba epistolæ scriptæ: *Scio,*
Videoque calidas lachrymas, causa mei
A te profusas; audio gemitus. Videt?
Non ergò procul est. Ipse testatur: *Procul*
Nunquam recedo, quàmlibet credar procul.
Nunquam recedit? Natus ergò meus domi
Mentitus habitum. O stultum, & insanum caput!
Nonne tibi claris istud inscripsit notis?
Sæpe tibi præsens adsto, tu præsens mihi.
Videor parenti, videoque parentem. An potest
Manifestius se prodere? Hæc satis probant
Evergeten hunc esse. secretus quoquè
Qui semper animum strinxit, id loquitur amor.

Frænabo motus, blandius puerum alloquar;
Fors veritatis eruam certas notas

SCENA TERTIA.

Euprepia ex Evergete intelligit sua jam Aretino patere consilia; proximum esse, ut tota fraus detegatur. Suadet Evergetæ, ut se Æthyopem fingat: parat ille se atro colore tingere.

Everg. tes. Euprepia.

Fortuna facta est: hæret in sicco ratis,
Sistitque cursum.
Eu Fare, quis rerum status?
Ev. Patuêre patri nostra consilia: furit
Dolore tecto, seque delusum gemens
Ultima minatur.
Eu. Noscit ris? **Ev** Partem tenet
Jam veritatis: reliqua non poterit diu
Latere. **Eu**. Quanta patuit ad verum via?
Ev. Quanta satis esse possit ad fundum. Tenet
Figmenta linguæ, patuit oculorum innocens
Purumque vitrum. Plura jam quæret: Nihil
Licet negare Diva, quid facto est opus?
Eu. Incaute Juvenis: nonne præmonui, nihil
Ut sponte prodas? **Ev** Hic nihil culpæ meû est.
Tu prodidisti Evergeten. **Eu**. Ego prodidi?
Ev. Tu prodidisti: nulla sed culpa est tua.
Eu Dic, quando per me es proditus?
Ev. Quando piam
Fraudem docebas; quando documentum dabas
Cautè latendi. **Eu** Nullus audivit. **Ev**. Putas.
Audivit aliquis tacitus, & retulit patri. *Eupre-*

Eu. Figmenta texis, *Ev* Diva, non fallo. Mihi
Tua ipsa verba obtrusit iratus pater.
Tamen cavendum moneo: dum cedit dolus,
Ne crede nimium. Sæpe qui tectus favet
Dolus, nocet deprensus. *Eu.* Hæc à me pater
Tibi dicta novit? *Ev* Novit: & quidem amplius
Latere suspicatur. *Eu.* Infelix nimis!
Sed quis retexit verba secreto tibi
Commissa nemore? *Ev.* Saxa nisi credas loqui,
Venatus aliquis dicta narravit patri.
Eu. Res est aperta Evergetes. quid ages? fuga
Jam parte ab omni clauditur: nulla amplius
Latere fas est. Fraude vel opus est nova;
Retegere vel te Evergetes debes patri.
Ev O Diva, si quem suggerit ratio modum
Adhuc latendi, pande. Non nosci meam
Reputa salutem *Eu.* Evergetes, mihi mens nihil
Artis ministrat, *Ev.* Suggerit aliquid mihi.
Eu Expone. *Ev* Frontem decolor tingat color
Manusque. *Eu.* Sana suggeris: prompta est mihi
Necessitati sepia. Huc ubi latex
Strepitu modesto præfluit *Ev.* Propera Dea
Nullam supremo in apice res tolerat moram.
Eu. Viden, colorem Hoc tinctus Æthiopē dabis.

SCENA QUARTA.

Intervenit Aretinus: elabitur Euprepia: pia fraus omnis aperitur: agnoscitur filius: vocatur vicinia: Evergetes in nuptias cum Endoxa consentit.

Aretinus. Evergetes.

De-

Deprênsa fraus est. Siste Sic ludis senem ?
Et fraude ab unâ graderis in fraudem alteram?
Ev. Venerande genitor, sisto me nocuum tuis
Pedibus profusum. Parce, si quidquam pius
Peccavit animus. *Ar.* Intimas pulsat mihi
Vox hæc medullas. *Ev.* Parce; sum, fateor, nocens:
Quòd immerentem fraude delusi patrem.
Sed ipse fraudem suasit affectus. *Ar.* Rei
Nodum retexe candidâ & purâ fide.
Quis tibi dolosis artibus mentem imbuit?
Ev. Juvenilis æstus mentis, atque instans gravi
Euprepia monito. *Ar.* Quæ mihi rapuit meum
Evergeten? *Ev.* Quæ fraudis altrices domos
Regum vocabat tecta, vitiorum lares,
Spelæa scelerum, fluctibus turgens mare,
Viamque stygis ad ima. *Ar.* Quis docuit dolum
Linguæ impeditæ ? *Ev.* Euprepia. *Ar.* Quis lævum tibi
Velavit oculum? *Ev.* Eadem Euprepia.
Ar. Semper meo
Adversa voto Euprepia! Quæ causa est doli?
Ev. Patrem ut laterem. *Ar.* Quis tuus pater?
Ev. Satis
Patuere fraudes: plura ne quære, ô pater.
Ar. Plura volo: nondum nodus arcanus patet.
Quę patria? quod stemma tibi? quis genitor tuus?
Ev. Habes nocentem. plecte. Quisquis sit pater,
Nihil ille meruit. Ego, ego sum fraudis faber!
Ego dolentem gravius afflixi patrem.
Ar. Nomen parentis exprime.
Ev. Indignum meo

Me

Me patre feci, quando. *Ar.* Quid texis moras?
Nomen parentis edoce. *Ev.* Hac vivit plagâ,
Hoc nemore. *Ar.* Notus est mihi?
Ev. Nemo magis.
Ar Quod semper animus dixit, in apertum ve- (nit.
Quousq; fraudem texis? *Ev.* In fundo es pater.
Ar. Rubram sinistro brachio ingentem habuit
A matre stellam. Si ista se prodit, meum
Agnosco natum. Brachium lævum exere,
Aperi. Quid istud Cœlites? natus meus,
Evergetes *Ev.* Sum genitor.
Ar. Occidui patris
Unica voluptas. *Ev.* Gaudium nati, ô pater!
Ar. Vivo superstes, quando mihi vivus redis.
Ev. Vivo redivivo patre.
Ar. Jam corpus lubens
Tumulo reponam, quando de tumulo meus
Natus redivit. Tu gradum celera, novum
Adfer tegendo corpori ornatum: voca
Viciniam omnem, filium evulga meum
Vivere, jubeque plausibus festis diem
Hunc occupari. Nate, potuisti patris
Videre lacrymas, quas tui affectus meis
Extrusit oculis?
Ev Genitor, hæ pectus mihi
Penè exsciderunt. Indè tibi scripsi: *Tuis*
Dilecte genitor parce lamentis: tuum
Lacerare natum parce: quò ploras magis,
Hoc saviore dente mihi scindis fibras.
Ar. Sed nate, quid te compulit, mœstum ut pa- (trem
Latere velles? *Ev.* Ne domo exirem tuâ,
Amor coëgit: Filium quando tuum

Me

Me cogitavi, patris avelli à sinu
Durum putavi Sed tamen volui (heu pudet)
Volui patrem latere.
Ar. Cur vestem arbori
Spolium dedisti, fata mentitus tua?
Ev. Ut esse credens mortuum fleres minus;
Namque hîc Tonantis diceres manum; & tuum
Ferres dolorem mitius. Faciunt minus
Divina vulnus tela.
Ar Quâ causâ patrem
Evergetes latere voluisti? *Ev*. Mihi
Ut solus ipse viverem. *Ar*. Hoc poteras mea
In æde, nate. *Ev*. Genitor, erravi. Meæ
Parce, ô Juventæ. Stare credebam simul
Non posse; vivere publico bono, & mihi.
Ar Intelligo, mi nate: cùm sponsam tibi
Statui, futuri providus, vulnus tuæ
Mentis putâsti. *Ev* Credidi in casum me agi
Nomen per altum Principis. Blandum jubar
Equidem putabam; sed tamen fallax simul,
Quod fronte rideat, intus implacidas agat
Animi procellas. Esse dicebam magis
Illum beatum, mente qui stringit suas
Opes, lupoque vota compescit brevi,
Modica secutus. Addidit stimulos pio
Euprepia genio: Mente divitias loca,
Dicebat illa: sanctius regnum tuo
Require in animo, si supra fortis rotam
Casusque tolli postulas: totus tibi
Incumbe nate; nec tuum quidquam puta,
Nisi quod repostum mente fortunam fugit.
Ar. Secerne veris falsa, mi fili. Deus

Vult

Vult esse Reges. Ille dispergit manu
Non invidâ talenta. Regali pares
Dat ille dotes purpuræ; pares quoque
Dat rustico sæculo. Ingratus Deo est,
Talenta qui recondit, aut uti negat.
Mi nate, cœlum tanta cùm dederit tibi,
Supprimere noli. Numini obsequium adimis
Majus, minusq; sequeris. Obsequium hoc Deus
A quoque, quod talenta promittunt, petit.
Ev. Pater, obsequentem filium jussis habes.
Ar. Depone vile tegumen *Ev.* Agnosco Dei
Sic imperantis jussa. *Ar.* Vestitu tege
Meliore corpus. Ista per humeros fluat
Dignumque regno Evergeten cingat chlamys.
Sic apparari filium Endoxæ decet.

SCENA QVINTA.

Adest Vicinia lætabunda. Endoxa Evergetæ desponsatur.

Ponus. Aretinus Evergetes. Endoxa.

Quæ forma visum stringit? an vera intuor?
An ficta ludunt? *Ar.* Vera vos species movet.
Evergetes est *End.* Forsan huc ultrix mei
Venisti amoris umbra. *Ev.* An in spectrum mei
Revolvor ipse? vivo. Quis vestris mea
Infixit animis fata? *Pon,* Vitalis vigor
In membra rediit Sed quid amplexus moror?
Mei voluptas pectoris, & animi quies!
Ev. Mea lux amici *Ar.* Lux amicorum nova
Evergetes, *Ev.* O charior vitâ pater!
Ar. O nate, bis nunc reddite, & tibi, & mihi,

Sponſæque amori. *En.* Regiæ ô columen domûs
Meliore ſorte digne! jam pridem tuo
Indigna amore viſa ſum. *Ev.* Digna es nimis,
Noſtræque longè ſortis excedis gradum.
En. Humanitatis verba contemptum tegunt.
Ar. Magnanima Princeps, nullus eſt dubio locus:
Superare viſa ſortis es noſtræ gradum.
Sed quando vel te deprimis, vel nos levas,
Peracta res eſt. Eſt tuus, niſi abnuas,
Evergetes tuus eſt.
End. Tua Endoxa eſt quoque.
Conſtante amoris lege ſancivi, ac patri
Nuper repoſui: *Qui placuit, adhuc placet.* (trem,
Ev. Endoxa! *Ar.* Regno Evergetes reddis pa-
Patriq; regnum. *Po.* Evergetes, quidquid ſumus,
Tui ſumus, patriſq;. *Ev.* Pone, quidquid ſumus,
Tui ſumus, & Endoxæ. In obſcuro dies
Statuerat animus agere; ſed memet Deus
Voluit reponi publico. Vivam tamen
Humilis in alto; ſemper intentus meis;
Semper alienis: omnium ex æquo, & meus.
Ar. Hoc, nate, ſapere eſt: iſta ſtant unà benè:
Sic vivere tibi, publicum ut cures bonum,
Sic vivere alijs, ne tuum perdas bonum.
Ev. Satis eſt: benigno vota ſolvantur polo.
Communis iſtam plauſus abſumat diem.

Datur plauſus, & vota.

FINIS.